

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.  
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

---

# EPISTOLAE

METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM

CYPRIANI ZOCHOVSKYJ  
LEONIS SLUBICZ ZALENSKYJ  
GEORGII VYNNYCKYJ

1674-1713

COLLEGIT, ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT ET INTRODUCTIONE AUXIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1958

PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

---

IN HONOREM EX.MI ET ILL.MI JOSEPHI SLIPYI  
METROPOLITANI HALICIENSIS, ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS,  
EPISCOPI CAMENECENSIS

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

*Sectio III:*

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE  
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE  
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

---

EPISTOLAE METROPOLITARUM ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

---

Vol. III

EPISTOLAE METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM  
CYPRIANI ZOCHOVSKYJ, LEONIS ZALENSKYJ, GEORGII VYNNYCKYJ  
(1674-1713)

IN HONOREM JOSEPHI SLIPYI, METROPOLITANI HALICIENSIS  
FIDEI CATHOLICAE PRIMATUSQUE ROMANI CONFESSORIS

ROMAE

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.  
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

---

# EPISTOLAE

METROPOLITARUM KIOVIENSIVM CATHOLICORVM

CYPRIANI ZOCHOVSKYJ  
LEONIS SLUBICZ ZALENSKYJ  
GEORGII VYNNYCKYJ

1674-1713

COLLEGIT, ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT ET INTRODUCTIONE AUXIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1958

PP. BASILIANI - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

---

IN HONOREM EX.MI ET ILL.MI JOSEPHI SLIPII  
METROPOLITANI HALICIENSIS, ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS,  
EPISCOPI CAMENECENSIS

**IMPRIMI POTEST**


Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 27. VI. 1958.

P. PAULUS P. MYSKIV  
*Protoarchimandrita - Superior Generalis*

**IMPRIMATUR**

Romae, e Vicariatu Urbis, die 4.VII.1958

✠ ALOYSIUS TRAGLIA  
*Archiep. Caesarien. Vicesgerens*



JOSEPHUS SLIPYJ - METROPOLITA HALICIENSIS



EXCELLENTISSIMO . ILLUSTRISSIMO . DOMINO  
JOSEPHO . SLIPYJ  
METROPOLITANO . HALICIENSI . ARCHIEPISCOPO . LEOPOLIENSI  
EPISCOPO . CAMENECENSI  
FIDEI . CATHOLICAE . PRIMATUSQUE . ROMANI . CONFESSORI  
SEDE . METROPOLITANA . PULSO  
COMPENDIBUS . ONUSTO  
AD METALIA . DAMNATO  
IN VARIIS . PUBLICAE . CUSTODIAE . LOCIS . DETENTO  
IN MEDIAM . SIBERIAM . DEPORTATO  
ANNO . QUADRAGESIMO . A SACERDOTIO . SUSCEPTO IMPLETO  
EXEUNTE  
ANNO . VIGESIMO . A SACERDOTII . PLENITUDINE OBTEUTA  
INEUNTE  
INIURIAM . ECCLESIAE . PRAESULISQUE . DEPLORANDO  
IUSTITIAM . INVOCANDO  
DEDICAT

BASILIANORUM S.TI JOSAPHAT ORDO





## PRÆFATIO

*Epistolas Metropolitanarum Kioviensium saeculi XVII legendo et considerando circumstantias, in quibus officium hoc suum perficere erat ipsis necessarium, sensim sine sensu mens nostra volvitur ad tempora nostra sortemque nostrae Ecclesiae eiusque Praesulum, inter quos eminent intrepidus ille fidei Confessor - Metropolitanus Haliciensis, Iosephus Slipyj, qui ob fidei catholicae confessionem carceres, compedes et de sede metropolitana expulsionem dignus fuit pati et hucusque patitur. Etiamsi hunc nostrum Praesulem a Metropolitanis Kioviensibus, de quibus in nostro praesenti volumine, plus quam duo separant saecula, eadem tamen difficultates, eademque pericula et eadem persecutiones eos in unum coniungunt. Graviter minabatur a Potentia Bystonica Cyprianus Zochovskij eo, quod Praesulem Leopoliensem et Peremysliensem ad Ovile reduxit Petri. Suspensione et morte violenta minabatur a Czaro Moscoviae Leo Zalenskius, ob receptum ad fidem catholicam gregem Leopoliensem et Luceoriensem, et proinde in sylvis et nemoribus paludosis latere debuit exsul. Gravia pericula ob defensionem iurium Ecclesiae suae subire debuit etiam Georgius Vynnycius. Ab eadem potentia persecutionem patitur hodie Praesul Haliciensis et Leopoliensis.*

Iustum proinde erat, ut hac occasione eius compedum memoriam habeamus, praesertim anno quadragesimo a sacerdotio accepto impleto exeunte, annoque vicesimo a sacerdotii eiusdem plenitudine suscepta ineunte.

Josephus Slipyj, anno 1892, die 17 Februarii, natus, iam die 30 Septembris 1917, studiis theologicis apud exteros absolutis, sacerdos ordinatus fuit. In patriam reversus mox Rector Seminarii Leopoliensis, et Academiae Theologicae Leopoliensis nominatur, eiusque fit anima et motor tum vitae scientificae tum publicationum, tum iuvenum educationis. Die 25 Novembris 1939 electus fuit ad Sedem tit. Serrensem cum Coadiutoria cum iure successionis Leopoliensi. Consecratus in Episcopum die 22 Decembris 1939, mox Coadiuto senio confecto die 1 Novembris 1944 successit. Sed iam die 11 Aprilis 1945 in carcerem ab impiis protrusus, et ad metallam damnatus in Syberiam deductus fuit, ubi post durum carcerem plus quam decem annorum in media Syberia exsul degit ad oppidum Maklakovo circumscriptus, ubi etiam hodie vitam degit amaritudinis plenam, contra omne ius naturae, divinum et civile. Deus, qui se profitentes coram hominibus, profiteri coram toto caelo promisit, plenitudine suarum gratiarum suum Servum fidelem cumulare non cessat credimus. Cui omnipotens Deus adstat, eidem malitia hominum obstare non potest.

Nos tamen nostra ex parte saltem in spiritu nostro Confessori adesse nostraque

*oratione prodesse non cessabimus, praeunte Christi in terris Vicario, qui Divinum Infantem instanter exorat, ut animum Praesulis inter tot vitae incommoda atque acerbitates delenire et recreare benigne velit. In cuius rei signum nostrum humile opus dicamus.*

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO.

*Romae, 15 Julii 1958.*

*Die festo S. Volodymiri Magni, Principis.*

## INTRODUCTIO

Metropolitani Kiovienses catholici formaliter et realiter cardo et clavis totius Ecclesiae Catholicae in terris Ukraine et Bielarussiae inde ab ipsis initiis Unionis Berestensis (ann. 1595-1596), ab illa famosa Clementis PP. VIII Bulla «*Decet Romanum Pontificem*» considerabantur et erant. Exinde ipsi erant praeprimis et fere exclusive, qui cum Sede Apostolica commercium epistolare tenebant de rebus suae provinciae ecclesiasticae referendo, in difficultatibus et dubiis ad auxilium romanum recurrendo, aliaque negotia maiora pertractando. Exinde in Archivis Romanis series fere completa et interrupta epistolarum Metropolitanorum Kioviensium invenitur, quae historiae ecclesiasticae nostrae multum conferre possunt. Non semper tamen series haec aequae numerosa et completa invenitur, tum ob circumstantias temporum et locorum, quae commercium hoc difficile reddebant, vel omnino impediabant, tum etiam ob circumstantias personarum Metropolitanorum eorumque characterem personalem, plus vel minus independentem ab auctoritate et opinione aliorum.

Haec elementa etiam in nostro volumine tertio *Epistolarum Metropolitanorum Kioviensium catholicorum* inveniuntur.

Praeterea notare debemus, nos solummodo documenta romana Ecclesiae nostrae publici facere iuris. Exinde numerus epistolarum a nobis editarum minime indicat plenum elenchum omnium epistolarum eorum. Immo etiam documenta romana non tam facile inveniri possunt, characteris specialis Archivorum romanorum temporibus anteactis causa. Si quae proinde ommissa inveniuntur, secundo tempore in *Epistolis Episcoporum, Archiepiscoporum* etc. suum invenient locum.

Nobis non tam plenitudinis documentorum interest, sed potius fontium, ubicumque hi inveniuntur et publici fient iuris. Historiographia nempe nostra opus habet fontium. Hucusque enim adinventi vel non iam sufficientes vel unilaterales tantum considerantur. Nostro pro posse huic defectui satisfacere intendimus, etiamsi modo nobis in nostris circumstantiis unice possibili procedimus. Sed initia semper et ubique difficillima existunt. Qui aliis viam indicat et ipse saepe etiam errare vel dubitare indagando debet. Interest tamen ne recta intentio et bona voluntas desideretur.

Praemissa brevi biographia uniuscuiusque Metropolitanii Kioviensis, paucisque collectis documentis biographicis, hic in introductione generali ad totum volumen pauca tantummodo notanda videntur. Unicuique etiam Metropolitaniano praemisimus eius imaginem, prout eam nobis invenire contigit. Sed, proh dolor, imaginem Leonis Slubicz-Zalenskyj invenire non est nobis datum. Proinde defectum hunc exemplo eius manus signi complevimus.

Imprimis ad ipsum textum quod spectat, notandum, saepe documenta romana temporum nequitiis valde corrupta nec amplius legibilia sunt. Exinde quaedam lacunae etiam in nostra editione proveniunt, quae punctis indicantur. Documenta fere ex toto exarata sunt lingua latina tunc temporum et locorum, cum omni suo caractere speciali, qui etiam scientiae singulorum auctorum correspondet. Prout in omnibus operibus humanis, etiam in epistolis manu scriptis Metropolitanarum errores tum grammaticae tum syntaxeos invenire necessum erat. Nec ipse processus inventionis documentorum, eorumque transcriptionis et publicationis ex parte nostra possibilitate errandi caret.

Methodo editionae nostris voluminibus solita etiam hic usi sumus. Rectane an minus haec methodus sit, non est cur in hoc solummodo volumine immoremur, nam de tota valet serie documentorum romanorum a nobis editorum.

Notare etiam convenit nostram editionem non habere scopum biographicum singulorum Metropolitanorum, unde breviter tantummodo de singulis Metropolitanis tractamus. Apparatus vero adnotationum meliori cognitioni epistolarum apponitur, modo succincto et ieiuno. Praeterea, etiam Romae de plurimis personis Europae orientalis difficulter tantummodo tractare possumus, ob penuriam fontium et subsidiarum biographicorum.

Systematicae expositionis causa non solummodo epistolas Metropolitanarum, eorum officio durante, sed etiam antecedenter ad hoc summum officium conscriptas, in unum collegimus, etiamsi, secundum rigorem programmatis, eas inter epistolas Episcoporum, suis loco et tempore, collocare esset necessarium.

His dictis et notatis, ad ipsas iam epistolas progressum facimus. Loquantur ipsi hi nostri magni Ecclesiae nostrae Praesules. Nobis vero silentium et satisfactio ex opere perfecto convenit cum omni humilitate et gratitudine erga Deum hominesque.

EPISTOLA PII PP. XII AD METROPOLITAM JOSEPHUM SLIPYJ

Venerabili Fratri

JOSEPHO SLIPYJ

Archiepiscopo Eparchiae Leopolitanae, Haliciensis et Camenecensis

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater,

salutem et Apostolicam Benedictionem

Recens expleto sacerdotii tui anno quadragesimo, opportuna Nobis occasio exhibetur benevolentiam atque existimationem tibi significandi teque inter tot exsilio amaritudines sollicite consolandi. Accepta enim, duodeviginti abhinc annos, sacerdotii plenitudine, primo tamquam Coadiutor cum jure successionis, deinde ut Archiepiscopus pastorale ministerium in Eparchia Leopolitana alacriter exercuisti; sed propter tuam fidelitatem et conjunctionem cum Apostolica hac Sede, damnatus in opus, tuum fidelium gregem derelinquere coactus es, deinceps in variis publicae custodiae locis detentus, donec, in mediam Siberiam deportatus, Maclacovi, remota in urbe, custos invalidorum nunc versaris. Itaque dum tibi, Venerabilis Frater, magnopere gratulamur, quod sacrum et pastorale munus ante amissam libertatem studiose obiisti et dignus habitus es « pro nomine Jesu contumeliam pati », divinum Infantem instanter exoramus, ut animum tuum inter tot vitae incommoda atque acerbitates delenire et recreare benigne velit.

Superni interea praesidii in auspiciis et peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Decembris, in Nativitate D. N. I. C., anno MDCCCCLVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

Pius PP. XII.



**EPISTOLAE CYPRIANI ZOCHOVSKYJ METROPOLITAE KIOVIENSIS**

1674 - 1693







CYPRIANUS ZOCHOVSKYJ, METROPOLITA KIOVIENSIS  
(1674-1693)



## CYPRIANI ZOCHOVSKYJ BIOGRAPHIA

Cyprianus Zochovskyj, ex Palatinatu Polocensi, in Alba Russia, origine Nobilis, natus est anno 1635 circa, patre Alexandro et matre Anna Mohylnycka. Ubi nam studia primaria et secundaria absolvit, non nobis constat. Videtur tamen, iuvenis adhuc Ordinem Basilianorum ingressus est Bytenii, in Alba Russia, ibique temporibus difficillimis pro Regno Poloniae Magnoque Ducatu Lithuaniae tyrocinium monasticum fecit, quo absoluto missus fuit Romam, ad Collegium Graecorum S. Athanasii, anno 1658, ad studia philosophica et theologica peragenda, iuvenis annorum 23, nullis adhuc Ordinibus Sacris, neque minoribus, initiatus. Sex vel septem post annos Cyprianus philofophiae et theologiae doctor insignis declaratus fuit, et, Collegio Graeco de Urbe egressus, in Hospitio SS. Sergii et Bacchi, Romae, ad latus erat Episcopi Chelmensis, Jacobi Susza, qui tunc temporis Romae commoratur in negotiis Ecclesiae Unitae, a tota Hierarchia unita missus, ut promotionem Gabrielis Kolenda, Archiepiscopi Polocensis et Administratoris Metropoliiae Kioviensis, ad dignitatem metropolitanam apud Sanctam Sedem procuraret, nec non negotium canonizationis Beati Josaphat Kuncewycz ad felicem deduceret finem; quem in finem plurimos Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, nec non S. Congregationi Rituum, praeparavit libellos supplices librosque de Beato Josaphat et Meletio Smotryckyj conscripsit, cum auxilio, ut videtur, etiam nostri iuvenis doctoris Cypriani. Fortasse, Jacobo Susza Roma redeunte, etiam Cyprianus, octo circiter annos Romae commoratus, in patriam iter aggressus est. Tempore studiorum romanorum Cyprianus etiam ad Ordinem Sacrum Presbyteratus promotus fuit die 29 Aprilis an. 1663, in ecclesia S. Athanasii.

In patriam reversus, Cyprianus statim fere ad Archimandriam Dermanensem in Volhynia promotus est, cui titulo mox etiam Archimanditae Dubnensis adiunxit. Anno demum 1668 etiam Archimandriam Leszczynensem, quam ex manibus non Unitorum vindicavit, obtinuit, quam tatem anno 1670 cessit novo Episcopo unito Peremysliensi, Joanni Malachovskyj. Inde a suo reditu in patriam, modoque speciali ab anno 1667, Cyprianus ad latus fuit Metropolitae Gabrieli Kolenda, ut eius Auditor, nec non ut Vicarius generalis in administranda Archieparchia Polocensi, quam G. Kolenda una cum Metropoli Kioviensi retinebat, ad sublevanda onera sustentationis dignitatis metropolitanae et Unionem Sanctam in Comitibus Regni defendendam.

Jam tunc temporis, statim fere post suum reditum in patriam, Cyprianus mox famosus devenit orator sacer, non solum popularis, per monasteria basiliana et ecclesias polocenses, sed etiam penes Aulam Regiam. Suasu Procerum Regni ipsiusue Regis Poloniae orationes suas typis vulgavit, quas tamen hodie invenire res est summe difficilis. Gabriel Metropolitae, plus quam sexagenarius laboribusque fractus, de Coadiutore in suis laboribus pastoralibus cogitare coepit iam inde anno 1670. Fortasse iam post famosam Commissionem Ostrogiensem cum Cosacis ucrainensibus an. 1670, in qua Commissionem Cyprianus, ut Archimandrita Dermanensis et Dubnensis partem habuit insignem periculaque gravia ab Ecclesia Unita suo prudenti agendi modo

prohibuit, electio Metropolitae Gabrielis in Cyprianum cecidit. Iure metropolitico, ad praesentationem Regis Poloniae, Gabriel Kolenda sibi Cyprianum in Coadiutorem in Archieparchia Polocensi assumpsit, cum titulo Episcopi Vitebscensis, cum spe Coadiutoriae Metropolitae Kioviensis, a Sede Apostolica mox obtinendae. Inde, etsi alii Episcopi Uniti huic electioni adversabantur, Kolenda Cyprianum die 15 Martii 1671, Vilnae, in Episcopum Vitebscensem et Miscislaviensem consecravit, cum adstantia Episcoporum Samogitiensis, Vendensis, Gratianopolitani et Pinscensis, eique Archieparchiam Polocensem administrandam commisit. Processu canonico instituto et Romam transmissa, Gabriel confirmationem Cypriani in Coadiutorem in Metropolia cum futura etiam successione expetivit; quae tamen confirmatio propter accusationes Episcopi Pinscensis et Volodimiriensis retardata fuit. Explicata natura personali obiectionum probataque innocentia Cypriani, Bullae coadiutoriae cum futura successione, datae iam die 1 Junii 1671, tandem Mense Maio, an. 1673, Roma expeditae fuerunt, hora quasi et termino ultimo. Nam et ipse Cyprianus, difficultatibus his defatigatus, Coadiutoriae abdicare iam serio intendebat, et Metropolita Kioviensis Gabriel Kolenda ultimum iam vitae suae agebat annum; revera, septem post menses, die 11 Februarii 1674, prope Vilnam iure naturae et gratiae spiritum et animam Deo, Metropoliam vero et Archieparchiam Polocensem Cypriano iure coadiutoriae tradidit.

Sede Apostolica certiorata, Cyprianus negotia Ecclesiae Unitae gerenda manu assumpsit forti. In Capitulo generali Basilianorum Zyroviciensi an. 1675 officio Protoarchimandritae in Ordine Basiliano pro se suisque Successoribus renuntiavit, eamque simplici monacho, Pachomio Ohilevycz per electionem capitularem commisit, sese vero labori unionistico totus dedit. Imprimis Metropoliam non unitam Kioviensem impedire contendebat, tandem Episcopi Leopoliensis, Josephi Szumlanskyj, professionem fidei catholicae, etiamsi modo secretam, anno 1677 procuravit, et pertractationes generales de unione universae Ucrainae et Bielarusiae inchoavit, in colloquio amicabili cum non Unitis perficienda, sub auspiciis Regis Poloniae Joannis Sobieski. Colloquium hoc in civitate Lublinensi an. 1680, mense Januario, indictum, ad aliud tempus tamen remissum, in vanum tandem abiit. Hac de re Cyprianus librum edidit sub titulo: *Colloquium Lublinense*, ubi modum agendi et actus preparatorios nec non differentias inter utramque partem discutiendas enarrat. Anno 1681, in Comitibus Regni Varsoviensibus Cyprianus Metropolita Episcopum Leopoliensem, et Episcopum Perymysliensem Innocentium Vynnyckyj ad profitendam fidem catholicam iterum induxit. Sed pertractationes de publicatione huius unionis Episcoporum nec non de uniendis Eparchiis, propter circumstantias temporum et personarum, longius requirebant tempus, prout primo momento sperabatur. Inde Cyprianus unionem Eparchiae Perymysliensis anno tantummodo 1692 videre potuit; unionemque vero Eparchiae Leopoliensis et Luceoriensis suo in dignitate metropolitana Successori, Leoni Zalenskyj, testamento tradidit perficiendam (ann. 1700, 1702). Eodem fere tempore provisionem Eparchiae Albae Russiae, seu Mohiloviensem non Unitorum impedivit usque ad annum 1697; Metropolia vero Kioviensis non Unitorum anno tantummodo 1685 de novo Metropolita provisae esse potuit et Patriarchatui Moscoviensi subiecta. Circumstantiae politicae ann. 1682-1692 tales erant, ut in hac sua salutari activitate Cyprianus vix ad ulteriora procedere potuit. Regnum nempe Poloniae tum ex parte Portae Ottomanicae tum ex parte Moscoviae pressum, periculis politicis tum suspensione armorum contra turcas, tum s. d. « aeterna pace » cum moscovitis (1687) obviare satagebat.

Hac tamen periodo Cyprianus se rebus internis Ecclesiae Unitae reformandis dare potuit. Imprimis Ordinem Basilianorum, cuius semper fidelis et optimus erat filius, ad novam vitam et efflorescentiam adducere satagebat. Inde ann. 1683 et 1684,

duobus in Capitulis generalibus, Minscensi et Novogrodecensi, post regimen ultimi Protoarchimandritae (Stephani Martyszkievycz), simplicis monachi, insufficiens sese in Protoarchimandritam Ordinis, quadriennem tantum, eligere permisit, non obstante eius renuntiatione ex anno 1675. Inde incipit illa lucta, per duo fere lustra protracta, Metropolitanam et Ordinem Basilianorum inter, de eligibilitate Metropolitae in Protoarchimandritam Ordinis Basiliani, de iure convocandi et praesidenti Capitulis generalibus nec non visitandi monasteria aliaque peragendi, quae bonum spectant regimen. Quam tamen contentionem Cyprianus anno 1686 et demum anno 1690, s.d. « Nexu » cum ordine Basilianorum constituto, amisit, et simplex monachus iterum iterumque in Protoarchimandritam Ordinis electus fuit, postquam duo ultima Capitula, a Metropolita convocata, Brevibus Innocentii PP. XI nulla declarata fuerunt. Documenta huius periodi ex una et alia parte gravibus scitent accusationibus, et prolixis notantur excusationibus. Hoc tamen nullomodo fuit impedimento, quominus Cyprianus Ordini Basiliano faveret, fundationes monasteriorum procurando et ampliando, de novitiatu bene ordinato et numeroso curando, aliaque peragendo, quae bono regimini Ordinis proficere possent.

Simul cum hac sua activitate Cyprianus etiam de integritate et incolumitate Ritus Rutheni multum insudabat, transitum ad Ritus Latinum impediendo, Liturgiamque meliorando et ceremonias. Typographia sclavonica instituta, Cyprianus, anno circiter 1690-1692, Liturgicum ruthenum nova in forma et ordine edidit, ad instar editionis Liturgici cuiusdam graeci, a Cardinali Nerlio Romae procurati. Huius rei causa commercium habuit epistolare cum insignibus viris rerum liturgicarum peritis, tum Romae tum alibi commorantibus, ex quibus auxilium et consilium exquirebat. Maximam etiam curam habuit de Clero tum saeculari tum regulari educando; unde tum de Basilianorum novitiatu adaugendo, tum de Seminario metropolitano erigendo insudabat, et in missione Clericorum ad Seminaria pontificia semper erat sollicitus, viaticum etiam et reditum Alumnorum aliaque necessaria ex propriis redditibus saepe procurando.

Ultimo anno vitae suae (1693) Cyprianus defensionem iurium metropolitanorum in iudicandis causis suae ecclesiasticae Provinciae intentus erat, nec non per approbationem apostolicam novarum Constitutionum Ordinis Basiliani relationes Metropolitanam et Clerum regularem inter, pro utriusque partis bono, procurabat. Tandem Archimandriam Suprasliensem sibi procurare, ad sublevanda onera Metropolitae, contendebat eamque a Sede Apostolica approbatam obtinuit. Sed laboribus pastoralibus, plus quam per quatuor protractis lustra, exhaustus, anno vitae suae tantummodo quinquagesimo octavo, die vero 26 Octobris a Virginis Partu anno millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Cyprianus Zochovskyj ex hac terrena vita ad caelestem evolavit, Ecclesiamque suam Kioviensem et Polocensem pastore orbavit. Coadiutorem cum futura successione et inde immediatum Successorem, de quo iterum iterumque cogitabat et apud Sedem Apostolicam expetebat, nunquam habuit, cum maximo post eius obitum Ecclesiae Metropolitanae et Polocensis detrimento in temporalibus.

Interim, post fata Cypriani, Protothronius Volodimiriensis, Leo Zalenskyj, administrationem viduatae Metropolitae Kioviensis et Archieparchiae Polocensis assumpsit, lustrationeque bonorum instituta, relationem amplam Romam misit, quae hac terminatur sententia: « Quibus omnibus et singulis nisi suprema Sedis Apostolicae providentia, Serenissimique Regnantis augustissima Collatoria succurrerit protectio, actum est de Metropolia, actum de Unione, et nisi provideatur quantotius futurus Metropolitanus, eiusque honesta subsistendi ratio, non restat aliud quam ultimum Unionis Sanctae in partibus Poloniarum, Lithuaniae, et totius Russiae exterminium ».

Revera, congregatis in unum Episcopis unitis, Administrator Metropolitae, Leo Zaslenskyj, in Metropolitam electus fuit anno 1694, et tandem an. 1695 a Sede Apostolica confirmatus.

Nostra sententia, periodus Metropolitae Cypriani Zochovskyj in historia Ecclesiae Unitae aequiparari potest periodo Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj (1613-1637). Sicut enim antea, postquam Metropolita Hypatius Potij (1600-1613) vix natam Ecclesiam Unitam defendit, et Josephus Velamin Rutskyj eam ab intus et ab exta confirmavit, ita etiam nunc, secunda nempe eiusdem saeculi medietate, postquam Gabriel Kolenda eandem Ecclesiam et unionem in mediis procellarum cosaticarum defendit, Cyprianus Zochovskyj, eius Coadiutor et Successor eam iterum radicavit, sub omni aspectu, interno et externo. Et, his dictis, nobis videtur, eius momentum in historia Ecclesiae nostrae extra omne manere dubium, et, mutatis mutandis, Cyprianus Josepho iuxta poni posse putamus.

## DOCUMENTA BIOGRAPHICA

### I.

*Roma, saec. XVII.*

*Adnotatio contemporanea Superiorum Collegii Graecorum de Urbe de suo olim Alumno, Cypriano Zochovskyj.*

ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica...*, vol. I, fol. 25v-26.

Cyprianus ZOCHOWSKI.

Basilianus:

filius Alexandri et Annae Mogilnicka; ex Ducatu Polocensi.

Ruthenus Albus.

Ingressus 2 martii 1658; aetas 23; studet Logicae.

Insignitus ordine Diaconatus et Sacerdotii die 29 Aprilis 1663.

Philosophiae et Sacrae Theologiae Doctor insignis.

Absolutis philosophiae et Theologiae studiis in utroque laureatus discessit e Collegio 17 augusti 1664.

Archiepiscopus totius Russiae.

### II.

*Roma, saec. XVII-XVIII.*

*Brevis de vita Cypriani Zochovskyj, Metropolitae et Collegii Graecorum de Urbe Alumni, ex manuscripto codice eiusdem Collegii, notitia.*

ARCH. COLLEGII GRAECORUM, Romae, vol. 10: *Historia Collegii Graecor. de Urbe*, P. I-a, fol. 155r-156v.

## DE CYPRIANO ZOKOWSKIO RUTHENO.

Anno a V. P. ЦІОСЛVIII (1658) ineunte, e Russia Romam ad Gollegii Graecorum disciplinam amplectendam Cyprianus Zokowskius iam Basilianus accessit. Ibi que sexennium naturalibus partim, partim vero Divinis addiscendis scientiis impendit. Quo exacto magna cum omnium adprobatione, Laureaque donatus ad fructificandum apud suos remeavit. Rationemque uberrimorum percipiendorum fructuum, verbi divini disseminationem aptissimam ratus, in eam assiduam ac ferventem operam collocavit. Neque illum spes fefellit. Siquidem sapientiae copia, qua pollebat plurimum, dicendique ardore, comitate demum et humanitate inter homines versandi blandissima, brevi obtinuit ut sibi verba faciendi non modo plebei concursus fierent numerosissimi, verum etiam praenobiles doctique viri, quinimo viri ipsi principes, Aulae Re.



giae proceres, et Rex ipse Polonus, frequentissimi ac lubentissimi accederent.<sup>1</sup> Cumque maior adhuc in dies numerus augetur Cyprianum audire summopere cupientium, nec iam voce omnibus praesto esse valeret, regio ipso comitatu hortante atque impellente, potissimas orationum suarum quas habuerat ad populum edendo publici iuris fecit; per quas omnem regionem, communem ad utilitatem vulgavit atque distraxit. Quae dum lectoribus suis summopere arrident, id confecerunt, ut omnium iam unum votum esset, ut scilicet earum auctor, orator tam egregius, tamque proficiuus excelsiorem ad sedem, ut de superiore adhuc loco verba faciens, magis iuaret audientes, extolleretur. Quare instante Gabriele Kolenda,<sup>2</sup> cui Cypriani virtus et merita imprimis respecta erant, primo Vitepsci et Mscislaeviae sacer Antistes est factus, mox ab eodem Kolenda in Polocensi Sede Adiutor cooptatus, Chioviae quoque et Haliciae, ac denique Russiae Universae.

Quibus omnibus in muneribus ac dignitatibus, defuncto Praecessore,<sup>3</sup> bonis omnibus applaudentibus et invitantibus, Cyprianus suffectus est a V. P. septuagesimo tertio post millesimum sexcentisimum. Cuius vestigiis insistent, in deperditis suae ditionis distractisque bonis recuperandis et congregandis multus fuit. Interque, sacram aedem Novogrodecii a Lutheriano viro nobili occupatam, mira dexteritate, auctoritate, atque industria (quod prodigii loco apud rerum peritos extitit) piis romanae doctrinae ac Concordiae cultoribus restituit.

Quanto autem ardore, quo studio, quibus conatibus in opus, Ruthenis sacris Praesidibus maximum, Concordiae cum Romano Pontifice procurandae, rebelliumque reducendorum ad Christi ovile Cyprianus noster incubuerit, innumerabiles ferme populorum coetus in viam salutis adducti, luculentissimo omni tempore testimonio fuerunt. Quibus aureae veluti coronae lucidissimam ac pretiosissimam margaritam Leopoliitanum ipsum sacrum Antistitem,<sup>4</sup> una cum universo suo grege Pastorem praecipuum, ad Christi, Romanique Pontificis eius Vicarii caulam, hactenus aberrantem, adiecit. Etenim hic Antistes Cypriani orationibus, virtute, exemplis, ac potissimum humanitate, ac mansuetudine delentus, a perduellium partibus, a quibus steterat eousque, illustrissimo caeteris exemplo, sese divulsit, et sanam Cypriani doctrinam amplexus, Romano Pontifici debitam, publice, et constanter obedientiam professus est.

His artibus Cyprianus omnibus charus, omnes Christo lucrifecit, illumque vel maxime quique sacrorum Antistitem potentissimique regalium procerum, tanquam virum, non dignitate solum et auctoritate colendum, verum pietate, scientia, charitate, ac omnium maxime modestia, comitate, mansuetudine spectabilem, semper venerati sunt.

<sup>1</sup> Joannes Casimirus (1648-1668), et Michael Korybut Wisniowiecki (1669-1673).

<sup>2</sup> Metropoliita Kioviensis (1665-1674).

<sup>3</sup> Gabriel Kolenda obiit die 11 Februarii 1674.

<sup>4</sup> Josephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis (1676-1708).

**EPISTOLAE CYPRIANI ZOCHOVSKYJ BASILIANI,  
ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS, EPISCOPI VITEBSCENSIS  
METROPOLITAE KIOVIENSIS**

(1670 - 1693)

---

1.

. . . . . 1670.

*Relatio amplissima Cypriani Zochovskyj, Abbatis Dermanensis, de s. d. Commissione Ostrogiensi ad pacem ineundam cum Cosacis et de defensione iurium et privilegiorum Ecclesiae Unitae.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 29-39

**RELATIO COMMISSIONIS OSTROGIENSIS PER ME CYPRIANUM ZOCHOWSKI,  
OSTROGII TUNC PRAESENTEM, CONSCRIPTA.**

Cum ex Mandato Ill.mi et Rev.mi Domini Galeazzy Marescotti,<sup>1</sup> Nuntii Apostolici, 28 Aprilis Anni praesentis 1670 Varsavia discessissem perveni 8 Maii Ostrogium,<sup>2</sup> septuaginta quinque emensus milliaria.

Ostrogium Civitas schismatica est, ac proinde arridebat consiliis Cosacis vehementer, et Unitis vel ipsa habitatio vix patebat, nisi sub pallio Archimandritae Dermanensis, (Archimandria haec tribus leucis Ostrogio distat) qui situm et locum habitationis in hac Civitate habet, accessissem toties, quoties veniebant Nuntii, vel Commissarii Cosatici.

In adventu meo Ostrogium iam reperi omnes Commissarios nostros Catholicos, Cosatici vero et praecipue rebellis illius Doroszenko,<sup>3</sup> qui et requisivit hanc Commissionem cum suo Pseudo Metropolita Tukalscio<sup>4</sup> pro tollenda penitus Unione et exdividendo Principatu Russiae, expectabantur.

Interim 2 Maii venit Nuntius a dicto Doroszenko cum Literis ad D. Palatinum Czernihovien., supremum Commissionis Ostrogiensis arbitrum. In quibus petebat Doroszenko praefigi sibi tempus congressus desiderabilis, et adventus ex sua parte Cosacorum Commissariorum; non enim putabat diebus Maii descensuras utrasque

---

<sup>1</sup> Galeazzo Marescotti, Nuntius Varsaviensis (1668-1670).

<sup>2</sup> Civitas in Provincia Volhyniae, sedes Eparchiae Ostrogiensis, Eparchiae Luceoriensis unitae.

<sup>3</sup> Petrus Doroszenko, Dux Cosacorum (1666-1676), qui tunc temporis protectionem accepit Portae Ottomanicae.

<sup>4</sup> Iosephus Tukalskyj, Metropolita Kioviensis non unitus.

partes ad tractandum, quin potius optabat diebus Iunii principium tam sancto consilio daturus. Responderunt nostri D. Commissarii, quod iam diu exspectent, et mirantur cur non veniant? Sic expeditus et viatico provisus Nuntius fuit 25 Maii. Iam secunda vice mittit Doroszenko Tabellarium suum cum Epistola, ubi requirebat apud Dominos Commissarios Reipublicae Communicationem Instructionis Varsaviae formatae, et DD. Commissariis nostris pro Commissione Ostrogiensi conceditae. Responderunt nostri DD. Commissarii: Non aliam ipsis instructionem esse a Rep.a conceditam nisi postquam Ostrogii utraque pars comparuerit, quaerant DD. Commissarii omnes modos pro pacificanda Ukraina, in praetentionibus et desideriis eius; sic dimissus et bono pariter viatico provisus fuit dictus Tabellarius.

Instructio porro secreta Varsaviae pro aliquot DD. Senatores et ex (f. 29v) Ordine Equestri Deputatos fuit formata talis. Tres modos in Puncto Unionis, ne tolleretur, inire iusserunt. *Primo*: Dicerent Commissarii quod non poterant in ruinam consentire Unionis sine consensu Sedis Apostolicae (tunc autem Sedes vacabat) ac proinde circa Politicum tantum componendum erat; *Secundo*: Ita sint res Unitorum et Disunitorum quemadmodum ante bellum Cosacicum, ante 20 annos, fuerunt Uniti et Disuniti. Certo enim Uniti melius habebant ante bellum Cosacicum, quam intra hoc maledictum bellum, ubi per Pacta Zboroviensia, Vladislaviana, Hadiacensia et varia pacta, rescriptaque Regia notabiliter vulnerata Unio fuit; *Tertio*: Si nec primo, nec secundo contenti erunt Cosaci modo, reassumantur Pacta Hadiacensia Anno 1659 cum Cosacis conclusa, idque non scripta, sed typo edita. Nam in scriptis Pactis penitus decretum est tollere Unionem, tam in Polonia quam in Magno Ducatu Lithuaniae; Ubi locus in Senatu Schismaticis Episcopis et Metropolitae eorum decernitur. Cautè vero et fere nunquam Unionis fit mentio, sed mere aequivocis verbis involvendo tantum nomen Religionis Graecae; typo sunt edita dicta Pacta Hadiacensia. Ita Punctum Unionis fuit insertum Instructioni. Hic ego Varsaviae a DD. Senatoribus et Equestris Ordinis Deputatis fui vocatus, ut redderem rationem Iurium Unionis, quae omnia mature praeparata oratione ostendi, legi, enucleavi, deduxi; ita, ut post hanc Informationem formata fuerit tribus modis constans Instructio, circa Punctum Religionis, ut supra.

Reliqua continebat Instructio: denegandum esse Principatum Cosacis, ad primaeum reducendos statum, nec ullo pacto concedenda ipsis aequalitas cum Nobilibus Regni, nisi quod antiquae libertates ipsorum reassumantur. Ultimus favor, qui debuit declarari ipsis, erat hic: nempe ut bona Regalia, quae erant in Ukraina, cederent mansioni ipsorum, non autem bona Nobilium, nunc exulum.

6. *Iunii*. Iterum Nuntius Doroszenkoviensis accurrit Ostrogium, dicens velle iam Commissarios Cosacos venire, dummodo DD. Commissarii Reip. de gremio sui (et haec fuit prima salus Unionis, alii enim regebant cum Doroszenko, alii cum Chanenko)<sup>5</sup> darent duos Senatores Castellaneos, unum Brestensem, alium Chelmensem Obsides, quae commutatio secunda vero s... Missio inter ipsos pacta (f. 30) erat dare Senatores pro Rusticis Cosacis? Dominos pro subditis! In eadem Epistola continebatur Instantia, quam faciebat Doroszenko in haec verba: Dummodo hanc perfidam tollatis Unionem, quae neque est Religio Latina, nec Graeca, sed tantum est pugna, et lis perpetua inter Nos Cosacos, et Remp. Ergo restituitis nobis Episcopatus, ac

<sup>5</sup> Michaël Chanenko (1669-1674), centurio humanensis, qui tunc temporis gaudebat protectione Poloniae, et Petro Doroszenko supremam auctoritatem Cosaccorum adimere contendebat.

universas Ecclesias illorum. Ultimo tandem, detis duos Obsides, Castellanos, Bre-stensem et Chelmensem. Illa eadem hora qua venient Commissarii mei, concludent desideratam Republicae pacem. Ad haec DD. Commissarii Reip. dixerunt, se non posse dare Obsides, sine consensu Sacrae Regiae Maiestatis, et Senatus consulto speciali; ac proinde hac super re scripturos ad S. R. Maiestatem. Circa Unionem vero facturos Colloquium, quando venient Commissarii Cosatici. Hunc Missum dimiserunt, et ad Serenissimum scripserunt. Qui respondit: Non esse dandos absolute Obsides, Juramentum praestandum super salvo conductu Cosacis.

N.B. — Caeterum, ne quid Sancta Unio detrimenti patiatur addidit Piissimus Princeps, instinctu Illustrissimi Domini Marescotti, Clausulam.

Hic ego caepi iam triumphare, et statim de hac Clausula fui certioratus, quaerebam tamen modum pertrahere corda Commissariorum in mea sensa, nec potui statim allicere, excogitavi occasionem quandam; Justa persolvendi Domino Terlecki, Episcopo Praemyliensi,<sup>6</sup> et hac opportunitate adinventam, invitavi omnes pro convivio funebri. Ex alia parte viderunt DD. Commissarii tunc nihil habere ad agendum, venerunt omnes ad Archimandriam Dermanensem, in solitudine sitam. Post exequias et concionem per me ad corpus defuncti habitam, excepi illos omni apparatu et opulentia, una cum famulis et duobus vexillis militum, eos stipantium. Summum posthac erga me, et Unionem Sanctam conceperunt affectum, ita, ut quando veni Ostrogium, statim pro custodia mei duos Sclopentarios, portae domus meae haerentes, assignarunt. Rumpabantur invidia quando viderunt. Ita enim convenimus cum PP. Societatis Jesu in ipsa Octava Corporis Christi, me deferre Venerabile, deducentibus ad Commissarios. Nihil aliud dicebant: Nos expectabamus per Commissarios Reipublicae ruinam Unionis, et ecce Unitus defert (f. 30v) Eucharistiam Latinam et ducitur a Commissariis.

Post aliquot dies discessi Ostrogio, ut celebrarem Festum Miraculosae Virginis Sanctae Parasceves, in mea Villa Dermanensi, ubi ad 10 millia hominum confluxere, maior pars Schismaticorum fuit, non pauca Cosacorum. Omnes hi miraculoso fonte Virginis huius excitati, decima septimana post Pascha, die Veneris huic Virgini Sacra concurrunt illuc, et quia Locus ille et Lucus Sacer ad Unitos spectant, plane Sanctissima illa Virgo Parasceves, sub tempus atrocissimae contra nos persecutionis, voluit sanatione trium Caecorum, duorum Energumenorum (quod hisce oculis vidi, et est testis in Caelo fidelis) probare veritatem Unionis, quod palam concione habita coram toto illo populo deduxi, addendo, quod haec miracula patrantur in loco ad Unitos spectante; Viderent, quod Unitos DEUS non derelinquat, sed confirmet fidem ipsorum esse veram, catholicam, Romanam, prodigiis, ac testimoniis nimis credibilem factam, nec proinde evelli posse Unionem. *Alius etiam* alliciendis ad res Unionis non defuit modus DD. Commissariis, nempe intra illud tempus quando vacabant, invitare illos ad Archimandriam Dermanensem cum famulitio. Hinc Lithuani Commissarii, utpote non habentes receptaculum, nec propriam prope Ostrog villam, libenter magno comitatu veniebant Dermanum, et quandoque integras duas septimanas meis sumptibus una cum toto equitatu victitabant. Interim ego animabam illos pro tuenda Unione, si quando Congressus Cosaticus celebraretur. Illi vero devincti hac notabili hospitalitate, tacto pectore promittebant, se non tradituros animas Sanctae Romanae Ecclesiae addictas, bestiis; imo rupturos Actum Commissionis super Punctis praeiudiciosis Unioni. Non semel quoque iisdem Dominis Commissariis Lithua-

<sup>6</sup> Antonius Terleckij, Episcopus Peremyliensis unitus (1662-1669).

nis subministrabam victualia Ostrogium, et curabam accenas pro equis, panes pro famulis, aliaque subvehere esculenta. Hac ego de more gentis dum expugnavi corda ipsorum humanitate, dexteritate, facile deinde obtinebam secretas praecautiones ipsorum per Epistolas, quid nimirum consulebatur de nobis, quid scribebatur (f. 31) a Tukalscio nequam contra Unitos. Erat enim mirabile quod hic Pseudo Metropolitae eorum nunquam oblivisceretur Unionis, sed in omnibus secretis, publicisque per Tabellarios Doroszenkovianos epistolis, tollendam penitus penitusque clamitaret Unionem. Archimandriam Leszczynensem restituendam, quam ante biennium vindicavi Unioni, et cuius ipse Tukalscius per Cosaticam olim potentiam iniquus Possessor evaserat, Ecclesias pariter Belzenses supra centum non ita pridem a Domino Jacobo Susza, Episcopo Chelmensi vindicatas, reddendas.

Mihi tamen summo solatio fuit Clausula Serenissimi apposita: *ne quid Sancta Unio detrimenti patiatur*; hanc ego inculcabam saepius DD. Catholicis, dicendo, non debere illos inferre vel in toto vel in parte praeeudicium Unioni, alias ex defectu legitima potestatis, omnia nullitati subiacebunt, et iam paratam esse Protestationem confectam ab Illustrissimo Domino Marecotto, Sanctae Saedis Apostolicae Nuntio, quae casu praeeudicii inferendi Unioni, illico praesentibus Dominationibus Vestris, praesentabitur. Sed et mearum partium duxi, suggerere illis modos componendi Puncta Unionis, ut infra patebit, modo vero

Protestatio illa huius tenoris erat.

Illustrissimi Perillustres atque Magnifici Domini. Pretiosum Salvatoris Nostri Jesu Christi sanguinem pro animarum redemptione uberrime fusum, nedum aeternam credentibus salutem, sed et Regnis Provinciisque quae suavi eiusdem amantissimi Redemptoris iugo colla submittere, diuturnam felicitatem, et pacem comparasse, notum Orbi universo, atque perspectum est. Ex hoc saluberrimo Divini Cruoris fonte, quod ditata fuit Ecclesia, assiduisque illustrata miraculis, prout et ex Caelestis spiritus afflatu, prodiit Principum aliorumque Christi fidelium pietas, quae Sacras toto Orbe excitavit Basilicas, Ecclesiasticas Dignitates erexit, Beneficia fundavit, eorumque bona nec non Divino Cultui addictos Ministros privilegiis immunitatibusque quam (f. 31v) pluribus auxit. Ut nimirum ex hoc cuncti palam fieret, Vineam Domini suo irrigatam sanguine, et ad sacros destinatam usus, tanquam Christi Patrimonium profanis contrectari manibus, inter saecularia bona censi, distrahi, atque ad manus Haereticorum Schismaticorumque, quos ex haereditate Christi pasci et impinguari, in perniciem fidelium, a catholica pietate ad fundatorum mentem nimis alienum est, transferri, omnino nefas esse. Quapropter cum Apostolico Nuntio in hoc Regno et Magno Ducatu Lithuaniae degenti, non sine gravi animi sui maerore innotuerit, Ill.mas, Perillustres atque Magnas Dominationes V. inter Pactiones, in Congressu cum Cosacis habendo, ineundas, quaedam velle ex eorundem impulsu discutere, et successive apponere Puncta, quae Sanctae Unionis Ecclesias, earumque bona respiciunt et Graeco-Romano Unitorum Juribus aliquod possint praeeudicium parere, quod profecto ut in fomentum Schismatis, ita sensim in destructionem Status Ecclesiastici cuncti tenderet, et in aeternae salutis discrimen tot animas Christi cruore redemptas adduceret. Ex quo ortum est, ut licet omni conatu alias haec studuerit Respublica, publicae quietis amore, Cosacos omnium postulatorum, quamvis Sanctae Unioni perniciosissimorum, voto compotes reddendo, ad Primatum Obedientiam trahere, attamen ipsi a perduellione nunquam recesserint, DEO id ob derelictam ipsius Causam, et spreta Sanctae Unionis Jura evidentissime operante, Apostolicus idem Nuntius partes adimpleat utque mala quae hac de Causa ex iusta aeterni Numinis indignatione, ob posthabitam humanos propter respectus ipsius Causam, exoriri forsitan possent, pro viribus avvertat, Ill.mas,

Perillustres et Magnas Dominationes Vestras, in visceribus Crucifixi Domini obtestatur et rogat, ne quidquam prorsus peragant, aut peragi, statui, vel decerni sinant, quod minima etiam ex parte Iura Catholicae Romanae Ecclesiae et Sanctae Unionis laedat, aut illis eiusque bonis, et Catholicis Unitis quomodolibet praeiudicium inferant. Alias coram DEO et Catholico Orbe protestatus est, et protestatur de invaliditate omnium et singulorum Actuum, Pactionum, et Decretorum, quae materiam Religionis, aut iacturam Sanctae Unionis, illiusque Jurium, Personarum, bonorumque ecclesiasticorum quoquo modo respicient, nedum ex defectu legitima potestatis, sed omni alio meliori modo.

G. Archiepiscopus Corinthi, Nuntius Apost.cus.

Sequitur Informatio mea, quibus modis in Congressu cum Cosacis debeant se gerere Domini Commissarii (f. 32).

*1mo:* Ipsi Cosaci in supplicationibus suis quandoquidem volunt duas tantum religiones, unam latinam sub Pontifice Romano, aliam graecam sub Patriarcha Constantinopolitano. Posset hoc contingere quod Pontifex persuadeat Unitis transitum ad Ritum Latinum; quod quia indiget tempore, et deliberatione, suspenso hoc Puncto, Politicum interim componatur.

*2do:* Ipsi pariter Cosaci requisiverunt ad Punctum Religionis sopiendum pro Mediatore supremo Ducem Moschoviae, modo vero cum non adsit ulla Deputatio a Duce Moschoviae, in aliud tempus negotium hoc Religionis reiiciendum. Interim Politicum componatur.

*3tio:* Id habent barbarae de more gentes, ut neminem condemnent non auditum, multo magis catholica et christiana haec Respublica considerare debet, quomodo non auditos nec convictos Unitos debet pellere Ecclesiis, bonis, domibus propriis. Reservetur ergo Punctum Religionis pro alio tempore, quo vocabuntur Uniti. Interim Politicum componatur.

*4to:* Uniti quoque sunt admissi ad Jura, Privilegia et Immunitates huius Republicae; Et Serenissimus Rex sacrosancte iuravit illis per Pacta Conventa, se servaturum dicta Jura, ac proinde infringi haec temeritate nequeunt. Esset hoc leges et constitutiones Regni per consensum omnium Ordinum in Comitibus latas, et roboratas, tollere. Et quae iam Lex tuta esset in posterum? Ergo Politicum componatur, absentibus nunc Unitis.

*5to:* Tollere Unionem sapit novam in Republica perturbationem. Nam et Uniti sunt potentes, cum numerent quindecim millia Ecclesiarum, nec adeo facile sinerent se privari bonis. Quid ergo maneret? pro expellendis Unitis sumere arma catholica. Et sic Catholici pellerent Catholicos, haereat id considerationi VV. Dominationum.

*6to:* Ad Garamantas permittendum est a Republica Schisma in Ukraina tantum, eo pacto quo DEUS permittit peccata. Sed Unio per Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Lithuaniae bene radicata, quomodo propulsari potest? Et quid, quaeso, Cosacis in Ukraina manentibus cum Unitis, longe lateque per Poloniam et Mag. Duc. Lithuaniae habitantibus? Ergo promoveant Cosaci proprium Politicum Interesse et Religionem suam disuniticam in Ukraina, non vero descendant ulterius.

(f. 32v) *7mo:* Pacta Hadiacensia iam sunt revocata Anno 1661, per certum scriptum ad Archivum datum, ubi Respublica secretiori consilio inito, revocavit omnia in praeiudicium Unionis lata. Nec proinde modo reassumenda dicta Pacta, sed Politicum componendum.

*8vo:* Convocatio proxime praeterita sub tempus Interregni Anno 1668, die 5. 9bris celebrata, perpetua lege cavet ne Unitis liceat apostatare a fide, quod certe fiet si Commissio Ostrogiensis in ruinam Unionis consentiet; Nam multi Uniti et praecipue

plebis numerus innumerus, apostatabit ad Unionem, et sic contra legem quam ipsi tulistis.

*9no*: In Ecclesia Occidentali sunt Monasteria immediate Episcopis subiecta, sunt quoque Monasteria Sedi Apostolicae immediate subiecta. Ergo et ex Ruthenis, qui vocantur Uniti, dependeant immediate a Romano Pontifice, qui vocantur Disuniti dependeant immediate a Patriarcha, concordando in articulis fidei.

*10mo*: Supposita concordia in articulis, Metropolita in Missa faciet commemorationem Romani Pontificis, post faciet Commemorationem omnium Patriarcharum tali modo; *Memento* Domine Patriarcharum Orthodoxorum, quos honoratos, salvos, longaevos, verbum veritatis tuae bene tractantes tuis Sanctis Ecclesiis largire.

*11mo*: Invitare Patriarcham Constantinopolitanam e Graecia in Russiam, qui agat Mediatorem inter Unitos et Disunitos, qui iuxta disponentia a Serenissimo Rege adinventum doceat, docere iubeat, qui pro Romano Pontifice in Missa faciat Commemorationem dicendo: *Memento* Domine Sanctissimi Papae.

*12do*: Transferre Sedem Constantinopolitanam e Graecia in Russiam, relicto ibi titulo Exarchae; ab exemplo: Mansit annis 70 Romanus Pontifex Avinionae, maneat Constantinopolitanus in Russia.

*13tio*: Obtinere a Patriarcha Constantinopolitano resignationem Juris, quod ille praetendit in Ruthenos, exemplo Moschovitarum.

*14to*: De dependentia immediata a Patriarcha Constantinopolitano, de dependentia mediata a Romano Pontifice, de mittenda Professione a Patriarcha ad Serenissimum. Iste modus videtur esse bonus.

1mo: Nam nullum Motivum temporale ingreditur.

2do: Hic modus non derogat Summo Pontifici.

(f. 33) 3tio: Hic modus quia pro Patriarcha placet Disunitis.

4to: Hic modus cogit Patriarcham sic credere et non aliter.

5to: Hic modus importat dependentiam Patriarchae a Romano Pontifice.

6to: Hic modus in occasione quod Patriarcha noluerit mittere Professionem ad Serenissimum Regem, subiciet Ruthenos immediate Summo Pontifici.

7mo: Hic modus infert approbationem Professionis Patriarchae, quae vel per Illustrissimum Nuntium vel per Summum Pontificium peragi debet utcunque in rem Ecclesiae.

Addo:

1mo: Tenebitur Metropolita semper in Missa orare primo pro Romano Pontifice, post pro Patriarcha, si miserit professionem iuxta Puncta concepta, quolibet sexennio ad Patriarcham scribet, se sic credere, rogando reciproce, ut ipse fidei suae formulam mittat, et in hoc sufficiat immediata dependentia a Patriarcha.

2do: Metropolita Nominatus faciet professionem fidei coram Ill.mo Nuntio, pro Pallio mittet Romam, quolibet sexennio dabit rationem Regimini accessus ad Ecclesiam.

*15to*: Patriarcha Moscoviae dicit se esse Patriarcham totius Russiae. Ergo si recurrendum ad Patriarcham hunc, inter Graecum et Moscovitam nulla differentia.

*16to*: Uniti pariter per annos septuaginta, ex quo reddiderunt Clementi VIII obedientiam,<sup>7</sup> magnas fundationes, ecclesiarum erectiones, bonorum incorporationes ob-

---

<sup>7</sup> Die 23 Decembris 1595, quam postea in Synodo Berestensi, Mense Octobri, anno 1596, omnes ratam habuerunt.

tinuerunt, quae certe nullo pacto concernunt Schismaticos, nec item Latinos, quomodo his possunt privari? Et quia non possunt, Politicum componatur.

*17mo*: Propter nullum bonum est faciendum peccatum nec veniale, nec mortale. Vestrae autem Dominationes volunt tollere Unionem, quod est gravissime peccare, ad hoc ut fiat pax in diebus Vestris, quam ego non tantum non promitto, sed, utinam falsus vates existam, subruta Unione, subruetis et tranquillitatem et Regnum. Quod non fecit sola Ukraina Schismatica pro sua hactenus secta Phociana? dilatent tantum hanc Sectam per Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Lithuaniae, adimendo nobis, illis vero dando, Ecclesias et beneficia Unitorum, videbunt, quod detrudent Dominationes Vestras soliis, honore, aris focusque.

*18vo*: Viderint DD. VV. an deceat pro lucris temporalibus, ut nimirum possint VV. Dominationes ad suas villas in Ukrainam redire et patino terrae frui, gloriam Dei et Ecclesias Unitorum annihilare. Et quis assecurat DD. VV. quod iam stabiliter in illis villis, sublata Unione, permansuri estis? Profecto pro incertis haereditatibus et possessionibus, certa pernicies Unioni non est intentanda.

(f. 33v) *19no*: Quapropter nolint Dominationes Vestrae in hoc puncto ex defectu legitimaе potestatis apponere manus, sed si apponitis, non descendite ad ulla specialitates, vel restitutiones Ecclesiarum, vel specificationes aliquas huius nominis: *Unio, Uniti*, sed generalibus idque aequivocis Punctum Religionis componite terminis, dicendo, sint ita res Religionis Graecae quemadmodum ante bellum Cosaticum fuere. Pacta Vladislaviana, utpote perniciosissima Unioni, per omnia Sacra obtestor DD. Vestrae, non reassumantur, neque Commissioni inserantur.

*20mo*: Ultimo tandem, miseremini Unioni, si non propter rationes aeternas, ac saltem propter rationes temporales. Quia videlicet ex Unitis nunquam rebellio in hac Patria fuit, ex Schismaticis vero semper, et quia Uniti vindicando ecclesias et bona proprio sanguine eviscerant et consumunt in dies Schismaticorum potentiam, et quandoque tandem consumunt. Est enim verum quod Ephraim rodit brachium Manassis. Sed Manasses Ephraim consumit et consumet.

Haec ego, pro debito et tenuitate ingenii mei, proponebam in Colloquiis DD. Commissariis nostris, proposita per copias distribuebam, ut saperent et intelligerent.

Mirabile quid intra Mensem Iunium Ostrogii contigit. Venerat quidam Tatomir, Monachus Schismaticus, nomine omnium Schismaticorum Volhyniensium, volens occulte (casu quod venissent) informare Cosacos contra Unitos, eorumque beneficia. Vehementissime praesentia eius me perstrinxit. Timebam enim et salutem meam, ne illius instinctu Cosaci, quandoque inopinato me domi aggrederentur. Omnia enim tunc liceret ipsis, dummodo Commissio concludatur. Ex alia parte omnes meos labores et sumptus hactenus pro alliciendis DD. Commissariis in cassum abituros, si dictus Tatomir informet, accendat Cosacos, ad tuendum pervicaciter hoc Punctum tollendae Unionis. Primo ergo petii a Domino Palatino Czernichoviensi, quatenus relegaretur Ostrogio dictus Monachus. Respondit ille, se non habere placidum et suavem relegandi modum. Interim adverti illum cum DD. Commissariis et aliis Nobilibus saepe saepius lusitare chartas lusorias, et lucrari pecuniam. Hanc ego per tertias Personas (f. 34) subministravi uni ex Nobilibus, ut liberaliter luderet cum ipso, et casu victoriae aut damni, urgeret continuationem ludi, quod si renueret Monachus ille ludere, exciperet ipsum bene, certe ob hanc infamiam abscedet Ostrogio, ita factum. Cum Nobilis ille octingentos florenos iam perdidisset, et in defectu pecuniarum volebat continuare lusum, ille vero Monachus non credebat ipsi ad nuda verba, tandem praenominatus Nobilis sic horrende excepit pugnis, postea obversa securi sic deformavit faciem eius, ut summo mane nullo salutato inglorius abscesserit Ostrogio. Et sic fe-



liciter Commissio mea contra hunc Schismaticum executata ac peracta. Inscio tamen, usque ad hunc diem ipso.

Decima 4ta Iunii mittunt consulto speciales epistolas, non iam Doroszenko, sed triginta Cosaci, Commissarii Doroszenkoviani, persistendo in eodem pertinenter Puncto, nimirum dandos Obsides requisitos; illos vero non modo adventare sed advolare Ostrogium paratos. Responderunt DD. Commissarii nostri, de Obsidibus dandis non habere mandatum Sacrae Regiae Maiestatis, Juramentum salvi conductus se velle praestare, quapropter accedant secure Ostrogium, tanquam filii ad suos Patres.

Omni tamen conatu, expensis adhibitis, ac exploratoribus missis, voluerunt scire DD. Commissarii cur tam obstinate Doroszenko et Tukalscius requirant Obsides, tandem qui latuit, prodiit anguis; voluerunt ambos illos Castellanos Senatores praesentare in donum Magno Turcae, et dicere ipsi: Ecce nos fideles subditi tui nolimus cum istis Tyrannis Poloniae tractare, quocirca dandas esse nobis suppetias contra ipsos, libertates Ukrainae ad modum Principis Valachiae, Moldaviae concedendas; etiam passim spargebatur Doroszenkum idem tenere cum Turca, ac Insignia Vasallis solita mitti accepisse Byzantio, Tukalscio per Turcam promissam esse Patriarchiam Constantinopolitanam, casu totalis deditiois Ukrainae.

9na Iulii. Iterati Commissarii Doroszenkoviani triginta leucis Ostrogio distantes, pro Obsidibus mittendis instabant, caeterum dummodo dicti Obsides mitterentur, faustissima quaeque ominabantur Commissioni. Responderunt Domini, quod iam tempus esset sopiendi illas diffidentias antiquas, et confidentiam erga nos filialem renovandi. Utique (f. 34v) recordantur quando Commissarii Reipublicae tranctabant Pacta Hadiacensia vobiscum, in centro Ukrainae, sine ulla requisitione Obsidum, hic vero Ostrogii non adest exercitus Reipublicae, sed soli nos Commissarii eius manemus, quis porro insidiabitur saluti vestrae. Venite tantum qua Epistola, qua tacto pectore, salvum conductum in accessu et reditu praebebimus vobis.

Nuntiatur hic a Serenissimo, venisse Varsaviam Legatos missos a Chanenko (olim Notario Exercitus Zaporosiani nunc Superiore eiusdem exercitus), qui advertens quod Doroszenko ad Turcicum se conferat obsequium, ille cum vero ac valido exercitu seu Milite Zaporosiano redit ad obsequium Sacrae Regiae Maiestatis, Domini sui Haereditarii, nec redire potest nisi in Commissione Ostrogensi commode desiderii Ecclesiae, desiderii suis et praetentionibus totius Exercitus satisfiat. Accurri statim ad Commissarios nostros et vidi Instructionem ipsorum per Copiam a Serenissimo missam. Ubi in Puncto Religionis idem sentiebant cum Doroszenko, plane uniti erant contra Unitos. Tolli ergo Unionem, restitui ipsis Ecclesias supplicabant. Circa Politicum vero rogabant, non exdivisionem Principatus, non Obsides, sed conservationem antiquorum ante bellum Iurium, suppetias contra reum maiestatis Doroszenko; Insignia belli mitti, Chanenkum in Ducem Zaporosiensium Exercituum creari etc. ut patebit ex Contextu Commissionis. Inaudivi tamen illos valde indigere pecunia, et summa laborare inopia, ita, ut Rex debuerit vestes aliaque necessaria providere ipsis et mittere Ostrogium.

Missi Ostrogium Commissarii Hanenkoviani, qui dum expectarentur, ecce 25 Iulii nuntiatur venire Commissarios cum Literis Credentialibus a Doroszenko; laeti proinde nostri DD. Commissarii, humaniter excipiunt et in secreta Sessione illos duriuscule alloquuntur: Cur tam perfide tractant cum Republica? an nescimus quod Doroszenko sit a partibus Turcicis? quod Obsides nostros tradere velit in donum Turcae? expalluerunt nec hiscere valuerunt. Tandem iussi loqui: Retulerunt se esse fidelissimos Reipublicae, sed persistere adhuc in rogandis (f. 35) Obsidibus, ideoque missos huc esse. Soluta Sessione excepti lautissimo prandio, cui et ego interfui ex-

piscandi gratia, sed Secretarius Tukalscii, Metropolitanae eorum, tunc praesens cum Cosacis Commissariis, cognovit me, et insurravit ipsis: Me esse bonum et valde faventem amicum Domino suo Tukalscio. Finito convivio, allocutus est me unus ex Commissariis Cosacis: Cur spargitis (vos Uniti) sanguinem nostrum et Reipublicae, melius est uniri nobis et Sedi Constantinopolitanae. Ecce habebitis statim omnes libertates, divitias magnas, locum in Senatu, et coalescemus in gentem magnam. Respondi ita, ut audiverint etiam nostri Commissarii: Nos non spargimus vestrum sanguinem, sed tantum numeramus aliquot centena Sacerdotum unitorum sub tempus Cosatici belli pro Unione occisorum. De Unione cum sede Constantinopolitana non cogitamus, citius Ecclesias nostras convertemus in latinas quam nobis vel unicam eripi sinamus. Ideo audacter loquebar, quia sciebam, iam Doroszenkavianos non venturos pro Commissione, sed tantum ludere et illudere.

Ad epistolam tamen responderunt DD. Commissarii; Siquidem non Respublica hanc Commissionem requisivit, sed Doroszenko cum suis sequacibus toties et toties supplicavit pro ea, aequum est, ut veniant Ostrogium sine ullis conditionibus aggravantibus Commissarios Reipublicae. Nam unusquisque ex nobis dicit: Ego non sum assignatus pro Obside, sed pro Commissario, ut hic consilia ineam pacificandae Ucrainae. Cum his dimissi non amplius comparuerunt Ostrogii, imo tentabant expugnare fortalitium *Biala Cerkiew*, sed irrito conatu; quia et Praeses forlatitii egregie se defendit, et suppetiae, 40 Vexillis nostri exercitus constantes, opportune supervenere ita, ut audito et viso nostro exercitu fugerint statim tam Cosatici exercitus, quam triginta illi Commissarii destinati a Doroszenko.

Aderat 25 Augusti dies, quando et nostri Domini Commissarii et illi a Chanenko missi adunati Sessiones suas celebrare instituerunt, ac in primo quidem aditu finxerunt se esse rudes et idiotas viros, nihil scire praeter (f. 35v) hanc Instructionem, quam ferebant, nec velle discutere Puncta Instructionis, tam illa quae erant ratione Unionis, qua ratione Immunitatis, sed tantum hac ratione venisse Ostrogium, ut Puncta eiusmodi a Dominis Commissariis nostris pro ratis et lege roboratis haberentur, addereturque executio efficax.

Responderunt nostri Domini (fuerunt enim concordēs in tuenda Unione) esse gravissima Puncta Instructionis ipsorum Cosaticae, et procul dubii longa indigere deliberatione.

Diversimode in variis Sessionibus subterfugiebant discussionem Puncti Unionis.

Tum ego accessi Dominos Commissarios petiturus consilium: An possim solus extraordinario modo licentia super eo et facultate a Vestris Dominationibus mihi data tractare cum Cosacis, et domi meae prandio eosdem excipere, tum etiam muneribus, (quae placant Deos hominesque) has bestias quaestuosas pertrahere et allucere.

Annuit desideriis meis Dominus Palatinus Czernichoviensis, reliquis hoc idem sentientibus.

Misi itaque statim ad illos invitando Domum meam (ubi iam erat omnis convivii apparatus), quibus prima invitatio sufficiebat. Nam intra breve spatium omnes (f. 36) ad me convenere, suo quoque unusquisque ex primariis succinctus famulatio. Hos ego extemplo obvius salutavi tam meo nomine quam nomine Nepotis Domini Chanenko, Ducis ipsorum. Est hic Nepos in Religione nostra, Sanctaeque unitus Unioni, et non ita pridem suo peracto studio Roma redux. Alebatur ibi sumptibus et impensis Rev.mi Domini Episcopi Chelmensis,<sup>8</sup> vocaturque *Samuel Pilichowski*.

<sup>8</sup> Jacobus Susza (1652-1686).

Libentissime audierunt de ipsius salute et ingressu pariter in Religionem nostram.

Hic ego captavi opportunam occasionem ingerendo haec vel similia verba, quibus possim ipsos inhumanitatis arguere. Cur ergo hanc Religionem persequitur Dominus Chanenko, in qua degit ipsius Nepos et cur vosmet ipsi persequimini eandem, quam uti video veneramini?

Negarunt se persequi Religionem et Unionem, imo hoc in melius facimus, quia cupimus ex animo ut vos omnes honoratiores eo ipso habeamini, quando in unum coalescetis, fietesque unum cum nostris Ecclesiasticis. Equidem adverti illos esse non adeo malitiosos, sed prorsus ab bonum propensos et promptos viros, nisi forte quod perversis Sycophantarum Graecorum doctrinis imbuti paulo tenaciores suae Sectae viderentur esse. Unum illud prandium et collocutio seorsiva, et dona unicuique eorum seorsim in quantitate Ungaricorum distributa, totum confecerunt negotium.

(f. 36v) Et iam post hanc mecum conversationem, in Sessione, quisque eorum bene affectus erga res Unionis comparuit. Imo illa die bene apud Mepoti dicebant: Quid nobis ad ecclesias Vestras? det nobis Respublica libertates, quas praetendimus, gabellis, oneribus ac militum hybernis perpetuo nos liberet. Hoc solo contenti abscedemus Ostrogio. Ergo iam assensum dederunt Cosaci nostris Dominis Commissariis super formando Originali Commissionis omni meliori modo, et praecipue Punctum libertatum ampliandarum leviter non postponi rogarunt. Gnarus bene harum Commissionum Dominus Palatinus Czernichoviensis, dum esset in actu ipso scriptiois, accessi illum et scripturam Commissionis mihi communicari expetivi. Praesente igitur me et R.do Patre Rectore Societatis Iesu Collegii Ostrogiensis, fuit lecta Commissio sub generalibus, aequivocis, et vix aliquid sonantibus terminis, solummodo Pacta Vladislaviana eorumque reassumptio impertinentissime instrusa erant. Hic ego rogare, obtestari non sinebam Dominum Palatinum, ut dignaretur eliminare hanc pestem et ruinam Unionis, Pacta Vladislaviana (licet cum hoc proposito venerint Commissarii Chanenkoviiani) tandem emollivi cor ipsius mea submissione ut expunxerit Pacta Vladislaviana et confuse involverit omnia.

1ma Septembris fuit lecta series Commissionis, ut infra statim patebit, nec verbum replicarunt Cosaci contra hoc, sed uno ore gratias egerunt DD. Commissariis et Reipublicae pro Gratiis, Juribus, Immunitatibus paterne ipsi concessis et indultis.

2da. Septem. Transcripta omnia in purum, sigillis et manuum subscriptione ab utrinque munita sunt, tandem Authentica duo confecta, quorum unum penes nostros DD. Commissarios mansit, aliud Commissariis consignatum, quod sic verto latine.

(f. 37) Commissio Ostrogiensis, 2 Septembris 1670, feliciter acta, et conclusio huius tenoris est.

In nomine DEI in Trinitate Sancta Unius, Patris, Filii et Spiritus S.

Ad perpetuam rei memoriam, nunc et in aevum futurum.

Serenissimi Michaelis, DEI Gratia Poloniae Regis, Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Kiioviae, Volhyniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechoviae, totiusque Reipublicae Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae.

Nos Stanislaus Casimirus Bieniewski, Palatinus Generalis Czerniechoviensis, Boguslaviensis, Nosoviensis Capitaneus; Joannes Franciscus in Lubowicze Lubowizki, Castellaneus Volhyniensis, Punensis, Lipinensis Capitaneus; Joannes Piaseczynski, Castellaneus Chelmensis; Georgius Maniewski de Piglovicz, Dapifer Kiioviensis; Stephanus Kurcz, Castellaneus Brestensis; Joannes Kurcz Vexillifer Lidensis; Joannes Costantinus Szuyski, Notarius Terrestris Palatinatus Brestensis; Stephanus Piaseczynski, Capitaneus Braslaviensis et Siensis. Autoritate Comitiorum destinati Commissarii.

Notum facimus quod cum ab Exercitu Zaporosiano Sacrae Regiae Maiestatis, Domini Nostri Clementissimi, ultra Borysthenem locato, a Superiore et Praeside suo Generoso Michaelae Chanenko, totoque Exercitu Sacrae Regiae Maiestatis missi sunt Commissarii, hoc est Generosus Simeon Bohoczenko, Jacobus Jaroszenko, Romanus Malusz, Joannes Pultawiec, Joannes Zawisza, Stephanus Bily, Basilius Olexieienko una cum aliis sociis, et comparuerint primo ad pedes Sacrae Regiae Maiestatis Domini Nostri Clementissimi tanquam Domini sui haereditarii ac Paternam Regiamque obtinuerint clementiam, postea ad nos Commissarios Reipublicae pro stabili colloquio et pacificatione remissi sunt. Nos ergo, assecurando eundem Exercitum, non tantum qui ultra Borysthenem in locis Campestribus, sed et omnes exercitus qui per civitates degunt, (intelligunt hic de Doroszenkovanis, (f. 37v) quod et hi tenebuntur stare huic Commissioni et pactis, si quando sincere velint accedere ad obsequium Reipublicae, uti iam perterriti, quod Comititia sint finita, incipiunt accedere, nec proinde Unioni imminet aliquod malum) quod in Comititiis proxime futuris per Constitutionem sufficienti gratia Sacrae Regiae Maiestatis id firmabitur etc, roborabitur videlicet: Ut devotio in omnibus Ecclesiis Religionis Graecae nullo pacto pereat, sed in omnibus, ac singulis his locis ubicunque extenditur potestas et felix dominatus Sacrae Regiae Maiestatis peragatur. Ut ne in posterum ullae difficultates, ratione Monasteriorum, Ecclesiarum, bonorum suboriantur, in iisdem Comititiis, collato consilio cum Dominis Episcopis tanquam Pastoribus et cum ipso Reverendissimo in Christo Patre Metropolita, finis imponatur et ut iisdem libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus ante bellum gaudebant, et quemadmodum per Antecessores Serenissimos Sacrae Regiae Maiestatis est statutum, decernimus. Securitas, autoritas, honor, libertas non tantum Superioribus, sed toti Ordini Ecclesiastico perpetuo deferenda sunt. Libertates porro antiquae non tantum Religionis Graecae Ecclesiarum, sed et ratione Bonorum Tutorii dictorum et qualiumcunque Possessionum Cosaticarum universis et singulis non violabuntur. Permittitur quoque ut duo iudicent unum, iuxta petitionem et supplicationem eorundem DD. Commissariorum. Vidua post fata Mariti sui haereditabit, et utetur Jure suo in bonis Mariti, eo pacto, quo Maritus est usus, et si contingat Viduam secundo nubere Marito, libertate Cosacis communi gaudebit. Electio Ducis Zaporoviani iuxta antiquam consuetudinem (ut et ipsi volunt) in locis Legibus Militaribus sancitis, ac praefixis, celebretur, ita tamen ut electus Generalissimus perpetuo accipiat confirmationem et benedictionem a Sacra Regia Maiestate, praevio Iuramento cum suis Praesidibus, Colonnellis, Chiliarchis, Centurionibus, quod ullum advitalitatum in hac dignitate non praetendet, nec opprimet, aut affliget oneribus quibuscunque exercitus, supra quam ex officio liceat sibi, quinimo maneat in hac dignitate ad nutum et voluntatem exercitus. De reliquo, omnibus supplicationibus nunc et in posterum aperimus exercitui, viam (f. 38) ad gratiam Sacrae Regiae Maiestatis et totius Reipublicae, promittendo quodcunque humiliter et iuste petent, obtinebunt. Et quia per gratiam DEI Exercitus Zaporosiensis ad Serenissimum tanquam Dominum naturalem, ad Rempublicam vero tanquam Matrem redit, omnium eorum quae stante permissione divina pro peccatis nostris patrata sunt amnystiam sine ulla in futurum vindicta perpetuo consequitur, et quemadmodum iam per Commissarios suos eiurarunt omnes Protectiones exterorum Monarcharum,<sup>9</sup> si forte hactenus in aliqua ex his volutabantur, ideo eiurent et ipsi personaliter omnes dictas Protec-

<sup>9</sup> Agitur de Czaro Moscoviae, qui semper, ratione unitatis in religione schismatica, in res politicas Regni Poloniae ingerebatur. Praeterea hic innuitur protectio Portae Ottomanicae, quam invocavit Petrus Doroszenko.

tionem, et coram DEO voveant nunquam redituros ad easdem Protectiones, Legationes nullas sine scitu Sacrae Regiae Maiestatis, vel Ducum Regni recipiant, aut peragant; imo in fidelitate ac obsequio perseverantes, contra omnem inimicum Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae, idque praevio Mandato Illustrissimorum Ducum Regni, omni apparatu militari, et sub Vexillo Sacrae Regiae Maiestatis, quam receperunt non ita pridem, procedant, et resoluti ad mortem animo more Maiorum suorum quibuscunque inimicis Reipublicae resistere debent. Si autem, quod Deus avertat, invenientur aliquae seditioes, dissensiones, motus inter ipsos, tunc propriis conatibus et viribus admotis pacificabunt, nec sinent malum crescere, quemcunque his Pactis contradicentem tamquam hostem tractabunt atque contra eum insurgent. Ut tamen gratia ulteriori, et libertate gaudeat Exercitus Zaporosianus, perpetuo cavemus, ne ullus ex Militibus Regni transeundo, aut quiescendo, multo magis Stationes exercendo compareat aut moretur in domibus, villis, terris, et possessionibus Cosacis idque sub paena colli statuimus. Insignia Exercitui Zaporosiano, hoc est Clava, Sigillum, Tympana, Baculus oblongus vulgo Komoszyna, Cauda illa Equina vulgo Bunczuk, ex Comitibus proxime advenientibus a Sac. R. Maiestate et Republica mittentur. In receptione quorum Insignium omnis exercitus iurabit fidelitatem Regi et Reipublicae coram Commissariis tunc destinatis, mutuo vero status Equestris et Ecclesiasticus habebit Ius redeundi in sua, unde pulsus erat. Nam haec Commissio non debet praedudicare tam Nobilibus (f. 38v) quam Ecclesiasticis viris. Quodcunque concernit Clavam et auctoritatem Ducis Zaporosiani, futura Comitibus approbabunt, quod totum perpetuo et inviolabiter debet illis servari. Ac in memoriam succedentium saeculorum hanc Commissionem subscripsimus tam Nos Commissarii Sacrae Regiae Maiestatis et Republicae utriusque Gentis Poloniae et Lithuaniae, quam etiam Commissarii Exercitus Zaporosiani. Actum Ostrogii, die 2da Mensis Septembris, iuxta Calendarium Romanum, Anno 1670.

Post haec ad Ecclesiam Societatis IESU descenderunt, cantatum: Te Deum laudamus, tormenta in magna copia explosa.

Et quia haec Commissio debuit firmari lege Comitiorum, 9na Septembris Varsaviae indictorum, sine mora longisque itineribus Varsaviam perrexi, ubi nonnisi 13 Septembris perveni.

Atque ut rescivit de meo adventu feliciterque actu Ostrogii Illustrissimus Dominus Metropolitanus (cui summae quoque agenda gratiae, eo quod subministraverit pro mea sustentatione qualiqua sexcentos florenos polonicos, et insuper famulatum et sex equos pro mea vectura continua addidit) illico et ipse ut attenderet Comitibus Varsaviam venit, ac duodecim integras septimanas non sine magnis expensis (nummerabat enim se his Comitibus supra undecim millia florenorum polonicorum, ob amorem Unionis ne aliquod praedudicium inferretur ipsi, libenter expendisse) mansit.

Sub conclusionem Comitiorum lege publica firmata est Commissio Ostrogensis in hunc modum.

#### Commissio Ostrogensis.

Quidquid Ostrogii pro pacificandis Exercitibus nostris Zaporosiensibus per Magnos Utriusque Gentis Poloniae ac Lithuaniae Commissarios sancitum, indultum et concessum est, Nos praesenti assensu omnium Ordinum, et publica auctoritate Conventus Comitialis approbamus.

Evidens est quod neque supradicta Commissio, neque Approbatio est praedudiciosa Unioni.

In capite tamen ac omni submissione agenda gratiae Sacrae Congregationi (f. 39) de Propaganda Fide, cuius nomine Illustrissimus Dominus Marescottus qua-

dringentos Ungaricales pro Commissione Ostrogiensi eiusque felici successu subministravit. Certe tam beneficae Matri non ingrata Unio erit quemadmodum et modo quoad Personas et bona sua libenter cupit esse sub directione eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

Mihi vero ex occasione huius laboris pro indignitate mea alacriter expensi, etiam propriis additis sumptibus, cum summus inde accesserit honor, eidem Sacrae Congregationi de Propaganda Fide quantas possum animo concipere refero grates, acturus perpetuo uberiores, si Illustrissimum Dominum Metropolitanum, me, et Unionem Vicaria sua Protectione per Illustrissimum Dominum Nuntium Apostolicum modernum prosequantur. In quorum fidem manu propria subscripsi.

CYPRIANUS ZOCHOWSKI,  
Archimandrita Dermanen., Dubnen. (mpr.)

## 2.

*Suprasl, 4 . II . 1671.*

*Gratias agit de sua promotione ad Coadiutoriam Metropolitae Kioviensis suumque zelosum animum ostendit.*

APF, *Scr. rif. nei Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 1, fol. 540rv.

Illustrissime et R.me Domine, Domine et Patrone Colendissime.<sup>10</sup>

Ille Deus, qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, vel maxime in Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre, et Domina, hoc prodigium non cessat patrare. In me ipso experior recentissime, quando incomparabili sollicitudine, ac singulari conatu Ill.mae Dominationis Vestrae, Domini mei, tot inter plane digniores, erigor ad excelsum, et collocor in spe certa futurae successionis ad Metropoliam Chioviensem, et curam amplissimam, non unius millionis, ast multorum millionum animarum. Quod pio accepto Ill.mae Dominationis Vestrae et Sacrae Congreg. de Propaganda Fide beneficio referam; duo tantum supersunt: unum est, millenas, millenasque Ill.mae Dominationi Vestrae ago gratias, acturus semper non tot quin plures, pro evectione meae personae ad hoc munus. Alterum erat: Siquidem Ill.ma D. Vestra non spirat aliud, praeterquam zelum conversionis gentium ad Sanctam Pontificiam Sedem, in id ego incumbam, ut pro ovibus, et ab ovibus mortem sustineam. Sacrae porro Congregationis de Propaganda Fide nutus et imperia observem, ac Ill.mam D. Vestram tota vita mea (f. 540v) in oculis feram, indignis commemorem precibus, eo quod tam feliciter in Sanctitatis Suae gratia signanda desudaverit. Manet tantum, oris divinissimi Sanctitatis Suae signa infallibilia, hoc est Brevia Apostolica, ab Ill.ma D.ne Vestra recipere, quae per manus Ill.mi Domini Nuntii moderni, Domini mei et Fautoris Unionis Unici, expectans, me gratiae Ill.mae Dominis Vestrae totum dedico, et manum Archipraesulis Caesareae, veri Successoris Sancti Patriarchae mei Basilii, Archiepiscopi pariter Caesareae, deosculor.

Suprasly, 4 Februarii, Anno 1671.

Ill.mae et R.mae Celsitudinis Vestrae

humillimus atque indignus Servus  
CYPRIANUS ZOCHOVSKI, Coadiutor Metropolitae Chioviensis.

<sup>10</sup> Praefecto S. C. de Propaganda Fide, Antonio Barberino seniori (secunda vice 1659-1671).

## 3.

*Suprasl, 4 . II . 1671.**Pontifici gratias agit de confirmatione Coadiutoriae Kioviensis.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Pol. Ruteni*, vol. 1, fol. 548.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Domine, Domine Clementissime.

Sensit tandem animus meus divinissimum Sanctitatis Vestrae oraculum, dum assumptus ex hominibus, Ordini Hierarchico Militantis Ecclesiae per Sanctitatem Vestram, Dominum meum Clementissimum, approbata recentissime Nominatione in Coadiutoriam Metropoliae Chiovien., stantibus precibus Ill.mi Domini mei Metropolitanae Coadiuti, inseror, inscriborque. Tantaebenedictioni Sanctitatis Vestrae respondeant in immensum vires, vota, vita, et sanguis meus. Quorum iactura pro Supremo Sanctitatis Vestrae Primatu mihi semper erit charissima, mandatorumque ab ore Sanctitatis Vestrae vel Ill.mi Domini Nuntii moderni eiusque hoc in Regno Successorum intimatio, intimo a me excipietur corde. Interim Sanctitati Vestrae, Creatori meo Clementissimo, qui nihilatem meam in Ecclesia Christi conspicuam fecit, diu faelix aevum et multos in Throno Petri, Orbi propitios, perennare exopto annos. Atque benedictione Sanctitatis Vestrae devotissimo advolvor osculo.

Suprasly, 4 Februarii Anno 1671.

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi,  
humillimus, obligatissimus, obsequentissimus Filius ad pedes  
CYPRIANUS ZOCHOVSKI, Coadiutor Metropoliae Chiovien.

## 4.

*Suprasl, 4 . II . 1671.**Ut videtur, Praefecto S.C. de Prop. Fide gratias agit de Coadiutoria Kioviensi sibi concessa.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Pol. Ruteni*, vol. 1, fol. 550.Eminentissime et Reverendissime Princeps. Domine, Domine et Patrone  
Colendissime.

Ea est Sanctissimi Domini Nostri et Eminentiae Vestrae beneficentissima erga Metropolitanam Sedem Chioviensem inclinatio, ut illam omnibus cumulare gratiis, auxiliis non cessent. Recens in me Coadiutoriae Chioviensis, promovente Eminentissima Celsitudine Vestra, derivatum munus, obligabit me ad fundendas gratias Eminentiae Vestrae quas animo capere valeo. Proinde crescentibus iam tam excelsis in Ecclesia Dei, ac per Sanctitatem Suam mihi collatis titulis, decrescere haud sinam gratitudinem, quam dum tota vita deberi a me profitebor Eminentissimae Celsitudini Vestrae, simul eiusdem desideratissima gratia foveri postulans, Sacrum Vaticanum Ostium, a sanguine Martyrum rubentem, et rutilantem, hoc est Sacram Eminentissimae Celsitudinis Vestrae Purpuram devotissime exosculor.

Suprasly, 4 Februarii 1671.

Eminentissimae et Reverendissimae Celsitudinis V.

humillimus, obsequentissimus Servitor  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Coadiutor Metropoliae Chiovien. (m. p.)

## 5.

Vilna. 19 . III . 1671.

*Refert de sua consecratione, de causa iurisdictionis metropolitanae in cives Vilnenses, de cessatione periculi cosatici, de transitu Thomae Korsak ex Ordine Praedicatorum ad Ordinem Basilianorum.*

APF, *Scr. rif. n. Congr. Generali*, vol. 428, fol. 114-115v.

Ill.me et Rev.me Domine et Patrone Colendissime.

Magno dolore cordis excepi discessum sat inopinatum Ill.mi Domini Nuntii,<sup>11</sup> Domini mei, et Amici unici Ill.mae Dominationis Vestrae; vix compensandus dolor vel ideo, quia tum Unionis Sanctae, tum etiam meam personam concernentia negotia magna felicitate et facilitate perficiebatur. Non despero tamen, imo firmam spem colloco in Ill.ma D.ne Vestra quod dignabitur velificare intentionibus optimis Ill.mi D.ni Archiepiscopi Florentini, meamque expeditionem pro Coadiutoria Metropoliae Chioviensis maturare; praesertim cum iam 15 praesentis (tunc Dominica incidente die) munus consecrationis pro Episcopatu Vitepscensi et Mscislaviensi, ex quo Coadiutor Polocensis sum, ab Ill.mo Domino Metropolitanato, Coadiuto meo, receperim, assistentibus quatuor Episcopis, quorum duo Senatores Regni, hoc est Dominus Episcopus Samogitiae, alter Vendensis; caeteri, Grazianopolitanus,<sup>12</sup> et nostri Ritus (sed Nepos Ill.mi Domini Metropolitanatae) Dominus Episcopus Pinscensis erant.<sup>13</sup> Concursu Senatorum, Ordinis Equestris, et populi inaudito, ac miro plane numero. Sit Deus benedictus et Pater misericordiarum, qui respexit humilitatem servi sui, et inclinavit cor Patris mei, Ill.mi Domini Metropolitanati, (f. 114v) et Ill.mae D. Vestrae ad impetrandam apud Sanctitatem Suam gratiam. Impediebatur equidem consecratio mea a certa persona Ritus nostri; libenter patiebar obices, nec Ill.mae D.ni Vestrae aut Ill.mo Domino Nuntio aperire volui. Sed Pater meus, Ill.mus D.nus Metropolitanus, ut leo rugiit, meique consanguinei una cum Palatinatu Polocensi, in quo natus, iuratis vocibus, cordibus, et subscriptionibus tuiti sunt me, incolam Palatinatus illius. Et iam, consecratione peracta, sum extra omnem aemulationem. Imo ille idem, qui spatit contra me, ante hunc actum venit cum deprecatione, rogando ne quandoque vindictam sumam. Puniat me Deus, si cogitem ista, non modo aggrediar.

Celeberrima illa Commissio Vilnensis, circa Jurisdictionem Metropolitanam, in fundis Ecclesiae locatam, iam a duabus septimanis peragitur Vilnae; descendunt sex Commissarii ad locum loci, hoc est ad Palatium Ill.mi Domini Metropolitanati quotidie. Credat mihi Ill.ma D. Vestra, expugnantur qua magnis donis, qua crebris conviviis (licet Iustitia clamet et militet pro nobis). Utinam accepti sint labores et expensae quales quales pro Ecclesia in oculis Domini. Sinagoga Haereticorum, locata olim (f. 115) in fundo Ecclesiae nostrae Ritus Graeci unitae necdum per Decretum Commissariorum cessit nobis, sed cum nuperrime accesserint Domini Commissarii ad illum detestandum locum, fuerunt per Haereticos oclusae fores, et scriptum quoddam praesentatum. Quod velint Haeretici cum Domino Metropolita in Comitibus Generalibus hac super re disceptare. Interim supersederi ab executione rogarunt; sed hoc in melius

<sup>11</sup> Verosimiliter Franciscus Nerli, Nuntius Varsaviensis (1670-1671).

<sup>12</sup> Nicolaus Slupski (1669-1695), Suffraganeus Vilnensis.

<sup>13</sup> Martianus Bilozor (1666-1697), dein Archiepiscopus Polocensis (1697-1707).



nostrum fiet. Promisit enim Dominus Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae extradere citationem contra illos. Verum est quod affligat me dilata executio, sed captu graviore ruent. Interim optime succedit executio Commissionis contra Cives et Magistratum Vilnensem. Conspectus fundorum indies peragitur, nihil plane in contrarium obiciunt Cives, sed iuxta mappam, aut tabulam fundorum per nos factam omnia succedunt; sed, ut innui Ill.mae Dominationi Vestrae, magnis sumptibus fabricatur et completur hoc opus. Post fundos litigiosos cum Civibus, descendemus ad fundos Schismaticorum Vilnensium, et quaeremus sub cuius illi iurisdictione sint, an sub Regia, an sub Civili, an sub Metropolitana Chioviensi, et certo certius aggravabimus illos clausulis, necessariis ad ruinam schismatis.

Schismatici Cosaci non amplius nobis, imo aequae nobis ac Reipublicae sunt timendi, si quidem turcicam susceperunt protectionem (f. 115v), statim ac exercitus nostrum cum Serenissimo pergent recuperatum Ukrainem, ego quoque pro restitutione Ecclesiae Cathedralis Chioviensis (iniuste a 30 annis per Schismaticos ablatae) in partem mei Domini Metropolitae uniti, hungaro me Aulae Sacrae Regiae Maiestatis.

Instantissime supplico Ill.mae Dominationi Vestrae pro obtinenda licentia transitus a Religione Dominicana ad Religionem nostram nobili iuveni 18 annorum, Thomae Laurentio Korsak, filio Senatoris Regni, Castellani Palatinatus Polocensis, ex matre Ruthena unita nato, qui confitetur se non habere vocationem, et nobis Unitis summe prodesset autoritate sui Domini Parentis, et innumerorum Consanguineorum innixus. In Religione porro Dominicana quasi non esset, eo quod multos pares sibi habeat, nec valeat exercere illam autoritatem, et activitatem, quam exercuisset in Sancta Unione. Nuper ab ore Domini Parentis eiusdem edoctus sum, quod nunquam illi benedicerit ingressum ad dictam Religionem, sed ad nostram corde oreque paterno benedicit. Ex epistola ad Ill.mam Dominationem Vestram scripta intelliget Ill.ma D. Vestra eiusdem intentionem; meum est eritque semper zelare auctum Unionis Sanctae, eo potissimum titulo, quod pauci in Religione nostra Nobiles reperiantur, ac proinde ubi minoris conditionis et natalium homines, parum possunt operari in Republica. Et dum epistolae impono finem, dedico obsequia mea Ill.mae et Rev.mae D. Vestrae nutui, commendans me gratiae Ill.mae D. Vestrae et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cuius creatura sum.

Vilnae, 19 Martii 1671.

Ill.mae et Rev.mae D. Vestrae

humillimus, addictissimus, obligatus Servitor

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Episc. Vitepscen., Mscislaviensis Coadiutor (mpr.)

## 6.

Vilna, 24 . IV . 1671.

*De consecratione, de Commissione Vilnensi, de ordinatione Testamentorum Episcoporum unitorum, de bono progressu Unionis, de recuperatione ecclesiae Zabłudoviensis, et de canonizatione B. Josaphat.*

APF, *Scritt. rif.n. Congreg. Gen.*, vol. 432, fol. 159-160v.

Ill.me et Rev.me Domine. Domine et Patrone Colendissime.

Significavi alias Ill.mae et Rev.mae Dominationi Vestrae de mea Consecratione in Episcopatum Vitepscensem et Mscislaviensem, 15a Martii, Vilnae, in Cathedrali Metropolitana Ecclesia peracta. Nunc desideratur gratia Sanctissimi Domini mei, Sacrae

Congregationis de Propaganda Fide, ac Ill.mae Dominationis Vestrae in mittendis Bullis mihi praestanda.

Agnosco multis titulis tanto oneri esse imparem, sed Apostolica vox Sanctitatis Suae, praeficiens Pastores, tantae est virtutis, ut illos quos ad hoc munus vocat, faciat simul aptos, et utiles Ecclesiae Sanctae. Atque utinam talis sim, et si non sum, divina velificante ope, adnitar esse.

Commissio Vilmensis in causa iurisdictionis Metropolitanae supra subditos in fundis ecclesiasticis locatos cessit felicissime, supra centum domus, et Patres familias, quoad fundum, terragium, iurisdictionem, et ius gladii, sonent adiudicatae D. Metropolitanae Chiovien, eiusque Successoribus in Unione Sancta permanentibus. Idque praevio iuramento Domini Metropolitanae, meo, Archipraesbiteri Vilnen. et 4 Saecularium fide dignorum. Interposita est appellatio ad Sac. Regiam Maiestatem per Cives Vilmenses, ibi finaliter concludetur hoc saeculorum opus, et firmabitur cum nostro iuramento (pro ecclesiastica immunitate) cum Serenissimi Regis Decreto. Instantissime ab Ill.ma D. V. peto, expediri hac super re Brevia ad Sacram Regiam Maiestatem, Ill.mum Dominum Vice Cancellarium Regni, Episcopum Culmensensem, et Ill.mum Dominum Cancellarium M. Ducatus Lithuaniae (f. 159v),<sup>14</sup> quatenus haec Causa finaliter decidatur. Vim enim patitur Ecclesia, et quamprimum iugum hoc vellemus excutere quod Patres nostri aegre tulerunt.

Aliud similiter Breve aequitati consonum et summe Unioni proficuum dignetur Ill.ma Dominatio Vestra expedire. Ut videlicet Sanctitas Sua declaret: Testamenta omnia, quae fiant aut fient ab Episcopis, Archiepiscopis Ruthenis unitis, esse penitus nulla, invalida et consequenter revocanda, ex quo nos Episcopi sumus Religiosi; solent enim virtute horum testamentorum, post fata, Nepotes saeculares Episcoporum involare aulas, bona, ecclesias, villas, et rumpere quidquid placet, et quidquid mobilium aut pecuniarum est relictum per Episcopum defunctum. Nisi huic malo Sacra Congregatio de Propaganda Fide et Ill.ma Dominatio Vestra occurrat, in nihilum redigentur Beneficia nostra unita.

Res Unionis hactenus vadunt bene; sunt quidem molimina Schismaticorum contra nos, sed qua aequaliter ipsi in perniciem Reipublicae conspirant, hinc est quod ab omnibus iam odio habeantur, nec credatur ipsis amplius. Invigilante Ill.mo D.no Nerli, Nuntio Apostolico, certe nihil praefudicii retulimus.<sup>15</sup> Immo hoc effectit Ill.mus Dominus, quod Sacra Regia Maiestas palam et passim non subscribat Schismaticis in praepudicium Unitorum, quod apud Casimirum Regem nullo pacto potuimus (f. 160) obtinere. Vladislaus vero, maledictis rationibus status innixus, plane contemnebat res Unitorum, alliendo Schismaticos novis et novis privilegiis, quae modo, ita Deo volente, cassamus, annihilamus, aut per rescripta revocamus.

Post octo litis insumptis annos cum Principe Boguslao defuncto, Haeretico, mense Maii recuperabit Ecclesiam Zabludoviensem cum decimis Dominus Metropolita. Decretum supremum Tribunalis expertum controversiis latum emanavit, in litis expensis eius filia dicti Boguslai, et tutores fuerunt condemnati; Scismatici, sine ullo tumultu (ita decretum statuit, et brachium addidit), cedent Ecclesia et fundis ac decimis pertinentibus ad eam. A septuaginta annis non fuimus in possessione huius ecclesiae sed Schismatici. Invenimus tamen quod fundator eius ante annos centum et amplius fuerit Catholicus, ergo impossibile quod extruxerit hanc ecclesiam pro Schismaticis,

<sup>14</sup> Christophorus Pac (1658-1684).

<sup>15</sup> Franciscus Nerli (1670-1671).

ergo pro Unitis. Hoc coniecturale fuit derimens argumentum; post Commissionem nostram peractam Vilnae, novae supervenerunt expensae; Schismatici aliam Commissionem expederunt, an scilicet liceret ipsis locum habere per Civitates in magistratibus. Ostendimus iura nostra, et quo modo Magistratus Vilnensis non habet ullum Schismaticum aut Haereticum; sane est quod factum fuerit decretum: Nihil innovari, et Unitos penes Jura servari; nec esse modo terminum huic actioni, ut fusius ad Ill.mum Dominum Carolum Grappi, Internuntium Apostolicum, scripsi.

Dignetur Ill.ma Dominatio Vestra instare apud Sanctissimum Dominum Nostrum (f. 160v) pro canonizatione Beati Martyris Josaphat, nostrarum terrarum Thaumaturgi; vere enim Unio Sancta obligatissima est ipsi quod resolutio animo pro Sancta Sede Apostolica occubuerit, unde merito Martyr Sedis Apostolicae nuncupatur. Ac proinde Sanctitas Sua dignetur uti martyrem suum, propriis expensis additis (vere enim attritae sortis sumus, et plane in defensione Unionis exhausti) . . . cum aliis Beatis Catalogo adlegere Sanctorum.<sup>16</sup> Confundentur profecto inimici nostri schismatici, et Beatus hic Unionem Ecclesiarum Russiae impetrabit a Deo Domino. Interim totus quantus sum, me devoveo gratiae et patrocinio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, et Ill.mae D. Vestrae, manens,

Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatus Servitor  
 CYPRIANUS ZOCHOWSKY, Episcopus Vitepscen. et Mscislavien.  
 Coadiutor Archiep. Polocen. (mp.)

## 7.

*Varsavia, 15 . III . 1672.*

*De felici exitu Causae Vilnensis, et de obiectis sibi se excusat.*

APF, *Scritt. rif.n. Congreg. Gen.*, vol 439, fol. 70rv.

Eminentissimi et Rev.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Innotuit, credo, Eminentis VV., Dominis meis, celebris illa victoria, quam, Deo Superisque faventibus, reportavit Ill.mus Dominus meus Metropolita de Civibus Vilnensibus, ratione iurisdictionis super domos et lapideas, earumque inquilinos. Eadem Divina Maiestate favente plane, 23 Maii, anni praesentis, Decretum Sac. Regiae Maiestatis iam est executioni datum. Quid plura? Civitas Vilnensis agnovit iurisdictionem Metropolitanam, Episcopis Vilnensibus, Senatoribus Regni, in toto aequiparatam. Hoc feliciter confecto opere, accurre Varsaviam pro Comitibus Regni, ubi certo periclitatur Unio. Nam Ill.mus Dominus Sobieschi, Mareschalcus Regni,<sup>17</sup> Rebellis illius Doroszenko,<sup>18</sup> et Tukalscij<sup>19</sup> contra Unionem proposita promovet desideria. Quantum virum in hoc fideli Eminentis VV. pectore erit, adlaborabo ut nihil concludatur contra Unionem. Finitis Comitibus, postquam inservivero pro debito meo Unioni, iam pergam in Voliniam ad Abbatiam meam Dermanen, incolatum, et solitudinem eligens

<sup>16</sup> Canonizatio locum habuit tantummodo anno 1867, die 29 Junii.

<sup>17</sup> Agitur iam fortasse de Joanne Sobieski, dein Rege Poloniae (1674-1696), qui tamen postea multum Unioni favebat.

<sup>18</sup> Petrus Doroszenko, Dux Cosaccorum (1666-1676).

<sup>19</sup> Iosephus Tukalskyj, Metropolita Kioviensis non unitus (1664-1676).

ibi, ne videar amplius esse motor et author omnium, quae aguntur ad latus Ill.mi Domini Metropolitanæ. Ergo me dimittant Eminentiae Vestrae, ut plangam dolorem meum, et recipiar in gratiam Eminentiarum VV. a qua decidi per sinistras informationes Aemulorum meorum. Vestris pedibus non tantum me, sed et hanc Metropolitanam, hactenus retardatam, substerno Coadiutoriam. Vivere enim mihi ad latus Ill.mi D. Metropolitanæ sine provisione dissuadet Episcopalis status, laborare ipsa florida suadet aetas. Ecce cera factus sum in manibus figuli Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. (f. 70v) Hanc ceram forment Eminentiae VV. uti volunt. Sed ut fatear Eminentis VV. per hunc recessum meum ab Ill.mo Domino Metropolitanæ, cognoscent Eminentiae VV. quod non fuerim author in Unione disordinum. Nec dicebar nunquam reus, nisi postquam gratia EE. VV. et Sac. Congregationis ad munus Coadiutoriae evector; si hoc me culpabilem reddere potest, subsit altissimo, et veridico arbitrio EE. VV. Ego porro ubique obedientissimus EE. VV. et Sanctitati Suae praestabo me semper facilimum ad excipiendos, observandosque minimos nutus Eminentiarum Vestrarum, quarum sacras exosculans omni reverentia purpuram, maneo

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servitor

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Episcopus Vitepscen., Coadiutor Polocen. (mpr) Varsaviae, in Comitibus Generalibus Regni, 15 Martii 1672.

## 8.

Varsavia, 11 . IV . 1672.

*Enarrat originem obiectionum, quae contra ipsum moventur, praesertim ab Episcopo Pinscensi aliisque, subditque se iudicio Sedis Apostolicae. Item commemorat felicem exitum Causae Vilmensis.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 24, fol. 108-109v.

Ill.me et Rev.me Domine. Domine et Patrone Colendissime.

Suavissimam, ac perennaturam in corde meo praesentiam Ill.mae Dominationis Vestrae hoc in Regno<sup>20</sup> vix equidem delibavi, ast innumeris cumulatus beneficiis, et bonis, rectisque tum ad Sacram Congregationem, tum ad Ill.mum Dominum Baldeschium,<sup>21</sup> fidum amicum Ill.mae Dominationis Vestrae, munitus commendationibus, sum id quod sum, idque mediante gratia, et efficaci tum Ill.mi Domini Marescottij,<sup>22</sup> cum Ill.mae D. informatione. Post abscessum hoc Regno Ill.mae et Rev.mae D.nis Vestrae, ipsi coeli facti sunt mihi ferrei, et quidquid potuit R.mus Dominus Episcopus Pinscensis tum honori meo, tum Coadiutoriae Metropolitanæ subruendae, et Romae post signatam gratiam hactenus detinendae, excogitare, non praetermisit, nec praetermittit. Charus eram, et valde acceptus, quoadusque Dominus Episcopus Pinscensis<sup>23</sup> videbat me simplicem Archimandritam Leszczynensem. Postquam Ill.mi Metropolitanæ, Patru

<sup>20</sup> Fortasse agitur de Francisco Nerli, qui post breve tempus (1670-1671) Varsavia discessit, sed Ecclesiae Unitae semper mansit amicissimus.

<sup>21</sup> Federicus Ubaldi-Baldeschi, Secretarius S. Congreg. de Prop. Fide (1668-1673).

<sup>22</sup> Galeazzo Marescotti, Nuntius Varsaviensis (1668-1670), immediatus Praedecessor Francisci Nerli (1670-1671).

<sup>23</sup> Martianus Bilozor (1666-1697).

sui, non sibi sed mihi applicatam Coadiutoriam intellexit, eoque magis per Consecrationem subsecutam (ipso Domino Episcopo Pinscensi aliisque tribus Episcopis latinis, Senatoribus, assistentibus) ad effectum deduci vidit, compositis quoad extra odiis, quaerebat iustam indignationem, odia ac excommunicationem Patruī Ill.mi D.ni Metropolitanī promereri, uti promeruit, cum Domino Episcopo Vladimiriensi.<sup>24</sup> Hinc, captata occasione, totum scandali sui negotium, et fulmen excommunicationis, quo sunt icti, mihi quasi authori, et fomentatori publico dissidiorum in Unione adscribere. Parcat Deus Perill.ri Domino Grappio,<sup>25</sup> quod habens perspectam meam virtutem, et submissionem, in herba non suppresserit malum, sed siverit per citationes et inhibitiones continuas pullulare.

(f. 108v) Magnorum Virorum magni casus; sed Ill.ma Dominatio Vestra certe scivisset, quomodo tantam aemulationem R.mi D.ni Pinscensis et livorem sedare, ac res internas nostras ad primam malaciam deducere. Nunc, post factam pacem, et datos amplexus, nobis insciis emanarunt Decreta Ill.mi D.ni Nuntii contra nos, et publicantur per copias in Regno Poloniae Magnoque Ducatu Lithuaniae. Ego sane libenter patiar, sed Ill.mus Dominus Metropolitanus, nisi revocentur per Sacram Congregationem, nullo pacto sustinere potest. Cum enim Dominus Episcopus Pinscen., Vladimiriens., et Chelmen.<sup>26</sup> (quem uti auctoritatis magnae, et bonae opinionis Romae Praelatum, sed nimis credulum, in Socium sibi assumere curarunt) toto caelo diversum factum Sacrae Congregationi et Sanctissimo Domino Nostro repraesentaverint, uti deduximus coram Ill.mo Domino Nuntio, est tamen mirabile, quod tanquam ex pomice aquam postulavimus, et penitus in nullo puncto apud Ill.mum Dominum Nuntium satisfactionem retulimus. Stantibus hisce tum Ill.mi Domini Metropolitanæ, tum meis non sopitis praetensionibus, sed renovatis per publicationem Decretorum disgustibus, recurro ad Ill.mam D.nionem Vestram, ut si forte scintilla affectus erga me manet in Ill.ma Dominatione Vestra, Domino meo, dignetur alloqui Ill.mum Dominum Secretarium Sacrae Congreg.,<sup>27</sup> ut posthac non credat delationibus dictorum Episcoporum Pinscen., et Vladimiriensis; habeo ego quae zelem et operer pro Unione, habeo molem innixam fragilitati meae negotiorum Russiae, et ingenue fateor Ill.mae Dominationi Vestrae, quod ob debilitatem virium vel sero paenitet me tantum acceptasse onus. Non scribo ad Ill.mum Dominum Secretarium de Propaganda Fide, quia percepi indignatum, et mutatum, sed si scribam reputabor (f. 109) avidus Coadiutoriae, et ambitiosus Bullarum pro eadem; si non scribam, Provisio nulla mihi, uti Coadiutori, ab Ill.mo Domino Metropolitanō per retardationem Bullarum concedetur. Malo ergo hoc totum negotium Ill.mae Dominationi Vestrae, et in Capite Divinae Maiestati commendare, ut faciat Sancta Sedes Apostolica de me, et mea persona, meoque Episcopatu, et Coadiutoriis uti vult, dummodo non sim bos triturans, cui hucusque os alligatur; (Episcopatus enim Vitepscen., quingentos florenos polonicales tantum facit, ob summam devastationem illius, per Moschos factam). Imo habeam hoc per gratiam Ill.mae Dominationis Vestrae, ut abdicato Episcopatu, et Coadiutoriis, Monasterium Dermanense, ubi sum per gratiam Principis Ostrogiensis Archimandrita, incolam, et dies meos paenitentiae consecrem; hic vocabor pacificus Archimandrita, uti vocor a Rev.mo Domino Pinscen. inquietus Coadiutor; vere facil-

<sup>24</sup> Benedictus Glinskyj (1667-1678).

<sup>25</sup> Grappi, Auditor Nuntiaturae Varsaviensis.

<sup>26</sup> M. Bilozor, B. Glinskyj, Jacobus Susza (1652-1686).

<sup>27</sup> Federicus Ubaldi-Baldeschi (1668-1673).

líme huic solitudini animi, et quieti me applicassem, dummodo caetera essent sana, et Unio S. non periclitaretur.

Significo Ill.mae D. Vestrae, Domino meo, quod illam Causam celebrem cum Civibus Vilnen., 4ta Aprilis, coram Sac. Regia Maiestate vicimus; 150 domos et lapideas Ecclesiae vindicavimus, Jus gladii Metropolitae Chioviensibus unitis super personas fundavimus, ab oneribus civitatis praedictas domos eliminavimus. Jus caducitatis super bona mobilia et immobilia, in casu sterilitatis, adiudicatum nobis. Quod et iuramento meo cum Ill.mo Domino Metropolita firmavi, una cum Decano Vilnen. et quatuor testibus fide dignis. Posthac iurisdictione Metropolitana Vilnen. equiparata est iurisdictioni Episcopi Vilnen. formarem (f. 109v) ducentorum annorum opus sub Ill.ma Dominatione Vestra bene in Commissione Vilnen. peractum prima et quarta Aprilis feliciter ac felicissime perfectum viderunt oculi nostri. Post quatuor septimanas pergitur Vilnam. ad capiendam possessionem; Ill.mus Dominus Metropolitanus extra gravissime vexatur,<sup>28</sup> servet illum Dominus Ecclesiae suae Sanctae, et Unioni, pro qua iam aliquot centena millium florenorum expendit. Sicut et pro hac causa triginta millia expensarum factarum numeravimus. Interim dum me perpetuum servum Ill.mae Dominationis Vestrae profiteor, profiteborque illa primaeva gratia foveri ab Ill.ma Dominatione Vestra anhelus desiderans, maneo

Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae

humillimus, obligatissimus, devotissimusque Servitor

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Episcopus Vitepscen. Nominatus Coadiutor  
Metropoliae Chiovien. (mpr).

Hac occasione coacti fuimus scribere ad Sanctissimum Dominum nostrum aperiendo omnem dolorem nostrum contra Ill.mum Dominum Nuntium modernum; cui enim penitiora quaeque nostra debemus aperire nisi Sanctitati Suae, uti Patri Universali. Et non decebat amplius silere, quia videbamur tacendo consentire, et videmur de facto.

Varsaviae, 11 Aprilis 1672.

## 9.

*Varsavia, 29 . VI . 1672.*

*Excusat se apud Sedem Apostolicam de obiectis sibi ab aliis Hierarchis unitis, se Metropolitanam instigare, titulum sibi indebitum usurpare etc. Item supplicat de canonizatione B. Josaphat, nec non ut concedatur ei facultas dispensandi ad impedimento bigamiae.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 24, fol. 110-111.

Eminentissimi ac Rev.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Retardate mihi Sanctissimi Domini mei hactenus Bullae pro Coadiutoria Metropolitana Chioviensi, magnum praebuerunt inditium praconceptae Eminentiarum VV. contra me indignationis, quam incurrisse cum videar, humillime supplico, ut me primae EE. VV. restitutum gratiae ea fulciant protectione, quam merentur ii, qui nullius mali authores existunt. Antequam ego redirem Roma,<sup>29</sup> et lateri Ill.mi Domini mei Coa-

<sup>28</sup> Gabriel Kolenda, Metropolita Kioviensis (1665-1674), et Archiepiscopus Polocensis (1655-1674). Obiit die 11. II. 1674.

<sup>29</sup> Anno 1665-1666. Cfr. supra eius biographiam.

diuti haererem, bene notae sunt civiles nostrae Russiae unitae dissensiones, quo fonte promanarint et quomodo spatio decem et trium annorum nutritae sunt et qua dexteritate Sac. Congr. extinctae; nunc vero, postquam Coadiutoris Polocen., et consecrationis munus sortitus sum, quaecunque in toto Russiae unitae ambitu, et Aula Ill.mi Domini mei Metropolitanum fiunt, id nutu meo perfici dicuntur, et scribuntur. Quod si verum esset, Eminentissimi Patres, utique per sex integros annos, dum egi ad latus Ill.mi Metropolitanum Auditorem, similia evenissent, et tamen nihil horum meo instinctu factum aut patratum, imo (laus quaeque procul esto, sed in Christo gloriari fas est) laboribus meis qualiter pro Unione exantlatis, ecclesiis apud Schismaticos recuperatis, Causis gravissimis victis et compositis, merui gratiam EE. VV. et Ill.morum Nuntiorum Apostolicorum, ut me promoverent ad gradum nominationis in Coadiutorem Chioviensem, et sic promotum in candelabro collocarent Ecclesiae. Splendeo luceoque per EE. VV.; extinguar si haec lux non est lux a Salvatore meo laudata. Mihi equidem ex Coadiutoria Polocen. (uti in nativo solo, et Palatinatu Polocensi, ubi natus et educatus) satis honorum, ex Coadiutoria vero Metropolitana, eiusque successione, abunde laborum. Ergo vivam sorte mea Polocensis Coadiutoriae contentus. Sacrae autem Congregationi EE. VV. mille modi huic Unioni de dignioribus, et pacificis providendi Rectoribus suppetent. Ne tamen haeream EE. VV. author et caput violentiarum, libenter subtraham praesentiam meam lateri Ill.mi Domini mei Metropolitanum et Volhiniam versus me conferam, dummodo Turcicum illas partes non infestet bellum. Semper idem tamen ac obedientissimus EE. VV. mansurus servulus. Norint Ill.mi Domini Episcopi Vladimiriensis et Pinscen., quod ex mea parte non tantum illas Archimandrias retinendas eis (licet cum summo miserae oppressaeque Religionis praeiudicio) (f. 110v) censeo, sed etiam eas cedam longe meliores, uti feci cum Archimandria Leszczynensi, sanguine meo vindicata, quam Ill.mo Domino Episcopo Premysliensi<sup>30</sup> libere per cessionem donavi.

Soleo Varsaviae et ubique visitare, venerari ipsos Dominos Episcopos, et tamen non respondent saltem mutua submissione. Et hoc ideo faciunt, ut me authorem violentiarum coram EE. VV. praedicent, et Coadiutoria Chioviensi (quam Deo, caelo, Sanctisque eius testibus fidelibus non ambio) detrudant.

Titulum Coadiutoris Metropoliae Chioviensis (excepto quod sim Nominatus, et in hac Patria ab omnibus talis vocor) nunquam usurpavi, nec insolenter usurpo; scio enim illum ab ore Sanctissimi Domini mei, et expeditione Bullarum pendere. Sed Coadiutoris Polocensis titulo utique scribi mihi fas, ex quo haec Coadiutoria pendet a consecratione et dispositione Ill.mi Domini Metropolitanum, iuxta Bullam Clementis VIII.<sup>31</sup> Et quo pacto essem Episcopus Vitepscen., si non Coadiutor Polocen. vocarer, nam omnes Coadiutores Polocenses fuere Episcopi Vitepscen., ut toties totiesque hac super re informavit EE. VV. Ill.mus Dominus Nerlius, Archiepiscopus Florentinus.<sup>32</sup>

Porro Ill.mus Dominus meus Metropolita, critico sexagesimi tertii suae aetatis anno, a mense Aprili continuo laborat, variisque symptomatibus versatur; Me pro Comitibus Regni, ut attenderem periclitanti Unioni, expediti Varsaviam, et iam a tribus septimanis invigilo, una cum Ill.mo Domino Nuntio Apostolico, sed video publicas Regni

<sup>30</sup> Joannes Malachovskyj (1669-1691), dein Chelmensis (1691-1692).

<sup>31</sup> « *Decet Romanum Pontificem* », de dat. 23. II. 1596. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 266, nr. 152.

<sup>32</sup> Nuntius Varsaviensis (1670-1671).

diffidentias non sopitas, et bellum Turcicum, nescio quo pacto deglutiendum, instare. Rogavi, obtestatus sum Ill.mo Domino Metropolitano, ut restituat istis Dominis Episcopis Archimandrias, habito servatoque respectu mandatorum Sac. Congr. et EE. VV., necdum recepti responsum Supraslio.

Beati Antecessoris mei, Josaphat Archiepiscopi Polocen., Episc. Vitepscen., dignentur EE. VV. Canonizationis promovere Causam; dummodo gratia Sanctissimi Domini Nostri affulgeat Russiae, potest canonizari Martyr hic Thaumaturgus sine solennitatibus, per solum Breve concessorium cultus et officij de eo per totum orbem; (f.111) nobis hac in re millies supplicantibus, praebeant tandem auditum, et cor inclinatum EE. VV. et Sanctitatem Suam pro divino oraculo Vaticano orent, quam humillime rogo.

Jurisdictionem Vilnensem supra centum quinquaginta domos, quoad Jus gladii et caducitatis, iam Ill.mus Dominus meus Metropolitanus 23 Mai huius anni per viam finalis executionis possedit pacifice et nullatenus Magistratu Vilnen. reclamante. Quot Deus bona pro hac Causa vocavit odia! sit Deus benedictus.

Cum amplitudo dioecesis meae Vitepscen. et Mscislavien. habeat plures Sacerdotes schismaticos, qui stante schismate bigamiam realem contraxerunt, casu quo redeant ad complexum Sanctae Unionis Romano-Graecae, et vocem meam indignam audiant, dignentur EE. VV. apud Sanctissim Dominum impetrare pro 15 saltem talibus Sacerdotibus, ut, non obstante vitio bigamiae, possint fungi Ministerio altaris. Est stylus Sanctissimi D. Nostri concedendi hanc gratiam dioecesibus Rutheno-Unitis.

Claudens epistolam, obsecro summopere EE. VV. in me vertant tela omnia, et seniculum meum Dominum Metropolitam (impetuosum licet) omni suavitate paterna EE. VV. dignentur solari; nam bonum est, quod et ipse diutius proroget vitam suam utpote qui laboravit, et expendit omnia pro Ecclesia, nihil sibi suisque dans, aut relinquens, sed Patris boni et praeclari officium implens longe plura et laudabiliora per septennium Metropoliae suae operatus est, quam Antecessores sui per septuaginta integros annos. Devotissimo interim osculo sacras purpuras EE. VV. veneror, et gratia foveri EE. VV. vel unice in votis habeo.

Varsaviae, in Comitibus Generalibus Regni, 29 Iunii 1672.

Eminentissimarum et Rev.marum D.num VV.

humillimus, oblig.mus, devotissimus Servus

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Episcopus Vitepscen. et Mscislavien.

## 10.

Varsaviae, 15 . III . 1673.

*De defensione Unionis in Comitibus Regni, de Causa Vilnensi cum civibus et haereticis nec non de facultatibus Metropolitanis concedi solitis.*

APF, *Scritt. rif.n. Congregazioni Gen.*, vol. 440, fol. 317, 319.

Eminentissimi et R.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

A quinta Januarii usque in hanc diem vigil negotiorum Sanctae Unionis una cum Ill.mo D. Nuntio Apostolico<sup>33</sup> Custos, quae egerim, et desudaverim constat eadem Ill.mo Domino meo, et per eundem EE. VV., Dominis meis. Quod si tantae ex-

<sup>33</sup> Angelus Maria Ranuzzi (1671-1673).



pectationi Russiae Unitae ac EE. VV. non sum respondendo parcent EE. VV. quod solus et vix prae laboribus spirans, in mille officiorum formas vertor, et plerumque minor ad singulam evado sensibus. Pro coronide laborum quis mihi det ut morem geram Beato Antecessori meo, ac inclyto Martyri Josaphat, Episcopo Vitepscensi, qui et gutta et unda beati cruoris amorem suum zelosissimum erga Sanctam Sedem Apostolicam testatus. Vana tamen sunt mea vota, si Regi Martyrum, Domino meo, non probabuntur.

Anno elapso 1672, 1<sup>a</sup> die Mensis Aprilis, Ill.mus Dominus meus Metropolitanus obtinuit Decretum (utraque parte acerrime informante, et disceptante) Sacrae Regiae Maiestatis in Judicijs Relationum contra Cives et Magistratum Vilmensem; quo nempe Decreto adjudicata fuit Metropolitanis Russiae unitis iurisdictio totalis, ius gladii, ius caducitatis, et census super inquilinos in fundis Metropolitanis ecclesiasticis Vilnae manentes. Et ut praenominatum Decretum perenne habeat robur, nec succedentibus saeculis per Cives Vilnen. invalidetur, confirmatorium dictae sententiae concedatur Domino Metropolitanis Chiovien. eiusque Successoribus Breve, in quo Sanctitas Sua Benedictione Apostolica dignetur (f. 317v) firmare tanto labore ac expensis Metropolitanorum Russiae vindicata iura.

Est Ill.mo Domino Metropolitanis una gravissima contra Haereticos Vilmenses superanda Causa, nimirum: Inventa sunt iura authentica et documenta, ex quibus deducetur, quod ante centum et aplius annos extabat in certo fundo, ad ecclesiam Monialium S. Michaelis, Vilnen. sito, ecclesia graeca, Protectioni B. Virginis dicata, sed invalescente pestilentia Haereticorum, imo ipso Metropolitanis Russiae tunc idem cum dictis Haereticis tenente, et consentiente fuit diruta ecclesia graeca et sinagoga Haereticorum Calvinistarum cum Scholis et mansionibus magno sumptu erecta, et exaedificata. Lis Domino Metropolitanis erit, futuris, Deo dante, Comitibus (nam Causa pendet a determinatione omnium Ordinum Reipublicae, iuxta Leges Patriae huius) cum istis Haereticis Vilnen. Quapropter supplico EE. VV. ut commendationes Sanctissimi D. N. per Brevia specialia<sup>34</sup> praecedant, et dirigantur praecipue ad Sacram Regiam Maiestatem, ad Ill.mum Christophorum Pac, Cancelliarum Magnum Magni Ducatus Lithuaniae,<sup>35</sup> ad Ill.mum Andream Olszowski, Episcopum Culmensem, Pro Cancellarium Regni; in his enim administrandae iustitiae consistet cardo.

Facultates Metropolitanis Archiepiscopis Russiae per Sactissimos Dominos ad septennium semper concedi solitae, iam hoc anno 1673 diebus Iulii expirant, et cessant; uti videre illas est in Sancti Officii actis de anno 1666, diebus Junii (f. 320) aut Iulii, quando procurante Sacra Congregatione EE. VV. fuerunt (me tunc praesente Romae) sub Sanctissimo Domino Alexandro VII<sup>mo</sup> expeditae. Istantissime, ac omni submissione EE. VV. supplico pro expeditione in tempore facultatum Metropolitanarum, ne aliquod vel per breve tempus, deficientibus illis, sequatur aliquod damnum animarum in Russia Unita.

Supplicationes, et desideria Ill.mi Domini Episcopi nostri Praemislien. Uniti<sup>36</sup> coram Ill.mo et Rev.mo Domino Nuntio Apostolico luculenter proposita, et clementissimam resolutionem EE. VV. concernentia diligentissime commendo. Me vero pro

<sup>34</sup> Brevia haec an scripta fuerunt non nobis constat.

<sup>35</sup> Christophorus Pac (1658-1684).

<sup>36</sup> Joannes Malachovskyj (1669-1691).

minimo Eminentiarum VV. offerens servulo, sacris purpuris EE. VV. affectiosissima dicto oscula.

Varsaviae, in Comitiiis Regni, 15 Martii Anno 1673.

Eminentissimarum et Rev.marum Dominationum Vestrarum

humill.mus, devot.mus et oblig.mus Servus

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Episcopus Vitepscen. et Mscislavien (mpr).

## 11.

Varsavia, 29 . IV . 1673.

*De reliquiis B. Josaphat, de rebus Unionis in genere, de facultatibus Metropolitano concedendis et de canonizatione B. Josaphat.*

APF, *Scritt. rif.n. Congreg. Gen.*, vol. 442, f. 97-98.

Eminentissimi et Rev.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Beneficentissimi.

Quatuor mensium, Varsaviae, publicos Unionis emensus labores, multa ad votum eiusdem Unionis et Religionis Basilianae apud hanc Republicam (si quando vere his Comitiiis propitiis) exepedivi. Praecipua Regni huius pietate ornata sunt ipsa B. Martyris Josaphat, Archiepiscopi Polocen. et Vitepscen.<sup>37</sup> Hactenus enim desiderabantur Religiosi, qui ad eius thaumaturgicum degerent corpus, modo vero certa bona Regalia, Sudzilowicze vocata, tamquam tabella perennis appensa sunt divo Martyri cesseruntque in sustentationem competentis numeri Patrum Ordinis Basilianorum. Quod felix faustumque sit, et Dominator caeli, conterens potentias Tirannorum, has optimas Reipublicae huius erga S. Unionem inclinationes victricibus contra Turcas compenset armis.

Plurima cum Sacra Regia Maiestate, et Ill.mo Domino Nuntio moderno institui Colloquia de componendis rebus Russiae ad desideratam Ecclesiae malatiam, et obedientiam Sanctissimo Principi Principum ac Domino Nostro Clementissimo praestandam. Adverti animum Sacrae R. Maiestatis optime (f. 97v) ad haec dispositum et applicatum. Nil tamen concludi potest sine Synodo, et erectione Patriarchiae in Russia; utrumque, si concessibile est per Sanctissimum Dominum nostrum, mature dignentur Eminentiae Vestrae, Domini mei, considerare, et Sanctissimo Domino Nostro pro assensu obtinendo proponere; Synodus porro, celebranda in praesentia Ill.mi Domini Nuntii et Senatorum, qui deputabuntur a Sacra Regia Maiestate, et Ordinibus Regni, non sit per modum disputationis, quia hae raro cum Haereticis aut Schismaticis succedunt, sed per modum amicabilem compositionis, et fraterni colloquii.

Revoco item quam humillimas instantias ad EE. VV. pro concessione facultatum Metropolitanarum (siquidem hoc anno diebus Iunii iam septennium elabitur, et cessare auctoritas spiritualis in Russia, ob defectum facultatum, Metropolitanis concedi solitarum). Bigamiarum realium contractarum per Sacerdotes schismaticos dispensatio, et transitus ad Ritum ac Religionem nostram Patris Korsack, Dominicani, Senatoris Magni Ducatus Lithuaniae filii (f. 98), iurisdictio Metropolitana Vilnensis, decreto ex partium controversiis lato quandoquidem evicta, indiget approbatione San-

---

<sup>37</sup> Martyr pro Unione Sancta an. 1623, die 12 Novembris, Beatorum Catalogo scriptus an. 1643, ab Urbano PP. VIII. Canonizatio locum habuit tantummodo an. 1867, die 29 Junii.

ctissimi Domini Nostri apostolica, et praecipue quo ad Jus gladii concessum Metro-  
potitanis.

Canonizatio B. Martyris Josaphat unice haereat cordi EE. VV. Magnum inde so-  
latium referet Unio, et Religio nostra Basiliana, tot persecutionibus Schismaticorum in-  
victa. Mea interim humillima obsequia cordicitus EE. VV. dedicans sacras purpuras  
EE. VV. supplico maneoque

Eminentissimarum et R.marum Dominationum Vestrarum  
humillimus, devotissimus, oblig.mus Servus

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Episcopus Vitepscen. et Mscislavien. (manu propria)  
Varsaviae, in discessu, 29 Aprilis 1673.

## 12.

*Vilna, 22 . VI . 1673.*

*Gratias agit de Coadiutoriae Bullis et de iuramentis iam emissis certiorat.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. I, fol. 691.

Eminentissimi et R.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Favente Ill.mo Domino Nuntio Apostolico huius Regni,<sup>38</sup> ac promoventibus Emi-  
nentiis VV., Dominis meis, voti compos et Coadiutor istius Metropoliae factus, in  
id operationes totius vitae meae collimabo, ut illae ad placitum, consilia, decreta  
rescripta et mandata Eminentiarum VV.m cedant. Sic enim observando imperia Eminen-  
tiarum VV.m non errabo unquam. Russiae vero Unitae gratulor, quod tantos nacta Pa-  
tronos, in illorum cura et patrocinio potest negligere seipsam. Iniuncta mihi per  
Bullam Sanctissimi Domini mei iuramenta iam explevi, et Ill.mo D.no Nuntio Apo-  
stolico, Domino meo, transmittendas ad Sacram EE.m VV.m Congregationem misi.  
Quod reliquum erat, totoque vitae meae curriculo in votis erit, nimirum: non deseri  
unquam totam Russiam meamque personam ab Eminentis VV. humilimis exposco  
precibus, simulque sacras EE. VV. purpuras affectuosissimis basians osculis, me gratiae  
EE. VV. totum quantum impensis supplicationibus commendo.

Vilnae, 22 Junii 1673.

Eminentissimarum et R.marum D.num VV.

humillimus, devot.mus el oblig.mus Servus  
CYPRIANUS ZOCHOVSKI, Episcopus Vitepscen.  
Coadiutor Metropoliae et Archiep.

## 13.

*Vilna, 22 . VI . 1673.*

*De eadem Coadiutoria gratias agit Pontifici.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. I, fol. 693rv.

---

<sup>38</sup> Angelus Maria Ranuzzi (1671-1673).

Sanctissime ac Beatissime Pater. Domine, Domine Clementissime.

Me tandem solata est magnis gaudiis gratia Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, in mittenda Coadiutoriae Metropolitanae Kioviensis Bulla.<sup>39</sup> Stupeo, et elinguis fio, quod Dominus meus et Pater Oecumenicus Orbis nihilitem meam tam alto collocavit throno. Atque utinam tantae creationi Sanctitatis Vestrae cor meum, conversionem Russiae spirans, eandem Russiam Sacrosanctae Sedis S. V. dogmatibus bene imbutam advolvat supplicem et catholicam pedibus eiusdem S. V. Me certe talia zelantem nec vita nec mors separabit ab eviscerato amore, obedientia, et cultu S.V., eiusque Sedis Sanctissimae. Horum plenus votorum, dum vivo, et vivam, (f. 693v) benedictione S. V. repleti anhelus desidero, et humillimo osculo S. V. veneror pedes.

Vilnae, 22 Junii, Anno 1673.

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi  
humillimus, devot.mus et obligat.mus Filius et Servus ad pedes  
CYPRIANUS ZOCHOVSKI, Episcopus Vitepsc. Coadiutor Metrop. Chioviensis etc.

#### 14.

*Suprasl, 2 . III . 1674.*

*Certiorat de obitu Metropolitanæ Chioviensis Gabrielis Kolenda.*

APF, *Scr. rif.n. Congr. Gen.*, vol. 447, f. 110rv.

Eminentissimi et R.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Terminata feliciter Convocatione Ordinum Regni, firmatisque Juribus Unionis (quod labori et patrocinio incomparabili Ill.mi Domini Nuntii Apostolici, Domini mei, adscribendum est), rediit Varsavia Supraslium, in ipso itinere sat infaustum de fati Ill.mi Domini mei Metropolitanæ, Coadiuti et Antecessoris, accepi nuntium, qui varia itinera peragendo, dum descendisset Sorizam, Villam Capituli Vilnen., octo dierum maligna vexatus, supremam clausit diem 11 Februarii. Iussitque mihi, Successori, consignare omnia mobilia sua, alienando penitus Cognatos, Parentes, imo Germanum suum, Pro Judicem Vilnen. Palatinatus. Possedi itaque per gratiam Sanctitatis Suae, Domini mei Clementissimi ac Eminentiarum Vestrarum hunc thronum humeris ac viribus meis longe superiorem, dummodo tamen accedat (f. 110v) benedictio Sanctitatis Suae, ac mandata Eminentiarum Vestrarum, Dominorum et Principum meorum, quaecumque pondus erit leve, iugum suave, labor gaudium. Interim instantissime rogo EE.VV. ut nullis contra me litteris credere dignentur, nisi iis quae promanabunt informante Ill.mo Domino Nuntio pro tempore existenti. Ille enim nulla passione laborans, sicut vera nobis loquitur, pariter veridica significat Sac. Congr. Ego vero et EE. VV. et Ill.mi D. Nuntii mandata exequi commendans, sacras eorundem purpuras devotissimo veneror osculo maneoque

Eminentissimarum et Rev.marum D. Vestrarum

humillimus, devot.mus et oblig.mus Servus  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Metropolitanus totius Russiae.  
Archiepiscopus Polocen. (mpr.)

Suprasly, 2 Martii 1674.

<sup>39</sup> Bulla haec Coadiutoriae data erat iam die 1. VI. 1671. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 616, nr. 567.

## 15.

Polock, 26 . VII . 1675.

*Litterae nominationis Procuratoris generalis in Urbe.*APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 217.

Cyprianus Zochowschi, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kiihoven., Halicien., et totius Russiae, Archiepiscopus Polocen., Episcopus Vitebscen., Mscislavien., Orsanen., Mohilovien. etc. etc.

Archimandrita Dermanen., Dubnen., S. Salvatoris, et S. Crucis etc. etc. etc.

Admodum R.ndo Patri, ac nobis dilecto in Christo Filio, Patri D. Iosepho de Camillis,<sup>40</sup> Sac. Theol. Doctori, Ord. S. Basillii M. Procuratori Generali, salutem in Domino, et benedictionem nostram Pastoralem. Inter caetera curarum nostrarum levamina illud non mediocre accidit nobis solatium, quod te, desideratissimum, nuper nobis, coniunctissimumque amicum, ac in literis commilitonem in Urbe,<sup>41</sup> et quod his praestat, a virtute, pietateque commendatissimum adolescentem, nunc doctissimum ac integerrimum virum, simulque iam charissimum nostrum, amantissimumque salutemus Fratrem, hoc est Matris nostrae, Religionis videlicet Basilianae Filium, ac Alumnum, denique eiusdem Religionis audiamus laetemurque Procuratorem Generalem. Qua tua ornamenta, ac munia, ut eo evadant cumulatiores, ac tibi campus meritorum in Deum ac S. Ecclesiam promeritorumque in S. Unionem ac universam Rhussiam pateat amplior nobisque arctiore adstringaris nexu, censuimus in Domino te in partem nostrae sollicitudinis officiose vocare, tuaeque fidei ac virtuti rem Rhutenam universam, eam ut, quando, et prout, ac quibus modis opus fuerit, expedieritque in Urbe promoveas, committere; quemadmodum et reipsa committimus, teque Residentem, Procuratorem, ac Agentem in negociis, causisque quibuscunque nostrum Metropolitanum nec non universae Russiae facimus, constituimus, ac creamus apud S. Sedem Apostolicam, ad omnia Sacra necnon quaecunque alia Tribunalia in Urbe Generalem; omni ad id ac omnimoda, quantum in nobis est, necessaria, ac sufficienti impertita tibi potestate, facultateque, omni meliori modo ac forma, in omni iure, atque apud omne subsellium valitura. In quorum fidem etc.

Datum Polociae, 26 Iulii, Anno Domini 1675.

CYPRIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae  
(Loco Sigilli)

JOANNES MICHNIEWICZ

Ill.mi Primatis Rhussiae Secretarius (m. propria).

## 16.

. . . . . 2 . XI . 1675.

*Protectori Regni Poloniae, ut interveniat, ne Metropolia Chioviensis non unita concedatur non Unito Candidato.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 7rv.

<sup>40</sup> Iosephus de Camillis, Basilianus, Procurator negotiorum Ecclesiae Unitae et Ordinis Basilianorum in Urbe (1674-1689).

<sup>41</sup> Una cum Cypriano Zochovskyj Alumnum, ut videtur, Collegii Graeci de Urbe, inter ann. 1658-1664.

Capitolo di lettera scritta da Monsig. Cipriano Zochouski, Metropolita de' Ruteni, all'Emin.mo Sig. Cardinal Nerli, Protettore della Russia, sotto li 2 Nov. 1675.

Noviciatus Religionis meae Basilianae incipit iam refflorescere,<sup>42</sup> brevi daturus Juventutem egregiam pro Studiis. Hinc supplico E. V. E. dignetur edicto Sac. Congregationis de Prop. Fide indicare RR. PP. Societatis, quatenus facilem aditum praebeant mittendis ad alumnatus Pontificios per Germaniam, et Poloniam.

Diebus 7bris anni praesentis sero licet fa . . . , sed ultrice dextera Caelesti, extinctus est Tukalschi,<sup>43</sup> pseudo Metropolita Chiovien. in Ucraina, caput omnium majorum, belli Turcici author, meus et mei Antecessoris hostis in caput, S. Rom. Ecclesiae et Unitorum persecutor assiduus. Qua propter E. V. Domino meo incumbit, quam citissime idipsum proponere SS.mo Domino Nostro, et Breve ad Serenissimum Regem Nostrum Joannem III. expedire, ne Sua Maiestas in Comitibus Coronationis (tunc enim subscribentur Privilegia) promittat, aut extradat alicui ex Schismaticis Ecclesiasticis Privilegium pro Metropolia Chioviensi. Satis enim hoc Regnum et fides catholica per istam Pseudo Metropoliam sensit excidiorum, ruinarum, rebellionum et belli intolerabilis Turcici, et quando quidem supervixi huic scelesto homini, et sum Apostolicae Sedis gratia verus Metropolita Chiovien., dignetur Sanctitas Sua speciali Brevi, et Eminentia Vestra, ut Protector Russiae, Sac. reg. Maiestatem hortari, et orare, ut concurrentes Schismatici arceantur omnes ab huius tituli Metropoliae Chiovien. obtentione. Hoc punctum, alias negotium gravissimum salvandae Unionis, et huius Regni instantissimis praecibus recommendans Eminentiae Vestrae, et (f. 7v) me ipsum perpetuae insinuans protectioni et gratiae, Sacram Purpuram E. Vestrae mille oculis venerator, maneoque quoad vivo, etc.

## 17.

Vilna, 3 . V . 1676.

*Gratulatur Innocentio PP. XI de accepto Pontificatu, nec non commendat Nominatum ad Episcopatum Smolenscensem.*

ASV, *Litt. Episcoporum*, vol. 59, fol. 85.

THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 639, nr. 662.

S.me et B.me Pater, D.ne, D.ne Clementissime.

Dum Principem et Primatem oecumenicum Sanctitatem Vestram orbis Christianus salutat, atque Ecclesia militans assumptionem Sanctitatis Vestrae indicibili excipit gaudio, penetrarunt eadem gaudia cor totius Russiae, obedientissimae Sanctit. Vestrae. Quapropter mihi incumbit, ut indigno S. V. super universam Russiam Vicario, in gratulationes debitas prorumpere, quod dum votis, ore totoque corde praesto, una mecum gregem meum Rutheno-Romanum cernuum pedibus S. V. subicio, ac benedictionem Apostolicam S. V., quae summa in orbe est, imploro. Et quia primae gratiae alioquin concessibiles ex clementia S. V. non denegantur, eo audentius humillimam

<sup>42</sup> In monasterio Byteniensi, in Alba Russia, in Palatinatu Novogrodecensi.

<sup>43</sup> Josephus Tukalskyj, Metropolita Kioviensis non unitus (1664-1675).

meam interpono instantiam pro R.mo fratre Alexandro Michaelae Galinski,<sup>44</sup> Canonico Regulari, a prosapia virtutibus, doctrina et affectu erga hanc Russiae meae Unionem Sanctam commendatissimo, quatenus ille, factus iam nominatus Suffraganeus Episcopatus Smolenscensis, benedictionem ac institutionem S. V. per Secretariam Brevium obtineat. Et licet Episcopatus iste Smolenscensis est in manibus Ducis Moscoviae, quia tamen centena millia animarum Ritus Latini, in eodem Palatinatu ad confinia Magni Ducatus Lithuaniae sito, reperiuntur, et haereditates magnas praefatus Dominus nominatus Suffraganeus Smolenscensis contiguas praedicto Palatinatui Smolenscensi habeat, per illas animas illarumque salutem instantissime rogo Sanctitatem Vestram, ut praeficiatur curae illarum animarum Rev.mus Alexander Michael Galinski, quem impensis votis et supplicationibus dum S. V. commendo, simul me gratiae Sanctitatis Vestrae aeternum devovens, devotissimis oculis pedes S. V. lambo, maneoque, quoad vita superstes

Sanctitatis Vestrae, D.ni, D.ni mei Clement.mi

humillimus, devot.mus et obedient.mus Filius et Servus

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Datum Vilnae, die 3 mensis Maii, an. 1676.

## 18.

Vilna, 3 . V . 1676.

*Commendat Nominatum ad Cathedram Smolenscensem.*

APF, *Scrutt. rif.n. Congreg. Gen.*, vol. 480, f. 171rv.

Eminentissimi et Rev.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Eo collimant zelosissima vota Sacrae huius Congregationis ac Eminentissimarum VV. DD., ut animarum Redemptoris sanguine ablutarum salus quam felicissime, et praecipue in partibus infidelium, Haereticorum, et Schismaticorum, Sacerdoti, id ipsum et mihi, Eminentiarum VV.rum operario fidei, nuntioque incumbit; quod nimirum in Palatinatu Smolenscen, per Ducem Moschoviae a viginti annis occupato, extent centena millia animarum Ritus Latini, rogantque continuo submitti idoneos Sacerdotes latinos, qui in confiniis dicti Palatinatus, ita enim permissum est a Duce Moschoviae, uti schismatico, et per Pacta nobiscum inita statutum, curam habeant animarum, et Sacramenta ipsis administrent, in duabus Ecclesiis ad id specialiter erectis. Quod hactenus praetermissum est, stupente etiam Duce Moschoviarum, quod negligenter negotium animarum Ritus Latini in illis partibus tractetur. Et quia R.mus Dominus Alexander Michael Galinski, Canonice Regularis, et in eodem Ordine pluries praepositus, ac scientiis, exemplari vita, et illustri prosapia commendatissimus, iam modo nominatus Suffraganeus Smolenscensis existat, impensissimis supplicationibus apud Eminentias Vestras insto, ut quantocius, promoventibus Eminentis VV., per Secretariam Brevium obtineat Institutionem Apostolicam, ad hoc munus exercendum; credant mihi Eminentiae VV., quod nullus aptior et re (f. 171v) catholica commedatior tanto lucro animarum destinari illuc potest, praeterquam Rev.mus Dominus Michael Galinski, qui cum habeat prope dictum Palatinatum Smolenscensem magnas Domus suae haereditates (hoc velim cordi sit Eminentiarum VV.rum), nullo negotio respondebit

<sup>44</sup> Nomen huius Sacerdotis, Canonici, non invenitur in catalogo Episcoporum Smolenscensium, secundum *Hierarchia Catholica medii et recentioris aevi*, vol. V, pag. 359.

expectationi numerosissimarum animarum sacrosancti Ritus Latini, quae desertae ac neglectae coguntur passim transire ad schismaticam sub illo duce sectam. Non patiantur Eminentiae Vestrae tantum dispendium animarum Christi, et concessionem Sanctitatis Suae pro dicto Suffraganeatu Smolenscen. in personam Rev.mi Alexandri Michaelis Galinski dignentur impetrare. Nil enim aliud meae preces, quas interpono, spirant, nisi lucrum animarum, certo secuturum opera R.mi Domini Nominati, quem instantissime EE. VV. commendans, sacras earundem purpuras devotissimo veneror basio. Maneoque quoad vita superior sum. Iterato milliesque Eminentias Vestras rogo pro expeditione Bullarum in personam R.mi Nominati Suffraganei Smolenscensis. Hac enim promotione et ego debito meo, et Eminentiae VV. zelo divinissimo animarum respondebunt abunde.

Dat. Vilnae, die 3 mensis Maii, Anno 1676.

Eminentissimarum ac Rev.marum Dominationum VV.rum

humillimus, devot.mus et obsequis.mus Servitor

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiep. totius Russiae et Polocen. (mp).

## 19.

*Novogrodek, 17 . XI . 1676.*

*Commendat negotium Seminarii, Novitiatus Basilianorum, nec non de Iubilaeo in Russia promulgando supplicat.*

ASV, *Litt. Episcoporum*, vol. 59, fol. 276.

THEINER A., *Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 649, nr. 667.

S.me ac B.me Pater, D.ne, D.ne Clementissime.

Effari profecto non valeo, quibus gaudiis replevit Altissimus Orbem Christianum ex auguratione Sanctitatis Vestrae, Domini mei. Huius et ego laetitiae cum universa Russia particeps immensas immenso persolvo gratias, eo quod talem huic Unioni Ruthenae providerit Oecumenicum Patrem, qui calamitatibus nostris compatietur, persecutiones Schismaticorum sedabit, et pro auctu operariorum Russiae munificentissimam Seminario et Noviciatui erigendo impendet manum. Hi enim duo fontes ad conversionem Schismaticorum necessarii, videlicet Seminarium et Noviciatus,<sup>45</sup> ob egestatem publicam iam diu siccati sunt in Russia. Nomine totius Unionis supplico S. V. quam ferventissimis votis pro concessione Iubilaei sancti, quem ob fata Sanctissimi Antecessoris S.V. non potuimus obtinere. Et siquidem filii S. V. dicimur et sumus, iisdem gratis, quarum compos extitit in hoc Regno Ritus Latinus, et nos donemur. Quod dum instantissimis apud S. V. posco precibus, devotissimo basio pedes S. V. exosculans pro tota Russia, S. V. benedictionem Apostolicam imploro.

Sanctitatis Vestrae D.ni, D.ni mei Clement.mi

humillimus devot.mus et obedient.mus Filius et Servus ad pedes

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Novogrodeci, 17 Novembris 1676.

S.mo ac Beat.mo Patri, D.no, D.no Innocentio PP. XI.

<sup>45</sup> Seminarium pro Provincia ecclesiastica Kioviensi iam inde a temporibus Josephi Velamin Rutzkyj (1613-1637) attentabatur erigendum, sed, brevibus intervallis tantummodo exceptis, nunquam ad effectum stabiliter deductum fuit. Novitiatus inveniebatur in monasterio Basilianorum Byteniensi, prope Novogrodek, sed semper magna inopia proventuum laborabat.



## 20.

Varsavia, 17 . III . 1677.

*Nuntiat Cardinali Casanata professionem fidei catholicae Episcopi Leopoliensis, Josephi Szumlanskyj describitque tum ipsam personam tum actum.*

BIBL. CASANATENSE, ROMA, Mss. Cas., vol. 332, fol. 122rv, 124rv.

Eminentissime et Reverendissime Princeps, Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.<sup>46</sup>

Cum mihi constet Eminentissimum Dominum Cardinalem Nerlium Protectorem Russiae abesse Roma, et negotia Unionis Sanctae ab eodem Eminentissimo Vestrae Eminentiae, Domino meo, fuisse commissa, pro debito meo, quaecunque his diebus faustum habuere successum, nuntio Eminentiae Vestrae.

Placuit enim Altissimo ut auspiciatissimus Sanctissimi Domini Nostri Pontificatus clarescat mirabiliter in Russia per accessionem ad obedientiam Reverendissimi Domini Josephi Szumlanski,<sup>47</sup> Episcopi Leopoliensis et Camenecensis; qui volvens animo suae fidei erroneae falsitatem, salutis aeternae incertitudinem, et ex alia parte Primatum Sanctitatis Suae super inconcussam catholicae fidei fundatum Petram, et idem locutus PP. Latinos et Graecos de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque, in eam salutarem die septima Martii anni praesentis descendit sententiam, ut postposito omni respectu, emiserit, me praesente, coram Sacram Regiam Maiestatem in conclavi secretissime professionem fidei,<sup>48</sup> scripseritque epistolam plenam submissionis, compunctionis, et ad pedes Sanctitatis Suae devolutionis.<sup>49</sup> Asservato penes me originali professionis fidei, epistolam ad Sanctissimum Dominum Nostrum directam, uti authenticam cum copia professionis, includo litteris Eminentiae Vestrae et praesentari Sanctissimo Domino meo rogo.

Est tamen in dicta epistola specialitas quaedam per praefatum Dominum Episcopum Leopoliensem expressa, nimirum celandi se ad certum tempus, qua super re, maturrimae per Sacram Congregationem de Propaganda Fide debent institui deliberationes, et ego doceri desidero, quomodo in tanto dicti Episcopi salutis negotio et lucro (f. 122v) vastissimae Dioecesis Leopoliensis ulterius debeam me gerere. Nec miretur Eminentia Vestra et Sacra Congregatio de Propaganda Fide, cur ipse publicationem huius actus per suam Dioecesim Leopoliensem fieri tam cito detrectaverit: cum enim vivat adhuc eius antagonista et supplantator Swistelnicki,<sup>50</sup> qui aliquoties modernum Episcopum Leopoliensem detruserat Episcopatu, donec decreto

<sup>46</sup> Cardinalis Hieronymus Casanata, Neapolitanus, promotus die 12. VI. 1673, tit. S. Mariae in Porticu. Obiit die 3. III. 1700. Cfr. *Hierarchia Catholica mediæ et recentioris aevi*, vol. V, pag. 8, nr. 12.

<sup>47</sup> Episcopus Leopoliensis (1676-1708). Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 640, nr. 597.

<sup>48</sup> Cfr. M. S. MARUSYN, *Die Vereinigung der Peremysler und Lemberger Eparchien mit dem Apostolischen Stuhle*, Romae 1956.

<sup>49</sup> Cfr. A. THEINER, *Monumenta Poloniae, et Lithuaniae*, vol. IV, pag. 650, nr. 670.

<sup>50</sup> Hieremias Svistelnyckyj, Episcopus Leopoliensis (1667-1676), qui acriter de Eparchia hac cum Josepho Szumlanskyj pugnabat. Ratio huius luctaminis in duplici nominatione et provisione Eparchiae Leopoliensis consistebat.

Sacrae Regiae Maiestatis firmaretur. Unde talis manifestatio sui praepropere facta nocuisset vehementer Domino Episcopo recens converso; imo tantum fecisset tumultum in populo et Dioecesi Leopoliensi, ut Swistelnicius, eius aemulus Schismaticus, pro Pastore assumeretur, et hic eyceretur. Tali proinde solertia procedendum est ipsi qualis per orbem observatur a missionariis et operariis Sanctae Sedis.

Post emissam professionem praenominatus Dominus Josephus, Episcopus Leopoliensis, petiit a me absolutionem ab irregularitate et excommunicationibus, quibus innodatus fuit stante schismate, uti de facto fuit absolutus, praemissa confessione, coram destinato a me Theologo religioso Basiliano.

Sed confirmare in Ordinibus et Episcopatus caractere non sum ausus, donec veniat mandatum Roma. Videtur tamen ordinatos a Schismaticis non esse reordinandos, sed tantum egere dispensatione super irregularitate iuxta constitutionem Clementis VIII, et ut alias respondit Sacra Congregatio Generalis Inquisitionis feria quarta die nona Septembris 1666.

Idem Dominus Episcopus conversus promisit se non admissurum amplius appellationes sui cleri ad Pseudo Metropolitanam Russiae Vinnicum<sup>51</sup> et quantum in ipso erit abstinebit ab exercitio iurisdictionis, quae schisma promoveat, et sit nociva Unioni. Imo convocato synodaliter hoc anno Clero (f. 124) Dioecesis suae, conabitur brevi publicationem Unionis Sanctae, et suae personae tanquam uniti efficere.

Magnas spes concipio ex ipsius adhuc florida et vigorosa aetate, vix enim trigessimum quintum agit annum. Et cum sit ex primis in Podolia et Volinia familiis, potest multa in rem fidei catholicae et Unionis Ruthenorum operari.

Dioecesis porro Leopoliensis ante devastationem praesentem Turcicam<sup>52</sup> supra quinque millia ecclesiarum parochialium, exceptis monasteriis celeberrimis monachorum et monialium, numerabat. Nunc vero postquam Podolia et Pokutia in favillam redacta sunt, sexcentae parochiales manserunt ecclesiae. Hinc facile colligere, qualis et quanta seges colligenda et granariis coelestibus imponenda, Sanctissimoque Domino Nostro praesentanda erit. Ego certe in hoc negotio argum agam, et a mandatis Sanctissimi Domini Nostri Sacraeque Congregationis de Propaganda Fide, quaecumque mihi imponentur, non recedam.

Vivit plane dictus Episcopus Leopoliensis eleemosinis, et contributionibus suorum parochorum, et monasteriorum, eo quod Episcopatus Leopoliensis Rhutenus, per potentiam aliquorum magnatum villis et bonis spoliatus est. Quocirca Eminentia Vestra dignetur Sanctitati Suae proponere, ut viscera paterna tam magno viro aperiat, aliquam provisionem subministret, idque casu publicae accessionis ipsius cum Episcopatu Leopoliensi ad obedientiam Sanctissimi Domini Nostri.

Ego pro meis viribus munusculum centum scuta romana valens, donavi ipsi, plura prae gaudio dedissem, nisi essem exhaustus tot pro Ecclesia litibus, contributionibus Regni et Comitibus, quibus magno dispendio mearum fortunarum (f. 124v) semper adsum; nunquam tamen Sanctae Sedi fui molestus, sed sola gratia eiusdem contentus.

<sup>51</sup> Antonius Vynnyckyj, Metropolita Kioviensis non unitus post obitum Josephi Tukul-skyj (1676-1679).

<sup>52</sup> Anno 1672 Porta Ottomanica bellum intulit Regno Poloniae, ut protegeret Petrum Doroszenko, Ducem Cosaccorum. Ab anno 1677 iterum Georgium Chmelynyckyj, Ducem Ucrainae (1677-1681) promovebat contra Regnum Poloniae et Moscoviam.

Haec nuntiasse Eminentiae Vestrae debitum meum erat, atque utinam quantum sequatur totalis conversio Dioecesis Leopoliensis. Super quo negotio rogandus et stimulandus est Serenissimus noster Rex, alias optimarum inclinationum erga Sanctam et Universalem Russiae Unionem Princeps,<sup>53</sup> qui in colloquio suo secreto promisit mihi subsequentibus fati moderni Pseudo Metropolitae Kiioviensis Vinnicki, se non amplius daturum titulum Metropolitae Kiioviensis alicui ex Schismaticis, sed extincturum totaliter praedictum titulum in favorem Sanctae Unionis. Deinde eadem Sacra Regia Maiestas adiecit, ut casu vacantis Episcopatus Luceoriensis schismatici<sup>54</sup> cogitemus de persona catholica unita, quae sit Pastor illius amplissimae et opulentae Dioecesis. Quod totum succedet ex voto mediante Sanctissimi Domini Nostri instantia ad Sacram Regiam Maiestatem.

Haec ita prolixo sed necessario calamo descripta Eminentiae Vestrae, Domino meo, ad proponendum, et promovendum apud Sanctitatem Suam instantissime commendans devotissimum sacrae purpurae imprimo osculum maneoque

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus servitor

CYPRIANUS ZOCHOVSKI,

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae et Polocensis.

Varsaviae, 17 Martii 1677.

Eminentissimo et Reverendissimo Principi D. Card.li Casanatae.

## 21.

*Varsavia, 17 . III . 1677.*

*Certiorat de conversione et professione fidei catholicae Josephi Szumlanskyj, Episcopi Leopoliensis.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 37.

THEINER A., *Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III pag. 650-51, nr. 670.

S.me ac B.me in Christo Pater, D.ne D.ne, Clement.me.

Integro plane saeculo<sup>55</sup> Unio haec Russiae cum Sancta Romana Ecclesia Cosaco-Schismaticis affligitur persecutionibus; semper tamen constantissimam Christo et Petro, eiusque Sanctissimis Successoribus usque ad Sanctitatem Vestram servavit et servat fidem. Nec defuere semper centesimae et magnae considerationis oves, quae relictis erroribus ad amplexum pedum Sanctissimorum Praedecessorum Sanctitatis V. se contulerunt. Ita recens factum cum R.mo Domino Iosepho Szumlanski,<sup>56</sup> Episcopo Leopoliensi et Camenecensi, Schismatico. Hic enim sub tempus modernorum Comitiorum, me praesente, coram Sua Regia Maiestate, et aliquot ex Societate Iesu Patribus (id enim opus salutare ipsi ex parte promoverunt) intervenientibus, Graecanicos errores detestatus est, et Professione Fidei emissa, prostratus ad pedes Sancti-

<sup>53</sup> Joannes Sobieski, Rex Poloniae (1674-1696), origine et familia ex Ucraina proveniebat Occidentali, ubi bona sua haereditaria habebat.

<sup>54</sup> Gedeon Svjatopolk Czetvertynskyj, Episcopus Luceoriensis (1663-1686), ab anno 1685 Metropolitae Kioviensis non unitus (1685-1690).

<sup>55</sup> Ab anno 1595-1596, a sic d. Unione Berestensi cum S. Romana Ecclesia.

<sup>56</sup> Professionem fidei catholicae emisit prima vice anno 1677, dein eam clam etiam an. 1681 repetivit; sed tantummodo anno 1700 eam cum tota Eparchia promulgavit.

tatis V. scripsit et transmittendam rogavit Epistolam ad Sanctitatem V. Quod ipsum fusiori calamo ad Eminentissimum Cardinalem Casanattam, vices E.mi D.ni Cardinalis Nerlii Protectoris Russiae obeuntem, expressi. Tantum gaudium in Russia sub Optimo Maximoque Pontificatu Sanctitatis V. exortum communicans eidem Sanctitatis V. expecto mandata iuxta informationem a me porrectam E.mo D. Cardinali Casanattae. Sanctitati V. porro quam uberriman messem animarum in Russia votis et corde desiderans, ac pro meis viribus promittens, benedici a Sanctitate V. D.no meo et Principe Oecumenico instantissime supplico, et pedes S. V. humillimo veneror osculo, maneoque quoad vivo

Sanctitatis Vestrae D.ni, D.ni mei Clementissimi  
humillimus, obsequentissimus et obligatissimus Filius ad pedes  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.  
Varsaviae, 17 Martii 1677.

## 22.

Vilna, 17. VII. 1677.

*Gratias agit de diversis gratiis suasque adiungit considerationes.*

APF. *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 468, f. 153rv.

Eminentissimi et Rev.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Non ita pridem accepi litteras EE. VV. quibus dignatae sunt retentionem Monasterii Berezvecen.<sup>57</sup> in meam personam, Sanctissimo Domino consentiente, nuntiare. Ago gratias quam maximas possum. Conditio tamen aggravans apposita est, ut nimirum 600 floren. polonicales quotannis persolvam Novitiatui. Et post Religio enim Basiliana tenet villam certam, Torokanie dictam,<sup>58</sup> ad Metropolitam spectantem, quae reddit tria aut quatuor millia florenorum, ac proinde satis superque habet, si loco sexcentum florenorum percipit tria vel quatuor millia. Accedit quod in praedicto Monasterio mihi onus incumbit alendi monachos et resarciendi tecta et ecclesiam. Unde computatis expensis Monasterii, mihi vix trecenti floreni cedent in fructum. Notum autem EE. VV. quod pro (f. 153v) Unione S. solus quasi laboro, expendo, litigo, aedifico, restauro, adversa sustineo, et sanitatem altero. Proinde dignentur EE. VV. habere in consideratione meos quales quales labores, et ab hac conditione gravaminosa liberare, praesertim quia aliunde ex meis bonis Metropolitanis compensatur Religioni ac Novitiatui. Sacram interim purpuram EE. VV. devotissime exosculans, me gratiae EE. VV. impensis commendo precibus et scribor

Eminentissimarum et Rev.marum DD. VV.

humillimus, obseq.mus et oblig.mus Servitor  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiep. totius Russiae et Polocen.  
Vilnae, 17 Iulii 1677.

<sup>57</sup> Monasterium Berezvecense Basilianorum situm erat in Palatinatu et Archieparchia Polocensi.

<sup>58</sup> Residentia Torokanensis postea devenit Sedes Superioris generalis Basilianorum post an. 1743. Sita erat in Eparchia Pinscensi et Palatinatu Berestensi.

## 23.

Vilna, 20 . VII . 1677.

*Certiozem facit Cardinalem Casanata de intentione Episcopi Leopoliensis, Josephi Szumlanskyj, suam professionem fidei catholicae publici facere iuris.*

BIBL. CASANATENSE, ROMA, Mss. Cas., vol. 332, fol. 383rv.

Eminentissime et Reverendissime Principes, Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.

Incundissima profecto accepi responsa Eminentiae Vestrae quibus meae indignitati dignata est adscribere maximum studium in tuenda Religione causa, et conversione Domini Episcopi Leopoliensis. Faxit Deus, ut quod diu noctuque mente cordeque revolvo, illud optatum Unionis Sanctae sortiatur effectum. Spes enim magnas et infallibiles concipio, quod futuris Comitibus coalescemus Rutheni in unum. Literas recentissimas a Domino Episcopo Leopoliensi habui, in quibus scribit se emoluisse clerum, edocuisse quid sit S. Unio, et in futuris Comitibus in Lithuania celebrandis promittit opera sua effecturum omnia pro publicatione Unionis in sua, alias vastissima Dioecesi.<sup>59</sup> (f. 383v) Sit plusquam certa Sanctitas (Sua), Dominus meus Clementissimus, quod in hoc negotio Domini Episcopi Leopoliensis plusquam argum ago. Atque utinam una cum illo liceat adire pedes Sanctissimi Domini Nostri et Eminentiam Vestram, una cum Eminentissimo Domino Cardinali Nerlio, Protectore Russiae venerare. Interim toties requisitus a Domino Episcopo Leopoliensi, mittam copiam epistolae Eminentiae Vestrae pro consolatione ipsius; voluit enim responsum habere Roma, sed ego conscius praxis Curiae Apostolicae, suasi et suadeo ipsi, ut publicet se post Comitibus futura unitum Episcopum. Et sic facile assequetur omnia apud Suam Sanctitatem. Mea interim obsequia nutui Eminentiae Vestrae vovens, sacram purpuram devotissimo veneror basio sumque

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus servitor et schiavo

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Vilnae, 20 Julii 1677.

## 24.

Novogrodek, 4 . VIII . 1678.

*De officio B. V. Mariae Immaculatae Conceptionis.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 96, fol. 440.

Copia capituli literarum Illustrissimi Domini  
Metropolitae Rutheno-Uniti.

Circumferuntur hic prohibitiones, et revocationes Romanae, libelli Immaculatae Conceptionis (quod asserunt a Paulo V. probatum fuisse) a RR. PP. Dominicanis, sub data Romae die VII Martii anno MDCLXXVIII typis Reverendae Camerae Apo-

<sup>59</sup> Promulgatio haec unionis locum habuit anno tantummodo 1700.

stolicae. Item sub data Romae die 17 Februarii anno 1678, ubi expresse prohibetur offitium Immaculatae Conceptionis,<sup>60</sup> ne illud audeat quisque apud se retinere, legere, imprimere, vel imprimi curare, sed statim locorum Ordinariis aut inquisitoribus tradere, sub poenis in Indice librorum prohibitorum contentis. Quaeso Illustrissimam Dominationem Vestram an ita se res habeat, notam faciat mihi voluntatem Sanctissimi Domini Nostri. Quia nisi habuero mandata Illustrissimae Dominationis Vestrae, non procedam ad executionem latorum, sed mihi vere non notorum Decretorum S. R. Ecclesiae. Mihi tamen videtur, salvo per omnia Santissimi Domini Nostri oraculo, quod Sanctissimus Dominus Noster prohibuerit Indulgentiam quasi a Paulo V. huic officio Immaculatae Conceptionis impertitam, sed non recitationem officii, quae a quadraginta, vel quinquaginta annis ita invaluit per Domos Principum, Nobilium, et Plebeiorum, u prohibere illis praedictam recitationem innumera scandala ex hoc capite tum catholicorum, tum haeticorum orientur. Accedit, quod Monasterium Zyrovicense acceperit aliquot millia pii legati pro quotidiana decantatione praedicti officii Immaculatae Conceptionis,<sup>61</sup> cui obligationi respondet Monasterium in dies, sed ego non descendam ad ullam prohibitionem, donec mihi constet ab Illustrissima Dominatione Vestra de Decretis Sanctissimi Domini Nostri. Interim me totum Illustrissimae Dominationis Vestrae gratiae devovens, et manus eius sacrosante exosculans, maneo quoad sum

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus  
CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae.

Novogrodecii, die 4 Augusti 1678.

## 25.

*Suprasl, 8 . IX . 1678.*

*Refert de gestis Josephi Sumlanskyj, de negotiis tractandis in Comitibus Regni, et aliis.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 59-60v.

Ill.mo et Rev.mo Monsignore, Padron mio Colendissimo.<sup>62</sup>

Non ho per anco avuto molte risposte alle lettere da V. S. Ill.ma, quali indirizzai per via di Dubno a Leopoli, e Javorovia, ma spero d'haverle quanto prima per via di Vilna, dove prego da qui mandarle indirizzate, raccomandando a PP. Carmelitani Scalzi, che cosi mi capitaranno nell'Arcivescovato di Polozia; ivi penso risiedere fino alla Dieta. Fo sapere a V. Signoria Ill.ma come venne da me in una villa e residenza mia, ch... Torokanie, il Monsignor Vescovo di Leopoli,<sup>63</sup> con una dovuta sommissione, lo quale accolsi con ogni amorevolezza, et osservanza. Lo tenni quattro giorni, e nel partire gli feci certi doni che valevano sopra cinquanta ungari; fo quel che posso, e Sua Santità per la promozione di V. Signoria Ill.ma si degni mostrargli

<sup>60</sup> Ecclesia Ucrainorum tum catholica tum non unita de privilegio Immaculae Conceptionis iam tunc firmiter credebat, ut dogmate fidei christianae. Cfr. A. G. WELYKYJ, *L'Immacolata in Ucraina*, in *Virgo Immacolata*, vol. 14, pag. 443, Romae 1957

<sup>61</sup> Certo certius in traductione palaeo-slava, si in ecclesia officium hoc decantabatur.

<sup>62</sup> Nuntius Varsaviensis Franciscus Martellio (1675-1780).

<sup>63</sup> Josephus Szumlanskyj (1676-1708).

qualche liberalità nella Dieta che verrà. Già gl'ho promesso di pigliar la sua corte, e cavalier a mie spese, e verranno insieme alla Dieta. Benchè sul principio bisogna tardarci a venir (f. 59v) non sapendo in che darà questa Dieta. Basta che le nostre cose dell'Unione appena sul fine si trattaranno. De i Scismatici poi non temiamo più; mando qui la lettera del Monsignor di Leopoli, qual scrisse a Sua Santità, aggiungendola anco la mia, e prego V. Signoria Ill.ma di farle capitare, e si degni pregar Sua Santità per la translatione della festa del B. Martyre Giosafat, che possa cadere e celebrarsi non a i 12 del Novembre (dove i ghiacci, piogge impediscono far la strada a i divoti), ma a ventisei del 7bre, in un tempo assai commodo da viaggiarsi.

Haveva dato Sua Maestà il Privilegio al Monsignor Vescovo di Leopoli che potesse pigliar possesso de i beni vacanti, dopo la morte di Wasilewicz, Pseudo Vescovo d'Alba Russia,<sup>64</sup> non gli potè apprendere per la resistenza che gli fece Signor Gran Maresciallo di Lithuania, ma vederemo nella Dieta moderare queste cose, perchè meglio che habbia Monsignor Vescovo di Leopoli come Unito quei beni, che un Scismatico. Prego V. Signoria Ill.ma (f. 60) di far capitare questa lettera indirizzata a Monsignor di Leopoli nella sua residenza a San Giorgio. E qui pregando da Divina Maestà a V. Signoria Ill.ma ogni desiderabil prosperità, et raccomando alla sua grazia, baciando devotissimamente le sue sante mani, mentre mi rassegnio

Di V. Signoria Ill.ma et Rev.ma.

humilissimo, divot.mo et oblig.mo Servitore  
CYPRIANO, ARCIVESCOVO di tutta la Russia e di Polocia.

Supraslío, 8 del 7mbre 1678

\* \* \*

Agl'undici del corrente consecrerò in Abbate di Supraslío R.mo P. Giosafat Michniewicz,<sup>65</sup> essendosi già aggiustate e sopite tutte le cose fra di me et il Signor Chotkiewicz, Collatore. Monsignor Vescovo di Vilna interverrà all'hora.<sup>66</sup>

\* \* \*

(f. 60v) Prego V. S. Ill.ma instantissimamente e con ogni premura, che dia ordine al R. P. Andrea Pogorzelski della Compagnia di Giesù, Regente dell'Alunato Pontificio di Vilna, che riceva i duoi nostri Monaci Basiliiani alla scuola di Grammatica, perche non gli vol ricevere senz'ordine espresso dl V. S. Ill.ma; uno di questi Monaci è Nipote carnale del Monsignor Vescovo di Leopoli Rutheno;<sup>67</sup> res non patitur moram. Si degni V. S. Ill.ma scriverci direttamente a sudetto Padre, et ordinarci le sue lettere a Vilna, al Monasterio della Santissima Trinità de i Padri Basiliiani Uniti; prego V. S. Ill.ma, che dia quest'ordine quanto prima, acciò la gioventù non sia in ozio, etc.

<sup>64</sup> Theodosius Wasilewicz, Episcopus Mohiloviensis non unitus (1669-1678), primum Archimandrita Slucensis. Post eius obitum Eparchia haec vacabat usque ad an. 1697.

<sup>65</sup> Archimandrita Suprasliensis ab an. 1678 ad an. 1692.

<sup>66</sup> Nicolaus Pac, Episcopus Vilmensis Latinorum (1672-1684).

<sup>67</sup> Agitur de Gedeone Szumlanskyj, an. 24, qui in Collegium Vilmense admissus fuit die 4. IX. 1678; Logicae studuit; callebat vero linguam latinam, polonam et sclavonicam.

## 26.

*Suprasl, 8 . IX . 1678.**Rogat Pontificem de translatione die festi B. Josaphat ad diem 26 Septembris.*ASV, Litt. *Episcoporum*, vol. 61, fol. 241.THEINER A., *Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 672, nr. 686.

S.me ac B.me in Christo Pater, D.ne D.ne Clementissime.

Quod operam meam impendam reducendo ad gremium sanctae Matris Ecclesiae D.no Episcopo Leopoliensi Rutheno,<sup>68</sup> plane nullam Sanctitatis Vestrae Apostolico dignetur elogio; id enimvero ipsum illi pondus addit, quo aliquid esse videatur, quemadmodum et ipse, qui fui nullus ex me, ore Petri in Antecessore Sanctitatis Vestrae locuto is sum, qui in Russia mea supraque illam nunc audio et sum. Itaque tantae vocis dignatione animatus, promptus abhinc in verbo tuo, Beatissime Pater, laxabo retia in capturam, totum me operi laborique huic consecrans, consecraturusque dum vivo. Porro cum promovendae Sanctae Unionis multum uniceque intersit, ut cultus B. Martyris Iosaphat augeatur, erga hunc enim proni facti Schismatici, facile proni reddentur in Sanctam Romanam Ecclesiam, pro qua norunt ipsum mortem appetisse, illud a Sanctitate Vestra, quod cultui isti promovendo peracto modum fore omnino constat, demississime supplico, ut dies divi Martyris Natalis, quo ipse per pretiosam martyrii mortem caelo natus est, vitamque adiit beatam, qui in duodecimam incidit Novembris, Sanctitatis Vestrae indulto transferatur in diem ante vigesimam sextam Septembris, anniversaria pompa colendus. Nempe November mensis, uti pluvis ac immaturae glaciei cum discrimine vitae ad sacras Martyris exuvias devote proficiscentium obnoxius, facile avertit ab hac sancta peregrinatione pios fideles, quorum numerus innumerus alias confluxisset. Hanc gratiam a S. V. ubi fuero consecutus, una cum Russia mea multos serosque Sanctitati Vestrae, S. Ecclesiae Catholicae bono precabor, ut et precor perenniter annos. Nunc vero sanctissimis provolutus pedibus iisdem humillimum figo osculum, sumque quoad vivo

Sanctitatis Vestrae D.ni D.ni mei Clement.mi

humillimus, devotissimus et obligatissimus Filius ad pedes

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Suprasly, 8 Septembris 1678.

## 27.

*Suprasl, 10. IX. 1678.**De convalidatione matrimonii supplicat Metropolita.*APF, *Scritt. rif.n. Congreg. Gen.*, vol. 473, f. 106rv, 107rv.

Eminentissimi et R.ndissimi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Theodorus Wieliczko, Nobilis Palatinatus Smolenscensis, ante hostilitatem Moschoviticam immediate, quae invaluerat anno Domini Millesimo sexcentesimo

<sup>68</sup> Josephus Szumlanskyj, qui anno 1677 professionem secretam emisit fidei catholicae.



quingagesimo quarto,<sup>69</sup> contra Regnum Poloniae et M. D. Litt., coactus minis Parentum anno aetatis decimo tertio duxit sibi in uxorem Solomeam Lupichina, ipsique convivens, prolem suscepit ex ea, quae proles mortua est. Deinde promotus ad Ordines, usque ad Presbyteratum inclusive, in Ritu Graeco, per Archiepiscopum Smolenscensem S. R. Ecclesiae Unitum.<sup>70</sup> Sed postquam Smolenscum, civitas fortissima, fuit expugnata per Moschum, et Palatinatus Smolenscensis ad Domnium Ducis Moschoviae pervenit, praefatus Orator, ex fragilitate humana, spretis Ordinibus, et relicta penes Moschos praefata uxore contulit se ad statum saecularem, et quia inauditam primam factam schismaticam uxorem sub Duce Moschoviae, transivisse ad alias nuptias, et nunc cum secundo marito vivere, ac plures ex eo suscepisse filios, duxit et ipse praefatus Orator secundam uxorem, Nobilem (cum vere non possit secunda dici uxor, ob coactionem intercedentem inter primam), ac ex ea suscepit duos filios, convixitque ipsi per decem et octo annos, usque ad diem conversionis suae ab apostasia, quae subsecuta decima nona Junii, anni (f. 106) praesentis, Millesimi sexcentissimi septuagesimi octavi, Vilnae, ad aedes SS.mae Trinitatis PP. Basilianorum unitorum, me tunc praesente, et absolvente, uti Metropolitano. Iamque per Dei gratiam dictus Orator manet in statu Presbyterali, et exercitio Ordinis sacerdotalis; supplico proinde Eminentissimis Vestris quam humillimis precibus, ut possit retinere hanc secundam uxorem, cum qua maturos iam habet duos filios, Rethorices peritos, et ad omnia quaeque natos. Primae enim uxori non potest convivere, quia illam coactus duxit, et certe sub ditione Moschi manens, alterumque habens maritum, nunquam cohabitabit Oratori; moderna vero secunda uxor iam a decem et octo annis, sciens Oratorem fuisse Presbyterum, convixit ei liberrime. Unde supremae ac visibili potestati Sanctitatis Suae, cui par nulla in Orbe, per Eminentias Vestras supplico, ut fragilitati dicti R.ndi Theodori Wieliczko consulendo, et quia a thoro matrimoniali abstinere non valet, dignetur Apostolica benedictione retentionem huius secundae uxoris, Toloekowna dictae, annuere. Sic huius rei facto sincerrime coram Eminentissimis Vestris exposito, expecto beneficium Sanctitatis Suae oraculum, quo reddatur compos (f. 107) retentionis huius secundae respective uxoris praefatus Wieliczko, Presbyter unitus. Sacras interim purpuras Eminentiarum Vestrarum devotissimo exosculans basio, me totum imperiis Eminentiarum Vestrarum subiicio, et gratiae commendo.

Supraslii, 10 Septembris, Anno 1678.

Eminentissimarum et R.marum Dominationum Vestrarum

humillimus, devotissimus et obligatus Servus et Schiavo  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiep. totius Russiae et Polocen.

## 28.

*Suprasl, 10. IX. 1678.*

*De bonis Seminarii, nec non de convalidatione matrimonii Theodori Wieliczko.*

APF, *Scr. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 58rv.

<sup>69</sup> Bellum hoc indictum fuit, ut auxilium praestaretur exercitui cosatico sub ductu Bohdan Chmelnycy, Ducis Cosaccorum (1648-1657). Multa damna intulit Ecclesiae Unitae.

<sup>70</sup> Andreas Zloty-Kvasninskyj (1640-1654).

Ill.me et Rnd.me Domine, Domine et Patrone Col.me.<sup>71</sup>

Dum inclusas hic meas ad Ill.mam Dominationem Vestram expedio, supervenerunt binae aliae ab Ill.ma Dominatione Vestra, alterae tertia Augusti, alterae eiusdem decima, Jaroslavia datae.<sup>72</sup> Ad quas, quoad ulteriorem de erigendo Seminario informationem, respondeo. Summam 1500 scutorum ex symbola variorum pro Seminario collectam, impensam esse pro Bonis dictis Usiacz. Quae quidem Bona illo tempore 150 numerabant Villicos, Operarios, et Agricolas, ut paria fuerint alendo alicui numero Alumnorum. Nunc ad tantam redacta desolationem, quid sunt Seminario dotando? nisi bona impendatur summa illis instaurandis; vel certe pluribus annis expectetur, dum sensim congregentur Villici, et excolant derelictos agros. Interea urget opus et SS.mi Domini Nostri gratiam messis magna, et operariorum paucitas in Rhussia. Ex nobis enim quae spes, qui et ipsi depauperati sumus, tantum aggrediendi efficiendique molimen?

Quod Theodorum Wieliczko attinet, scribo ipse et preces pro illo porrigo Sacrae Congregationi de Propaganda Fide; idemque praestari ab Ill.ma Dominatione Vestra humillime rogo. Memoriale SS.mo Domino Nostro porrigendum committo P. Procuratori nostro in Urbe. Caetera volare cuperem ad Ill.mam Dominationem Vestram, cumque ea, ac per eam apud S. R. Maiestatem agere res Ecclesiae meae ac S. Unionis, nisi molestissima quedam retacula me alligatum tenerent hisce Regionibus. Vota tamen (f. 58v) mea pro negotio S. Religionis Catholicae, Ill.mae D.ni Vestrae nota, in eiusdem depono sinu, et paternae, millies repetitis vicibus, commendo curae, me vero ipsam aestimatissimis suis gratiis favoribusque, cum devotissimo S. Dexterarum osculo.

Supraslii, 10 Septembris 1678.

Ill.mae et R.mae Dominationis Vestrae

humillimus, dev.mus et oblig.mus Servitor et Schiavo  
CYPRIANUS, Archiep. totius Russiae et Polocien.

## 29.

*In Russia Alba, II. 1679.*

*Ampla informatio seu potius programma Unionis universalis Ruthenorum, in quo programmata modo speciali pars Regis et Ordinis Basiliani sublineatur.*

APF, *Congreg. Part.*, vol. 25, fol. 138-143.

Informatio Sanctissimo Domino Nostro, Innocentio Divina Providentia Papae XI Domino Nostro Clementissimo, pro conversione Ruthenorum obtinenda, per me Cyprianum Archiepiscopum totius Russiae, collato maturrimo consilio cum Ill.mo et R.mo Domino Nuntio Apostolico, porrecta. Grodnae mense Februarii Anno 1679.

In Comitibus praeteritis Regni Poloniae, de anno 1677, sancitum fuit lege publica, urgente idipsum Sacra Regia Maiestate, ut hisce Comitibus Magni Ducatus Lithuaniae convenirent omnes Ecclesiastici Schismatici, et in unum Sanctae Romanae Ecclesiae fidei coalescerent dogma. Sed uno principali ac docto Pseudo Episcopo Albae

<sup>71</sup> Nuntio Varsaviensi, Francisco Martellio (1675-1680).

<sup>72</sup> Civitas in partibus meridionalibus prope Peremysliam.

Russiae, Theodosio Wasilewicz, vita functo,<sup>73</sup> et superstitionibus tantum duobus ipsorum sectae Episcopis, nempe Luceorien., et Premislien.,<sup>74</sup> non erat possibile ut in modernis Comitibus desideratum perficeretur opus. Praesentantur tamen media Sanctitati Suae Domino Nostro Clementissimo . . . . . (f. 138v) et tota Russia schismatica convertatur.

1. Opus Schismaticorum conversionis in Russia praecipue situm est in zelo Sacrae R. Maiestatis, quae non vanos impendit conatus reductioni ipsorum ad pedes Sanctitatis Suae, tum ob rationes fidei, ne pereat tanta multitudo animarum, tum ob rationes Status, ut nimirum arceantur a recursum vel Constantinopolim ad Patriarcham Graecorum, vel Moscuam, ad Ducem Moscoviae, praecipuum fautorem et caput Schismaticorum. Et licet Turcico bello mansit oppressum schisma cum Ecclesiis in Podolia, et Ukraina, nihilominus per Monachos, qui intra ditiones Sacrae Regiae Maiestatis reperiuntur, tanquam Emissarios non cessant nec cessabunt dicti schismatici Episcopi una cum monasteriis suis facere recursum, vel in Moscuam, vel in Graeciam, pro conservatione sui.

2. Nihil salutarius, si succedentibus fati Pseudo Episcoporum Luceorien. et Premislien., Sacra Regia Maiestas non conferat . . . . . Episcopatus, nisi probato (f. 139) viro unito, vel certe suspendat gratiam collationis, ut tandiu vacet Episcopatus, donec recursum fiat ad Sac. R. Maiestatem pro praesentatione talis personae, quae sentiat idem cum Metropolitanis Russiae unito. Idem suadet semper Metropolitanus Russiae DD. Senatoribus et Nobilibus, Patronis ecclesiarum Schismaticorum, ut in casu mortis Presbiterorum acatholicorum abstineant a collatione beneficii vacantis, et tandiu non praesentent, donec Unitis cedat Parochialis ecclesia, quod et faciunt.

3. Consecrandi in Episcopatum Luceoriensem et Premisliensem, et promovendi ad Beneficia schismatica necesse est emittant professionem fidei, conscia Sac. R. Maiestate, Ill.mo D. Nuntio Apostolico, et Metropolitanis Russiae unito. Si enim non obtentu ambitionis, sed ex toto corde, saltem externe, de quo iudicat Ecclesia, convertuntur, sufficet Sanctae Sedi Apostolicae talia habere subiecta; ad quod etiam requiritur, ut consecrationem suscipiant ab eodem Russiae Archiepiscopo unito.

(f. 139v) 4. Post fata recentissima Pseudo Episcopi Mohilovien. et Albae Russiae, Theodosii Wasilewicz, procurat apud Sac. R. Maiestatem illum Episcopatum fere Schismaticus, Clemens Trisna, Superior Monasterii schismatici Vilnen.<sup>75</sup> genere quidem conspicuus, sed nulla peritia rerum aut doctrina praeditus, cuius promotioni Metropolitanus Russiae apud Sacram R. Maiestatem restitit, et illam impedivit. Nihilominus ut praefatus Trisna obtineat vacantem Episcopatum, mittit se emissurum professionem fidei coram Metropolitanis Russiae unito; super quo ipsum tandiu deliberandum duxerim, quamdiu veniant responsa et mandata Sanctitatis Suae. Interim vel morietur, vel certior fiet Catholicus, et consecrationem rogabit a Metropolitanis unito. Summa rei, et conversionis Schismaticorum est, si Sacra Regia Maiestas nectat moras in conferendis vacantibus Schismaticorum Episcopatibus. Accedit, quod post eversam Ukrainam Cosaticam, inermes facti Schismatici. Proinde, nunc est tempus acceptabile reliquias istas salvandi.

<sup>73</sup> Anno 1678.

<sup>74</sup> Gedeon Svjatopolk Czetvertynskyj, Episcopus Luceoriensis, et Antonius Vynnyckyj, Episcopus Peremysliensis et Metropolita Kioviensis non unitus.

<sup>76</sup> Eparchiam hanc nunquam obtinuit.

(f. 140) 5. Pseudo Episcopus Premislien., Winnicki,<sup>76</sup> qui et Metropolitam se vocat in schismate, cum sit propectae aetatis, vellet stabilire apud Sac. Regiam Maiestatem Successorem in Sede sua episcopali Premisliensi, hoc est Nepotem suum,<sup>77</sup> qui modo cubicularium agit Sac. R. Maiestatis, sed radicans et hic in schismate. Spem tamen aliquam facit conversionis suae ad Unionem. Ideoque vel professionem fidei emittat, et consecrationis munus petat a Metropolitanano Russiae, vel non vocetur amplius Premisliensis Episcopus (in praeiudicium Episcopi uniti Premislieni.), sed Samboriensis; cum omnes Episcopatus Russiae habeant duos titulos annexos. Interim dividantur Bona Mensae episcopalis Premisliensis pro sustentatione tum nostri Episcopi uniti Premisliensis, tum Nepotis istius Pseudo Episcopi Winnicki, qui Samboriensis intulabitur.

6. Rogandus erit obnixè Serenissimus Poloniarum Rex, ut Metropoliam Chioviensem ad unum (f. 140v) Metropolitanano unito debitum reducat titulum, neve amplius det binos titulos. Imo, postquam Dux Moschoviae Chioviam Civitatem Metropolitanam restituet Serenissimo Regi nostro, ut Cathedralis Chioviensis, una cum Archimandria seu Abbatia Peczaresi, et bonis Mensae Archiepiscopalis Chioviensis, quorum olim in possessione fuerunt Michael, Hypatius, et Josephus,<sup>78</sup> tres Archiepiscopi Russiae uniti, pariter restituantur moderno Archiepiscopo unito, licet sint penitus modo desolata et deserta.

7. Dominus Episcopus Leopoliensis, recens conversus,<sup>79</sup> persistit quidem in sua conversione, et est aptissimum subiectum ad convertendos Schismaticos, dummodo se publicet esse unitum, una cum Clero. Non videtur enim sufficere, quod communicet Ill.mo Domino Nuntio Apostolico, et Metropolitanano Russiae per secretas audientias, conferentias et litteras, sed necesse est, ut confiteatur id quod credit coram hominibus, et fides eius non sit occulta. Sumus (f. 141) enim in Repub. libera, ubi palam, et intrepide colitur Sancta Sedes Apostolica Romana eiusque dogmata sacrosancta observantur; deberet tamen Sancta Sedes egestati ipsius succurrere.

8. Credebat Metropolitanus Russiae colloquium amicabile esse necessarium inter Unitos et Schismaticos, antequam hi accedant ad S. Unionem, non per modum disputationis, sed per modum compositionis et strictae coniunctionis fraternae. Sed quia Sac. Regia Maiestas abnuat praefatum colloquium, recedit ab illo Archiepiscopus Russiae unitus. Videtur tamen esse omnino necessarium praedictum Colloquium,<sup>80</sup> saltem ad stabiliendas libertates Cleri Ritus Graeci, privatorum iniuriis oppressi, ad restitutionem ecclesiarum et bonorum, si quae sunt alienae e Ritu Graeco, ad comparandam debitam observantiam eidem Ritui in Iudiciis cuiuscunque subseii Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae (f. 141v) aliasque in hoc Regno immunitates, honores et qualitatem proportionatam respective Ordinibus Regni, in favorem huius Ritus amplissimi circumscribendum et bene fundandum. Hoc enim timent Schismatici, quod

<sup>76</sup> Antonius Vynnyckyj (1663-1679).

<sup>77</sup> Innocentius Vynnyckyj, Episcopus Peremysliensis (1680-1700), ab anno 1681 secretam professionem fidei catholicae fecit, quam anno 1692 simul cum tota Eparchia publicam proclamavit.

<sup>78</sup> Michaël Ragoza (1588-1599), Hypatius Potij (1600-1613), Josephus Velamin Rutskyj (1613-1637).

<sup>79</sup> Anno 1677.

<sup>80</sup> Colloquium s. d. Lublinense locum habuit anno 1680, mense Ianuario, sed statim ad aliud tempus translatum fuit et in vanum abiit. Omnia haec negotia Cyprianus Zochovskyj publici fecit iuris in Libro: *Colloquium Lublinense*, ed Zamostiae 1680.

per accessionem ad S. Romanae Ecclesiae complexum non poterunt amplius suas vel iustissimas promovere praetensiones, sed vellent prius congregari cum Unitis, et apud Sac. Regiam Maiestatem efficere ista omnia, alioquin consona iustitia.

9. Non postremum conversionis Schismaticorum medium est Religio S. Basilii M., subministrans continuo Operarios, quibus ut non destituatur, haec vel unice requiruntur. Noviciatus indeficiens, et omnibus necessariis praeditus; Seminarium alicubi in Russia excitandum; Alumnatus Sanctissimi D. Nostri per Poloniam, Germaniam, et Romae in Collegio Graecorum ut semper pateant iuventuti Basilianae (f. 142) excolendae, quod ipsum cum habeamus per gratiam Sanctitatis Suae, continuari semper eandem gratiam in praefatis Alumnatibus Sanctitatis Suae instatissime supplicat Metropolitanus Russiae. His enim Alumnatibus constat res totius Unionis, et conversionis Schismaticorum intantum, ut modo Religio Basiliana supra triginta doctos et accinctos laboribus apostolicis numeret Operarios, Schismatici vero ne unum quidem solidae doctrinae habent virum, sed si qui sunt vel Apostatae non fundati in doctrina et spiritu, vel rudes penitus Callogeri, ad vocalem tantum in ecclesia orationem respicientes, in Cellis vero ita vivunt, uti Saeculares in mundo. Reguntur autem, in Civitatibus potissimum, non tam a Superioribus Monasteriorum suorum, quam a Confraternitatibus ipsorum saecularibus, quae subministrant ipsis alimenta et amictum, eoque motivo praemiant (f. 142v) et puniunt ipsos auctoritate laicali. Pro Noviciatu Basiliano iam fecit et faciet multa modernus Metropolitanus Russiae, et quantum virum in ipso erit, curabit illum providere, dotare, et in meliori collocare loco, quam modo reperitur Bythenii, in Monasterio longe a scholis et Academiis Regni dissito. Seminarium vero in Russia unice esset necessarium saltem pro educatione et instructione usque ad Rhetoricam et Theologiam moralem inclusive filiorum Russiae Presbiterorum; hi enim post fata suorum Parentum promoventur ad vacantes Parochias. Sed si non aderit munificentia Sanctitatis Suae, pro extruendo et dotando Seminario Russiae Metropolitanus una cum DD. Episcopis non est par tanto operi, inspecta calamitate huius Reipublicae! Sed de Seminario iam informavit Sanctitatem Suam Metropolitanus Russiae.

Libri desunt nobis penitus sclavonici, qui typo deberent (f. 143) mandari, et reimprimi,<sup>81</sup> uti Missale, Officium Divinum, Menologia, Triphologia, Psalterium, Hymni S. Damasceni, Octoichon dictus liber, et potissimum quo administrantur Sacramenta deficiunt nobis typis editi libri.

Haec omnia supremae Instantiae et arbitrio Sanctitatis Suae subiiciendo, et mandata expectando manu propria subscribo.

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

### 30.

Grodno, 4 . III . 1679.

*Commendat Michaellem Galinski, Canonicum, ad Eparchiam Smolenscensem promovendum.*

APF, *Scritt. rif.n. Congr. Gen.*, vol. 480, f. 172rv, 175rv.

<sup>81</sup> Aderant tantummodo editiones non Unitorum ex prima medietate saeculi XVII, Uniti vero semper in programme habebant fundandi typographiam sclavonicam. Etiam nunc anno tantummodo 1690-1692 ad editionem Missalis in nova forma processum fuit.

Eminentissimi et Rev.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Quas deponam instantias apud EE.VV., Dominos meos, pro obtentione Episcopatus titularis in personam Rev.mi D. Michaelis Galinski, Canonici Regularis, et viri undequaque praestantissimi; supplico instantissime eas exaudiri, et per gratiam Sanctitatis Suae, mediante tanto patrocinio Eminentiarum Vestrarum, expediri praefatum Episcopatum. Non enim Rev.mus Dominus Michael Galinski ambitu, vel ostentationis alicuius gratia obtinere contendit hunc titulum Episcopatus, sed qua Episcopatus Smolenscen., per recentissimam accessionem dioecesis supra quadraginta leucas, indiget Suffraganeo, et consensus supra hoc ipsum (f. 172v) a loci Ordinario, Ill.mo Domino Episcopo Smolenscen. est datus, nil aliud restat nisi meas supplicationes in hac causa recipi paterno pectore ab Eminentis VV. Sciunt enim meos quales quales pro Sancta Unione in hoc Regno labores, sciant quoque Eminentiae Vestrae quod et Rev.mus D. Galinski, quem commendo, sit Minister Unionis Sanctae in hoc Regno, et praeclara semper operatur in rem Unionis, uti et in hisce Comitibus sui zeli insignia praestitit erga Sanctam Unionem documenta, dum efficaciter mecum allaboravit in demoliendo et subruendo Episcopatu (f. 175) Albae Russiae, alias iam concessio, et subscripto, in personam unius feri Schismatici, Trisna. Et plura fortioraque aget praefatus Rev.mus Galinski, dummodo animetur hac promotione Eminentiarum Vestrarum, ad quas praecise concernit promotio talium personarum quae promovent Sanctam Unionem, maxime in Confiniis Moscoviae, ubi Episcopatus Smolenscen. locatus et bona haereditaria sat opulenta consistunt R.mi Galinski. Oro itaque impensissimis praecibus EE. VV. ne vota mea tam necessarium negotium Unionis Sanctae et Fidei Catholicae spectantia (f. 175v) aut frustrentur aut reddantur vacua. Expectans igitur desideratissimum ab Eminentis VV. responsum, sacras earundem purpuras devotissimo veneror basio, ac me gratiae Eminentiarum Vestrarum ardentissimis precibus devoveo sumque quoad vivo

Eminentissimarum et Rev.marum Dominationum VV.rum

humillimus, devot.mus et oblig.mus Servus et Schiavo  
Fr. CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Metropolitanus totius Russiae et  
Archiepiscopus Polocen. (mp).

Grodnae, 4 Martii 1679.

### 31a.

*Zyrovyczi, 31 . VII . 1979.*

*Documentum renuntiationis Officio Protoarchimandritae nec non obligationis non assumendi Coadiutores Metropoliae Kioviensis, nisi ad praesentationem Protoarchimandritae.*

BIBL. APOST. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, P. I, fol. 64rv.

Cyprianus Zochowski, Dei et Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis etc. Archimandrita Leszczynensis.

Notum facio hic litteris unicuique, quorum praesentes intererint, praecipue vero Ill.mis Dominis Episcopis Ritus Graeci, pariter toti O.S.B.M., quod ergo Metropolitanus manens obligatus ab Ill.mo sanctae memoriae Domino Gabrieli Kolenda, Metropolitano totius Russiae ad hoc, ut Religionem O.S.B.M. singulari prosequar affectu, leges antiquas in ullo violem, ad Protoarchimandriam religiosam non aspirem, Archimandriasque nocivas Religioni tollam, satisfaciendo obligationi meae personae

impositae sub tempus praesentationis personae meae ex gratia Ordinis in Coadiutorem et Successorem in Metropoliam totius Russiae, cupiens testatam gratificari gratiam O.S.B.M., profitendo ingenue quod sim ex gratia eius in officium primae in Russia dignitatis promotus, omnia in antecessum data Antecessorum meorum scripta auctoritate metropolitana confirmo, acta Congregationis nostrae Novogrodensis reasummo, Protoarchimandriae ex decisione Capituli Novogrodensis a Metropolitanis avulsae renuncio et, approbando omnia Sae Congregationis Novogrodensis Decreta, hoc scripto meo caveo, quod observando generale Statutum Ordinis nostri neminem in Coadiutorem et Successorem pro Metropolia totius Russiae acceptabo, praeter hunc, quem mihi (si eo indigero) praesentabit Rev.mus in Christo Pater Protoarchimandrita Ordinis cum Consultoribus suis. Quae omnia ut maioris sint valoris penes sigillum manusque meae subscriptione roboro.

Dabantur Zyroviciis, die 31 Julii, Anno 1679.

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Metropolitanus totius Russiae (m. p.)  
(L. S.)

*(Litterae hae extractae fuerunt anno 1728 ex Actis Consistorii Vilnensis in praesentia Barnabae Swidnicki, O.S.B.M., Collationatoris cum textu lingua polonica exarato, et Mathiae Casimiri Gudelewicz, Notarii publici Consistorii Episcopatus Vilnensis; litteras vero praesentavit Leo Lucas Kiszka, O.S.B.M., Protoarchimandrita Ordinis Basiliani an. 1708; sed, ut videtur, agitur de documento falso).*

## 32.

*Zyrovyczi, 12 . VIII . 1679.*

*Pro approbatione Constitutionum Capituli generalis et de Colloquio s. d. Lublinensi.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 133rv.

Sanctissime et Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

In variis nostrae Unionis et Religionis negotiis, ad Sacram de Propaganda Fide Congregationem, et ad Emin. Cardinalem Nerlium, Russiae Unitae Protectorem, potissimum vero ad Ill.mum Poloniae Nuncium,<sup>82</sup> nostras supplices dedimus literas, ut is idem et Sacrae Congregationi et Vestrae Sanctitati necessitates commendaret nostras. Vestram autem Sanctitatem hisce, pro ea qua decet reverentia, et quo debemus, et valemus eidem nisu, supplicamus, ut pro sua suprema Coelo coram auctoritate, tum Congregationis nostrae Statuta modernae<sup>83</sup> comprobare, tum petita nostra ad Suas Eminentias expressa, benigne exaudire, atque efficaci executioni mandare velit. Praecipue vero Vestrae Sanctitati, Domino, Domino Nostro Clementissimo, supplices nos gerimus, pro instituto a Sac. Regia Maiestate Schismaticis et nobis Colloquio,<sup>84</sup> ut tandem aliquando, per amicabile istud Colloquium, ad desideratam per tot et tantas gens nostra Ruthena tempestates deveniat in fide sancta Unionem. Cuius exemplo, proclive est, ut etiam natio longe lateque diffusa Moschovitica, eandem

<sup>82</sup> Franciscus Martellio (1675-1680).

<sup>83</sup> Ex Capitulo generali Basilianorum Zyrovicensi an. 1679, diebus 25-31 Julii celebrato. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 16.

<sup>84</sup> Colloquium Lublinense, convocatum Lublini, mense Ianuario 1680. Cfr. notam 80.

fidei accedat ad unionem, et Sedi Sanctitatis V. Apostolicae obedientiae vinculo devinctur. Quin imo inde ipsae etiam Graeciae speramus Russiam nostram hoc idem unionis illaturam lumen. Iuxta oraculum quondam sanctissimae recordationis Antecessoris Vestrae Sanctitatis Urbani VIII, qui nostris olim Ruthenis magnis Viris, ad pedes suos advolventibus edixit: O, mei Rutheni, per vos ego Orientem spero convertendum.<sup>85</sup> Itaque quicquid (f. 133v) in nobis virium reperitur, eas in submissas effundimus preces, a Vestra expetentes Sanctitate, quatenus hoc pium benedicere, promovere, protegere, et gratia sua adjuvare opus dignetur. Nos autem uti antea semper, ita longe magis id temporis Vestrae Sanctitati devinctissimi manebimus. Cui felicissimum in Sede Petri regimen, valetudinem diuturnam, et omnia prosperrima apprecantes, pedibus eius advolvimur.

Zyroviciis, Aug. 12. 1679.

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini Nostri Clementissimi  
humillimi, devotissimi et obligati Filii ad pedes

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae (mpr).

LEO ZALENSKI, Protothronius Metropoliæ Kiioviensis, Episcopus  
Vladimirien, et Bresten.

JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmen. et Belzen. Archimandrita Zydicin (mpr).

MICHAEL MARCIANUS BIALOZOR, Episcopus Pinscen. (mp).

METROPHANES DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolocens.  
et Severiensis.

STEPHANUS MARTISZKIEVICZ BUSINSKI, Protoarchimandrita Ord. D.  
Basili Magni (mpr).

PACHOMIUS OHILEVICZ S. Theol. D., Ord. S. Basili Magni Vic. Consultor.

SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor O.D. Basili, Superior Zyroviciensis (mpropria).

GEORGIUS MALEIIEWSKI, O.D.B.M. Consultor, Praepositus Czercien.

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Ord. D. Basili Magni Proconsultor (mpr).

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, Secretarius O.D.B.M., Superior Bithenensis.

### 33.

*Zyrovyczi, 12 . VIII . 1679.*

*De confirmatione Constitutionum Capituli, nec non explicat programma Colloquii Lublinensis ad unionem Ecclesiarum procurandam.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 131-132.

Emin.me et Rev.me Princeps, Domine, Domine et Protector Amplissime.

Optime nobis constat de favente Vestrae Eminentiae super Unionem nostram

---

<sup>85</sup> Fama fert verba haec pronunciata fuisse an. 1629, in audientia SS.mi Methodio Terleckyj, Basiliano, concessa, dum Missionarius S. Sedis constitutus in Europam meridiionalem mittebatur.



Protectione, ad quam etiam hisce nostris recurrimus literis, omni quo par est nisu deprecantes, quatenus ea, quae in nostra Zyroviciensi transacta sunt Congregatione,<sup>86</sup> sua efficaciter apud Sac. de Propaganda Fide Congregationem atque apud SS.mum D. N. auctoritate, pro bono Religionis nostrae Divi Basilii et Unionis S. incremento commendare velit. Quippe et ante quadriennium nostra Congregatio per Vestram Eminentiam eum sortita est valorem. Unde etiam praesentis Congregationis non disparem praestolamur effectum. Porro innotuit nobis per Rev.mum Episcopum nostrum Chelmensem<sup>87</sup> de Sac. Regiae Maiestatis Poloniae voluntate, quod nos inter et Schismaticos Sua Maiestas in fide s. catholica efficere concordiam nitatur, et colloquium nobiscum fieri velit, quo mediante ad illam devenire possimus, qua de re idem D. Episcopus, uti S.R. Maiestati id temporis praesens, V. Eminentiae suis iam ante duos plane menses significavit litteris. Quod desideratum a multis annis colloquium dum commemoramus, Vestrae Eminentiae supplices nos substernimus, quatenus non modo apud Sac. de Propaganda Fide Congregationem, verum etiam apud Sanctiss. D.N. auctoritatem suam interponere velit, ut tandem aliquando hoc colloquium perficiatur. Ipsi enim Schismaticorum antesignani facile inclinatos ad concordiam in fide nobiscum commonstrant animos. Et si praecipua nobis adhaeserint capita, nullo fere negotio non minus clerus, quam indocti populi suos imitati pastores, eandem amplectentur Unionem. Neque nobis cum iis erit aliqua de fidei articulis disceptatio iam statutorum articulorum ex ipsis nostris slavonice editis ecclesiasticis libris confirmatis. Et quoniam agatur de nostris utrinque iuribus in eo proponendis colloquio, longe clarissime nobis omnia servire beneficia, et non Schismaticis deducemus. Potissimum quod ipsorum iam potentia in nobilitate, populo, et vi cosatica fundata, penitus sit pessumdata. Unde nolentes volentes ne illis adimantur beneficia, Unioni Sanctae manus eos duros speramus. Quin etiam optimum esset, si Sanctissimus Primus D.nus Noster Clementissimus pro maiori huius colloquii auctoritate Ill.mis Dominis Archiepiscopo Leopoliens. et Episcopis Praemyssiens. latinis, nomine suo (f. 131v) ad istud descendere colloquium demandaret, plurimum id nobis ponderis adderet. Caeterum cum in dicta nostra Congregatione Ill.mus Archiepiscopus Metropolitanus hunc pro communitate affectum nostra demonstravit, quod inhaerendo statutis olim Archiepiscopi Russiae, Sanctae Memoriae, Rutschii<sup>88</sup> et Decreto SS.mi D.N. Urbani VIII<sup>89</sup> in perpetuum et seipsum a Protoarchimandria Basiliana, et omnes amovit Praelatos, statuitque ut ipsi solum ad hanc Religionis Provinciam promoveantur Religiosi. Atque ut reticentiae involvantur, triginta aliquot milibus florenorum Religionis nostrae per eundem Ill.mum Metropolitanum bona comparata, et nonnulla alia, quae ex ipsis Congregationis actis Vestrae Eminentiae patebunt. Rem totidem Ill.mus praestitit Religionis desiderabilem, quod neminem se Religiosum sive ad Abbatias nostras, sive ad Episcopatus promoturum obligaverit, nisi ex commendatione et consensu Religionis Superiorum. Ex quo multa et magna speramus bona. Personae quippe ad tanta promovebuntur munia, et de Religione et de Unione bene meritae.

<sup>86</sup> Capitulum Zyrovicense an. 1679, diebus 15-31 Julii.

<sup>87</sup> Jacobus Susza (1652-1686).

<sup>88</sup> Ann. 1613-1637. Cfr. eius Epistolae et alia documenta in volumine I praesentis editionis.

<sup>89</sup> De anno 1624, die 4 Octobris, quod Decretum postea anno 1631 confirmatum fuit Brevi eiusdem Pontificis. Cfr. *Acta S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1953. pag. 26-27, nr. 34 et pag. 101, nr. 179; *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 481, nr. 411.

Qua ratione, Domino adiuvente, Unio Sancta, pariter ac Religio, facile reflorescet. Addere etiam hic placuit, quia de Unionis nostrae amplificatione, et Schismaticorum conversione speramus, mature Vestrae Eminentiae proponimus, ut pro nostrae meliore Russiae bono Patriarchia in Russia cum facultatibus Constantinopolitani erigatur. Ita enim fiet quod recursus nostris Constantinopolim Ruthenis praescindetur, et Unio Sancta eo ipso magis ac fortius radicabitur. Insuper siquidem dictum colloquium Lublini paulo remotius a Sedibus celebrari nostris iniunctum est, et multum in illud temporis insumere necessum erit, submissee Vestrae Eminentiae et per eandem SS.mo D. D. Nostro Clementissimo, nec non Sac. de Prop. F. Congregationi supplicamus, quatenus et Rev.mum Dominum Leopoliem, certum unitum, subsidio et sumptu et nos ipsos iuvare velint. Quod non modo laboribus nostris, pro Fide Sancta suscipiendis, verum etiam demissis nostris quantum integrum erit coram Maiestate Divina deprecationibus deservire obligatissimi manebimus. Proposuit etiam nobis Rev.mus Confrater noster Episcopus Chelmensis quales a Patribus Piarum Scholarum Chelmae turbationes et oppressiones perpetiatur, autenticisque eas probavit instrumentis. In quibus, ut a V. Eminentia protectricem experiatur manum, ea qua possemus (f. 132) petimus contentione. Et melius foret, ut ad Cathedram latinam post quatuor leucas transferantur, quam Chelmae tot scandala cum oppressione nostrum, et aversione Schismaticorum faciant. Denique cum idem Rev.mus Chelmensis, post tot a quadraginta sex annis susceptas in lite de Decimis Ruthenorum turbationes et obtenta Sac. Rotae Decteta, propter D. Episcopi latini et Capituli Chelmen. contradictionem necdum ad possessionem earum devenerit, a V. Eminentia efficacem imploramus manum, quatenus tandem aliquando sua iusta causa triumphet. Ut et ipsi Schismatici Sanctae R. Ecclesiae, et V. Eminentiae solentur protectione, et nos ipsi gaudeamus. Quae omnia nosque ipsos animitus commendando, sacram eiusdem exosculamur purpuram.

Zyroviciis, Augusti 12, 1679.

Eminentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae humillimi, devotissimi et oblig.mi Servi

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae etc.

LEO ZALENSKI, Protothronius Metropoliae Kiivien., Episcopus Vladimiriensis. et Brestensis.

MICHAEL MARCIANUS BIALOZOR, Episcopus Pinscensis.

JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmen. et Belzen. Archim. Zydicinen (mp).

METROPHANES DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolen. et Severiensis.

STEPHANUS MARTISCHIEWICZ BUSINSKI, Protoarchimandrita Ord. S. Basilii Magni (mpr).

PACHOMIUS OHILEWICZ, S. Theolog. D., Ord. S. Basilii Magni, P. Consultor.

SYMEON CYPRYANOWICZ, Consultor O.D.B. Superior Zyroviciensis (mpr).

GEORGIUS MALEIEWSKI, Ord. S. Basilii M. Consultor, Praepositus Czereien.

BONIFACIUS PUCZKOWSKII, Ord. D. Basilii M. Proconsultor.

JOSEPHUS PIETKEWICZ, Secretarius Ord. D. Basilii Magni, Superior Bithenensis.

## 34.

*Zyrovyczi, 13 . VIII . 1679.*

*De constitutionibus et decretis Capituli generalis Basilianorum, nec non de unione ineunda cum non Unitis.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 3rv.

Eminentissimi et Rev.mi Principes, Domini, Domini et Patroni Observandissimi.

Post exactum, a prima simplicis Religiosi in Protoarchimandritam nostrum electione, quadriennium,<sup>90</sup> ad alterius Successoris in recenti Congregatione processimus electionem; et gratia Dei adjuvante Religiosum gravem, annis maturum, a Regimine monasteriorum commendatum,<sup>91</sup> huic subeundo idoneum muneri praefecimus; speramusque in Domino, eius Regimen Religioni nostrae multo futurum emolumento. Electioni ut alii, sic praecipue Ill.mus D. multum cooperatus est Archiepiscopus Metropolitanus. Qui etiam hoc praecellens pro nostra praestitit opus Religione, quod a Protoarchimandriae non solum se ipsum, verum etiam Successores suos, ad mentem decreti SS.mi Domini Urbani VIII, et Statutorum sanctae memoriae Ruscii, Russiae nostrae Metropolitanani, in perpetuum hac nostra Congregatione amoverit.<sup>92</sup> Quin etiam Beresvecen. monasterii iure, paulo ante factam pro sustentatione Protoarchimandritarum cessionem, hoc in Congressu nostro nova resignatione firmaverit. Caeteraque pro bono Religionis, quemadmodum ex ipso Congregationis contextu Vestris Eminentis patebit, decrevit. Et praecipue illud ius sibi ex gratia Regum Serenissimorum collatum, de suo ad Religionem affectu emollivit, quod nullum amplius Religiosum, absque scitu Religionis, nisi quem bene meritum de S. Unione et Religione Superiores iudicaverint, ad Abbatias nostras, et Episcopatus promoturum se receperit, et sanctissime per eandem Congregationem statuerit. Qui ritus retroacta aetate multum Religioni facescebat negotii, multique longe ante alios immeriti sic cum dolore, dedecore, et nocumento Religionis, per Ill.mos Metropolitanos, aut homines saeculares ad eiusmodi dignitates promovebantur. Proinde qua par est submissione Vestras Eminentias precamur, ut quae nostra statuta sunt in Congregatione, mediante . . . auctoritate VV. Eminentiarum, SS.mus D. Dominus Noster Clementissimus, pro bono Religionis unionis nostrae confirmare, et approbare dignetur. Quandoquidem vero Sacra R. M. plurimis retro annis, a Serenissimis Regibus, et tota Russia variisque Reipublicae Poloniae proceribus desideratum susceperit opus promovendum, ut tandem aliquando Schismaticorum e gente nostra Ruthena fieret Unio, et ad SS.mum Dominum Nostrum eorum fieri . . . cuius rei causa idem Serenissimus etiam colloquium nos inter et Schismaticos fieri, pro Regia sua solitudine intense procurat, nobis quidem illud benigne persuadendo, Schismaticis autem severe, et sub privatione beneficiorum iniungendo. Ideo Vestras Eminentias, omni quo fieri nobis licet conatu, et ea qua integrum est animi contentione exoramus, quatenus idem colloquium nostrum, SS.mi Domini Nostri auctoritate et benedictione, vestris Eminentis sese interponentibus, felici terminetur exitu. Pro quibus negotiis enixe Vestris supplicantes Eminentis, nos-

<sup>90</sup> Pachomius Ohilevycz (1675-1679).

<sup>91</sup> Stephanus Martyszkevycz (1679-1686).

<sup>92</sup> In Capitulo generali an. 1675. Cfr. in volumine Capitulorum, sub an. 1675.

trosque pro Fide Sancta iisdem devoventes labores, et longe submissa deferentes obsequia, purpuras eorundem sacras humillimis veneramur basiis.

Datum Zyroviciis, Augusti 13, 1679.

Eminentissimarum et Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimi, devoti et obliqui Servi

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae Metrop. (mpr.)

LEO ZALENSKI, Prototronius Metropoliae Kiovien., Episc. Vladimiri-  
rien. et Brestensis.

MICHAEL MARCIANUS BIALOZOR, Episcopus Pinscensis (mp).

JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmen. et Belzen., Archimandrita  
Zydycinen.

METROPHANES DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolen. et  
Severien.

STEPHANUS MATHISZKIEWICZ BUSINSKI, Protoarchiman. Ord. S. Ba-  
silij Magni (mp).

PACHOMIUS OHILEVICZ, S. Theol. D., Ord. S. B. M. Proto Con-  
sultor.

SYMEON CYPRYANOWICZ, Consultor O. D. B. M., Superior Zyro-  
viciensis (mpr).

GEORGIUS MALEIEUSKI, O. D. B. M. Consultor, Praepositus Cze-  
reien.

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Ord. D. Basilii, et Proconsultor

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, Secretarius Ord. D. Basilii Magni, Supe-  
rior Bithenensis.

Ad S. Congr. de Prop. Fide.

### 35.

..... 1679.

*De Daniele Szumlanskyj, Missionario, examinando de eius indole et capacitate labo-  
randi in Russia.*

APF, *Scrutt. rif.n. Congr. Gen.* vol. 474, f. 170.

Excerpta ex litteris D.ni Metropolitanae Rutheni.

Quantum ad P. Daniele Szumlanski,<sup>93</sup> Ordinis Praedicatorum, qui sese offert S. D. Nostro ministerio ineundo lucratorum et convertendorum schismaticorum hominum ad communionem S. R. Ecclesiae, resigno arbitrium, et sensum meum arbitrio sensuique eiusdem S. D. Nostri. Hoc tamen addens, imperio ac iussu Sanctae Sedis inductus, non me sperare optandum secuturum effectum per ipsum Patrem, cum non credam facile ipsum versatum esse in rebus Ruthenicis, uti qui appellet suum Patrum nuper conversum Patriarcham,<sup>94</sup> qui est simplex Episcopus. Instituendum

<sup>93</sup> Hic Religiosus ex familia proveniebat Josephi Szumlanskyj, Episcopi Leopoliensis, qui eius erat Patruus. Ut videtur, in Ritu celebrabat Latino.

<sup>94</sup> Josephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis (1676-1708) fidem catholicam anno 1677 secreto professus.

tamen esset examen super qualitatibus, peritia, et gravi in huiusmodi opera istius Patris. Nec tantum operae, laboris, industriarum, ac sumptuum ipsum impensurum pro singulis Comitibus Generalibus, obtinendo ne restaurentur ecclesiae collabentes Schismaticorum, quantum pro hoc eodem consequendo effectu impendit ipsemet Metropolitanus Rhussiae cum suis Confratribus Dominis Episcopis, acriter semper zelans, ut ipsum schisma aut convertatur, si forte id sit sperandum, aut, si spes restet nulla, ruat.

Adiungens eidem ultimum atque N.<sup>o</sup> X<sup>um</sup> Punctum de R. P. Daniele Szumlanski Dominicano, qui nescit quid petat apud Sacram Congregationem. Si potest me iuvare in hoc sancto opere conversionis Schismaticorum, dabitur experimentum futuris Comitibus; ibi enim desudandum nobis erit et expendendum aliquid.

## 36.

*Cholm, 26 . II . 1680.*

*De proposito Regis Poloniae convocandi Congressum Lublinensem ad ineundam Unionem universalem Ruthenorum.*

ASV, *Litt. Episcoporum*, vol. 63, fol. 34.

THEINER A., *Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 675, nr. 690.

S.me ac B.me Pater, D.ne D.ne Clementissime.

De Regiae Maiestatis voluntate Civitatem Poloniae Lublinum Episcopi, Prelati, Religiosi et praecipui Sacerdotes Uniti numerosi in Ianuario elapso accesseramus, ut tandem aliquando cum Schismaticis, quorum pars non spernenda fuit, in fide sancta concordiam iniremus.<sup>95</sup> Sed haec non evenit nobis felicitas, quod ex instinctu suorum Praelatorum schismatici Nobiles ad S. R. recurrerint Maiestatem, implorantes, ne iuribus quaequam eorum fieret iniuria, atque ut concordia haec de suorum licentia Patriarcharum statueretur. Sacra R. M. recursum ad Patriarchas, uti lege Polona prohibitum, denegavit; interim tamen, ob quosdam Patriae nondum sedatae respectus, terminum congressus nostri et concordiae itidem Lublini, faxit Deus, ineundae, ad 24 Iunii labentis anni protelavit.<sup>96</sup> Itaque nonnulli nostrum, emensis ad centum quinquaginta leucis et exhaustis sumptibus, inopino ad proprios reverti lares coacti sumus. Et quia hoc onus nobis congregandi iterum impendet, quod S. R. M. veneremur conatus, longeque magis anhelemus ad concordiam, comparere quidem Lublini volumus, verum ut etiam S. R. M. nostro praesens congressui, et Ill.<sup>mus</sup> Nuntius tempore et loco praefixo adesse dignetur, peroptamus; hinc enim facile coniicimus, imo speramus, et effugiis Schismaticorum et perplexitatibus dubiorum obviari posse; quare omni qua par est submissione necnon precum contentione V. S. exoramus, ut et S. R. M. hac super re benigne compellare, et Ill.<sup>mo</sup> Nuntio summe necessariam nobis assistentiam iniungere velit. Nostra insuper humillima cum nomine aliorum omnium, qui ante hoc scriptum domos secesserunt suas, tum nostro V. Sanctitati deferentes obsequia, pedibus eius sanctissimis humilibus cum oculis advolvimur.

Chelmae, 26 Februarii 1680.

Sanctitatis Vestrae, Domini, D.ni nostri Clementissimi

humillimi, devotissimi et obligatissimi Servi et Filii ad pedes

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocen. mpp.

IACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmae et Belzae, manu propria.

<sup>95</sup> Agitur de novo tentamine s. d. Unionis Universalis totius Russiae, quae, toties attentata, nunquam tamen effectum plenum obtinuit.

<sup>96</sup> Nova haec sessio locum nunquam habuit, et mox revocata fuit, propter circumstantias potissimum politicas Regni Poloniae.

## 37.

Cholm, 26 . II . 1680.

*De Colloquio Lublinensi frustrato, necnon de Decimis Chelmensibus.*APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 122-123.

Eminentissimi et Rev.mi Principes,  
 Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Congressus nostrorum Unitorum, tam Episcoporum et Praelatorum, quam Religiosorum et Sacerdotum, Januarii 24, anno currenti, in Urbe Polona Lublinensi factus, non minus splendore ecclesiastico, et musicae vocalis excellenti sinphonia, (cum Divina septem mitrati Episcopi et Praelati in templis latinis solemniter celebraremus) quam Religiosorum et Sacerdotum, qua pietate, qua doctrina pollentium copia, mirum quantum in Catholicis affectum, in Schismaticis stuporem ingeneravit. Atque ut Catholici latini iuxta atque Rutheni in ardentibus fuerant preces, quia iste congressus desideratissima coronaretur Unione, sic Schismatici varia fecere molimina, quatenus hoc sacrosanctum subruerent opus. Nescitur quid sibi, suoque metuentes Schismati. Convenere equidem duo ipsorum Episcopi, et tertius nominatus, cum suis Praelatis, et Religiosis, et Sacerdotibus copiosis, verbo obsequentes Regio. Verumtamen et clam et palam S. R. Maiestatem, et Aulam suam sollicitaverunt, praetendentes se non posse, praeter scitum Patriarcharum, eam fidei sanctae attentare concordiam, et oraverunt, ut ne iurium suorum aliqua fieret convulsio. S. R. Maiestas ratione recursus ad Patriarchas nullum praebuit consensum, quod Legibus Patriae adversaretur.

Conventum autem solvi, et ad Iunii 24m transferri, litteris suis utrique nostrum parti denunciavit, eodemque in loco iterato celebrari demandavit. Quo tempore et loco omnes comparere quidem non recusamus, sed id unicum a Vestris D. D. Eminentissimis supplicamus, ut Sanctitas Sua D. Dominus Noster Clementissimus, et V. Eminentissima de Fide Propaganda Congregatio Sacrae Regiae Maiestati proponere velit, quatenus Rex Serenissimus sua eodem in loco adsit praesentia, ne quidquam effugii a tam sancto opere Schismatici comminiscantur, atque in herba opprimatur.<sup>97</sup> Nam et iam (f. 122v) nunc multi qua Laici eorum nobiles et plebei, qua Clerus et Religiosi, nimium in modum indolescebant, eum per suos nonnullos Praelatos Congressum disturbatum, nec concordiam, quam peroptaverant, consecutam. Deinde velint Suae Eminentiae rem tanti momenti Ill.mo Nuncio impensius commendare, ut non minus apud Regiam Maiestatem, quam apud Magnates, tum Spirituales, tum Laicos, sua elaboret dexteritate, quia tantum tamque proficuum fidei sanctae negotium prosperrimum haberet exitum; et ipse, ubi conventus noster celebrabitur, praesto nobis esse velit, quatenus consilia nobis in omnibus rebus sua subministret, dubiis universis occurrat. Alias enim veremur, ne tot labores nostri, et per tam remota locorum intervalla itinera suscepta et suscipienda, sumptusque permagni pessum eant. Quippe nostrum aliis centum fere quinquaginta leucas Lublinum perficere necessum.

---

<sup>97</sup> Frustra tentatum fuit. Cfr. M. S. MARUSYN, *Die Vereinigung der Peremysler und Lemberger Eparchien mit dem Apostolischen Stuhle*, Romae 1956, pag. 17-27.

Ad haec rogamus, ut quae Decreta Sacra Romana Rota de Decimis tulit Chelmenibus<sup>98</sup> executioni Ill.mus demandet Nuncius. Hucusque enim Clerus et Capitulum latinum Chelmense, Illustrissimo moderno Episcopo Chelmeni patrocinante, hisce decretis renuit obsecundare. Supplicat insuper Vestris Eminentis hisce in literis Rev.mus Chelmen. noster, et una cum ipso ego, quia Vestrae Eminentiae Causam eius et scholarum nostrarum Chelmen., quas nostri regunt Religiosi Basiliani, inter Patres Piarum, ut dicuntur, Scholarum, decernere tandem aliquando velint. Summas enim ab ipsis Patribus, et studiosis eorum iniurias nostri Religiosi et studiosi Rutheni perpassi sunt. Qui Patres mere in praeiudicium nostrorum, et eradicationem nostrarum scholarum, a quodam Praelato Chelmeni latino, ab annis tredecim ad Ecclesiam latinam Parochialem Chelmae introducti sunt, et Parochialia exercent. Scholae autem nostrae longe multo antea, pro Ruthenorum studio potissimum, ad Cathedram Ruthenam erectae, Regum Privilegiis, et SS.mi olim Urbani VIII Apostolico Brevi sunt confirmatae, et Academiae Cracoviensi incorporatae. Civitas haec est modica, Cives Rutheni fere omnes, nec potest educatio fieri nostrorum studiosorum, quae per Patres dictos omnibus praepeditur (f. 123) modis. Cathedra etiam latina post quatuor leucas a Chelma. Habent Latini amplissimum Collegium Soc. Jesu Lublinense, habent Academiam Zamosciensem, illud 10 leucis, istam septem Chelma distans. Ut in iis locis studeant. Et vero hoc super negotio omnia Juridica instrumenta in Cancellaria eiusdem Varsaviae collationata, atque ut Romam ab eodem Illustrissimo Nuncio transmitterentur, pro nostris Religiosis Chelmenibus supplicatum. Nescimus tamen utrum hucusque sint transmissa. Obnixè proinde exoramus, quatenus Vestra Eminentia, autoritate sua apud Sanctissimum Dominum Dominum Nostrum Clementissimum interposita, supersedere Patribus dictis a scholis suis mandare velint. Ad nos Rutheni varii, etiam Schismatici passim confluunt, et copiosiores confluerent, si nulla nobis essent impedimenta. Atque ita non duntaxat eruditionem, verum etiam penes Ritus suos, fidem catholicam cum eruditione imbiberent. Neque solum salutis suae facile compotes fierent, sed etiam aliis ansam eiusdem nullo negotio praeberent. Pro quibus omnibus saepius ac iterum, omni cum submissione, Vestris Eminentis supplicando, nostraque iisdem submissa deferendo obsequia, Eminentissimas Vestras exosculamur Purpuras.

Datum ad Cathedram Ruthenam Chelmensem, Februarii 26ta, 1680 Anno.  
Eminentissimarum et Rev.marum Dominatioum VV.rarum

humillimi, devotissimi et oblig.mi Servi  
CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polociae.  
JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmen. et Belzensis, manu propria.

## 38.

*Derman, 5 . IV . 1680.*

*De concessione gratiae incedendi in Urbe sine socio, de Colloquio Lublinensi, et de negotiis Eparchiae Chelmenis.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 14, f. 134rv.

<sup>98</sup> Quaestio haec Romae agitabatur iam inde ab anno 1643, sed nunquam tamen ad effectum deducta fuit.

Eminentissimi et Reverendissimi Principes. Domini et Patroni Colendissimi.

Tardius quam oportuit innotuit nobis a Religioso Ordinis nostri Divi Basilij Magni pro nunc in Urbe ad SS. Sergium et Bacchum Residente<sup>99</sup> Decretum SS.mi Domini Nostri, quo districte prohibentur Religiosi per Urbem incedere sine Socio. Quod Decretum cum etiam illum eundem nostrum Residentem stringat, ex quo nullum habet penes se Socium Religiosum, adeoque non potest commode stare illo Decreto, ideo tota Sacra Religio nostra humillime supplicat Vestris Eminentissimis Dominationibus, quatenus illum nostrum Residentem SS.mo Domino commendare velint, ne praedicto Decreto stringatur. Equidem libentissime ei Socium aliquem transmittere vellemus. Verum difficilis transeundi modus, partim ob pestem grassantem in variis Germaniae partibus, partim ob varia Patriae incommoda, impedit. Curaturi tamen sumus aliquem Socium ei submittere, quantocyus possibile erit, cessantibus incommodis et periculis, praesertim vero cessante periculo pestilentiae.

Colloquium nostrum cum Schismaticis, quod hactenus diebus Januarii disturbatum, et translatum est a Sac. Regia Maiestate pro 24 Junii, cum praevideremus difficultates varias iterum disturbaturas, ideo postulavimus a Sac. Regia Maiestate proterelandum esse ad aliud commodius tempus, ut sub praesentiam ipsius Regiae Maiestatis, tum etiam Ill.mi Nuntii Apostolici celebrari queat, sive hoc sit sub tempus Comitiorum, sive aliquo alio tempore; proinde etiam in hoc negotio supplicamus Vestris Eminentissimis Dominationibus, quatenus instare velint apud SS.mum, ut suis literis compellere dignetur Sac. Regiam Maiestatem, ne nobis in tam sancto et pio opere sua praesentia desit. Ill.mo quoque Nuncio iniungat, ut etiam praesto nobis esse velit in hoc eodem negotio. Ita enim omnes difficultates disturbantes (f. 134v) facillime evitabuntur.

Caeterum Rnd.mus noster Episcopus Chelmen.<sup>100</sup> supplicat Vestris Eminentissimis Dominationibus in negotiis suae Ecclesiae, videlicet quod Decreta S. Rotae Romanae de Decimis suis post Ruthenos agros exigen. nondum hucusque executioni mandata, et Capitulum latinum,<sup>101</sup> habens sibi faventem Ill.mum suum Episcopum, Senatorem, ea contemnit. Tum etiam, quod in negotio cum RR. Patribus Piarum Scholarum ratione studiorum nullam resolutionem a Vestris Eminentissimis Dominationibus habeat; quapropter humillime petit, ut tandem aliquando hisce negotiis finis imponatur, patrocinantibus sibi Vestris Eminentissimis. Quarum gratiae, promotioni, protectioni et patrocinio humillime nos commendatos esse volentes, sacram purpuram Vestrarum Eminentissimarum Dominationum exosculamur.

Dermani, 5 Aprilis 1680.

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominationum VV.rarum  
humillimi, devotissimi, et obligati Servi

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, et Polocen. etc.

IACOBUS SUSZA, Episcopus Chelm. e Bel. (mp).

<sup>99</sup> Josephus De Camillis (1674-1689), dein Episcopus Munkaciensis (1689-1706).

<sup>100</sup> Jacobus Susza (1652-1686).

<sup>101</sup> Capitulum latinum Chelmense, eiusque Episcopus tunc temporis, Stanislaus Swiecki (1677-1696).



STEPHANUS MARTISCHIEVICZ BUSINSKI. Protoarchimandrita Ord. S. B. M.

PACHOMIUS OHILEWICZ, Ord. S. Basilii M. Consiliarius.

SYMEON CYPRYANOVICZ, Consultor O. D. B. M., Superior Minsciensis.

GEORGIUS MALEIEWSKI, Consultor O. S. B. M., Superior Zyrovicien. (mp).

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, Secretarius O. D. B. Magni, Superior Bithenen. (mp).

## 39.

*Polock. 15 . XII . 1680.*

*De Procuratore in Urbe, deque Hospitio SS. Sergii et Bacchi.*

APF, *Scrirt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 74rv.

Ill.mo et R.mo Domino Cibo, Secret. Sacr. Cong. de Prop. F.<sup>102</sup>

Ill.me et R.me Domine, Domine et Patrone Observandissime.

Semper nos uniti Catholici a Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Ill.mis Secretariis omnem rebus in nostris gratiam et favorem experti sumus. Quem etiam nunc a Vestra Ill.ma, et R.ma Dominatione enixe expetimus. Et quia saepe saepius ad Sacram Congregationem, Eminentissimos Cardinales, et SS.mum Dominum, Dominum Nostrum Clementissimum, scribimus, litterasque nostras Admodum R.do Patri nostro pro tempore Procuratori committimus, modernum R. Patrem Josephum de Camillis,<sup>103</sup> et negotia nostra, ea qua par est contentione et submissione gratiae, et efficaci Vestrae Ill.mae et R.mae Dominationis protectioni commendamus. Scireque de nobis Unitis Vestram Ill.mam Dominationem dignetur, nos omnibus viribus Catholicae cum S. R. E. Unionis bonum promovere; iura nostra, et bona Ecclesiarum nostrarum pro virili tueri; cum Schismaticis de nostrarum ovium salute ad sanguinem concitare; demum singulos fere in dies animas nostras periculis pro Fide Sancta exponere. Et quia inter caeteras gratias, immunitates, et privilegia S. R. Ecclesiae nobis collata, foundationem ad SS. Sergium et Bacchum Romae habemus, locum istum sacrum a Vestra Illustrissima et Reverendissima Dominatione protegi atque foveri toto pectoris nisu exoramus. Nec velit eum Vestra Ill.ma et R.ma Dominatio Graecis Episcopis, nescio qualibus (f. 74v), tanquam advenis patere. Quippe illi habent ad gloriosam S. Athanasii Ecclesiam longe iustiore aditum, quam ad nostram Ruthenam. Deinde cum SS.rum Martyrum Sergii et Bacchi locus sit pauper, et modicam nostro Procuratori sustentationem subministret, quomodo potest advenis Graecis Episcopis sufficere? potissimum quod hoc ipsum esset contra mentem foundationis. Proinde iterum ac saepius Vestrae Ill.mae et R.mae D.ni supplicamus, quatenus et nostrum modernum Procuratorem, et negotia nostra ipsi commendata et imposterum commendanda, autoritate, qua pollet magna, protectione probatissima, gratia sua paterna, pro nostrae pauperis bono Unionis, pro Fidei Sanctae maiore in Russia incremento,

<sup>102</sup> Eduardus Cybo, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1680-1695).

<sup>103</sup> Procurator in Urbe (1674-1689), dein Episcopus Munkacsensis (1689-1706).

proque ampliore divinae gloriae propagatione promovere, protegere, et fovere dignetur. Nos autem pro eiusmodi Vestrae Ill.mae D.nis in nos favoribus et diuturnam a Deo Domino vitam, et omnem in ea prosperitatem Vestrae Ill.mae D.ni omni qua possumus ratione et exoratione deprecabimur. Obsequia demum nostra submissa Vestrae Ill.mae et R.mae Domini nunc deferentes, manemus

Ill.mae et R.mae D.nis Vestrae

humillimi, dev.mi et obseq. Servi

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocien.  
JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmen. et Belzen. unitus (manu propria).

Polociae, Decembris 15, 1680.

#### 40

*Varsavia. 21 . III . 1681.*

*Documentum publicum unionis Episcopi Leopoliensis et Peremysliensis cum S. Romana Ecclesia.*

APF, *Scr. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 85rv.

In Nomine Domini. Amen.

Omnibus, et singulis praesentes lecturis, et audituris fidem facimus, et attestamur nos infrascripti, quod Anno Domini Nostri Jesu Christi 1681, Indictione Romana quarta, die vero 21 Mensis Martii, in Regio Palatio, Varsaviae existente, constituti personaliter Rev.mi Domini Josephus Szumlanski, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis, Innocentius Winnicki,<sup>104</sup> Episcopus Premisliensis, et Samboriensis praetensus, tum etiam R.di Archimandritae seu Abbates Barlaam Szeptycki,<sup>105</sup> Uniovensis, Silvester Tvorowschi, Ourucensis. Primi quidem DD.ni Episcopi supranominati, flexis genibus, et Sanctis Evangelii tactis, medio iuramento, fidei professionem iuxta formam ab Urbano Papa 8<sup>o</sup> pro Orientalibus praescriptam, et hic adiunctam de verbo ad verbum clare, et intelligibili voce, singulariter singuli, prout iacet, in manibus Ill.mi et R.mi Domini Joannis Stanislai de Witwica Witwicki, Episcopi Kioviensis, Czernikoviensis, Abbatis Plocensis<sup>106</sup> emiserunt. Secundi vero, videlicet Archimandritae praefati, una cum DD. Episcopis Neounitis subscripserunt se tantum Professioni Orthodoxae fidei ab Orientalibus faciendae, sed eandem Professionem de verbo ad verbum proferendo, et (f. 85v) legendo postea emittere promiserunt in manibus Domini Episcopi Leopoliensis. Quod totum actum est praesentibus Ill.mo et Excellentissimo Domino Stanislao Joanne in Jablonowo Jablonowski, Palatino Russiae, Exercituum Regni Poloniae Campiduce, Perill.mo Domino Josepho Boguslao Sluzka, Vexilifero Magni Ducatus Lituaniae, nec non Perill.mo Domino Francisco Sigismundo

<sup>104</sup> Innocentius Vynnyckyj (1680-1700).

<sup>105</sup> Barlaam Szeptyckyj, Abbas Uniovensis ab an. 1680, dein ab an. 1710 Episcopus Leopoliensis (1710-1715).

<sup>106</sup> Stanislaus de Witwica Witwicki, Episcopus Kioviensis, et dein (post annum 1681) Luceoriensis Latinorum.

Zaleski, Capiteo Novicens. testibus, aliisque, et praeterea nobis infrascriptis, vocatis, rogatis, et ad negotium pertinentibus.

In cuius rei fidem nos subscripsimus, et solito Ill.mi, ac R.mi Domini Metropolitae Russiae sigillo signari curavimus praesens hoc Instrumentum.

Varsaviae, die 21a Martii, Anno Domini 1681.

CIPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae, et Polocen.  
JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmensis, et Belzensis.

(Locus.....sigilli)

LEO ZALENSKI, Prothotronius Russiae, Episcopus Vladimiren. et Brestensis.

JOANNES MALACHOWSKI, Episcopus Premisliensis et Samborien.  
STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Protoarchimandrita Ordinis D. Basilii Magni.

#### 41.

Varsavia. 30 . III . 1681.

*Pontifex certioratur de unione Episcoporum Leopoliensis et Peremyshiensis.*

ASV, *Litt. Episcoporum*, vol. 64, fol. 67.

THEINER A., *Vet. monum. Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 678, nr. 695.

S.me ac Beat.me Pater, D.ne D.ne noster Clementissime.

Anno elapso Lublini<sup>107</sup> pro conversione gentis Roxolanae, eiusque Cleri lachrymis fuis, expensis effusis, quaesivimus oves errabundas ovili Sanctitatis V., D.ni, D.ni Nostri Clementissimi, aggregare; sed ita volente, vel differente hoc magnum salutis negotium Divina Maiestate, non valuimus quidquam ex voto communi perficere. Hisce vero Comitibus indefessis studiis, tantoque fortunarum nostrarum dispendio, ac sollicitis conatibus Ill.mi ac R.mi D.ni, D.ni Archiepiscopi Ephesini, Nuntii Apostolici,<sup>108</sup> effecimus hoc, ut R.mi D.ni Iosephus Szumlanski, Epus Leopoliensis, Innocentius Winnicki, Episcopus Premisliensis, una cum aliquot Archimandritis accesserint Sanctitatis V. Petram, seu verius in Petro et Sanctitate Vestra Christi potestatem adoraturi, atque manifestaverint se esse Episcopos Sanctae Sedi Oecumenicae Romanae unitos. Hoc dum gaudium S. V. uniti Praesules annunciamus, instantissimis supplicamus precibus, ut nosmetipsos, Religionem Basilianam paternis beneficentiis et Pontificia munificentia saltem pro typo slavonico excitando ac Seminario in Russia, et praecipue ad Monasterium Basilianum Zyrovicense, erigendo sublevare dignetur. Vix enim spiramus hisce calamitosis Reipublicae temporibus ob graves et publicas contributiones, ob hyberna militum, et instans Turcicum bellum. Accedentes vero noviter D.nos Episcopos Leopoliensem et Premisliensem dignetur S. V. non modo paternis prosequi gratiis, sed et Sacrae Regiae Maiestati commendare, ut supplicationibus eorum circa promissos olim et obtinendos apud Rempublicam honores, ac temporalia com-

<sup>107</sup> Mense Januario 1680.

<sup>108</sup> Opitius Pallavicini, Nuntius Varsaviensis (1680-1688).

moda satisfiat. Gratiam interim Sanctitatis V. et benedictionem cernui implorantes, quam devotissimis osculis pedes S. V. amplectimur.

Varsaviae, 30 Martii 1681.

Sanctitatis V. D. D. Clementissimi

humillimi, dev.mi et obligat.mi filii ad pedes

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

IACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmensis et Belzensis.

LEO ZALENSKI. Protothronius Metropoliae Kioviensis, Episcopus Wladimiriensis et Brestensis.

IO. MALACHOWSKI, Episcopus Premisliensis et Samboriensis.

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Protoarchimandrita Ord. D. Basilii.

## 42.

Varsavia. 2 . IV . 1681.

*Certioratur, ut videtur, Praefectus S. C. de Prop. Fide, de conversione et unione Episcoporum Peremyliensis et Leopoliensis.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 87.

Eminentissime et Rev.me Princeps.

Post tot, tantosque una cum Ill.mo Domino Archiepiscopo Ephesino, Nuntio Apostolico,<sup>109</sup> et fratribus meis, Dominis Episcopis Russiae unitis, adhibitos labores, et expensas largiter effusas, placuit suavissimae divinae voluntati hisce Comitibus apostolica Divinissimi Petri laxare retia in magnam capturam. Duo enim Episcopi, Josephus Szumlanski, Leopoliensis, et Innocentius Winnicki, Premisliensis, professionem fidei Orientalibus praescriptam emiserunt, et iam S. R. E. cum quatuor millibus Ecclesiarum, et facile sexcentis millibus animarum perpetuo obedientes fore ipsos declararunt. In eandem catholicam sententiam iverunt cum iisdem R.mis DD. Episcopis tres Archimandritae, Unioviensis, Ourucensis, et Melecensis. Quod felix faustumque sit, et post actas immortales Divinae Maiestati gratias, sanctissimo ac clementissimo Domino meo Innocentio XI, Orbi iura danti, totis prepondiis animi gratulor, eo quod tales accessiones Dioecesium sub optimo maximoque Pontificatu Sanctitatis Suae (f. 87v) successerint felicissime. Solus Luceoriensis Pseudo Episcopus<sup>110</sup> mansit in suis erroribus Phocianis, sed et ille, durum erit contra stimulum calcitrare, suaviter, et fortiter, Deo dante, reducetur ad ovile Sanctitatis Suae. Interim haec fausta nuntia Eminentiae Vestrae, Domino meo, et Protectori Russiae vigilantissimo, comunicando, oro Divinam Maiestatem, ut quam diutissime salvam, et incolumem Eminentiam Vestram conservet, votisque, et supplicationibus meis, imo totius Russiae, per Eminentiam Vestram Sanctitati Suae deferendis, propitiam reddat. Meus Residens, et Superior ad SS. Sergium, et Bachum, R. D. Josephus de Camillis, incessanter depraedicat gratias, affectum, et

<sup>109</sup> Cfr. notam praecedentem.

<sup>110</sup> Gedeon Svjatopolk Czetvertynskyj (1663-1685), dein Metropolita Kioviensis non unitos (1685-1690), Patriarchae Moscoviensi subiectus.

protectionem Eminentiae Vestrae; elinguis sum tantos ab Eminentia Vestra recipiendo favores, quos intuitu meae indignae personae contestari dignatur. Millies, milliesque pro illis ago, et me totamque Russiam inclitae protectioni commendans, sacrae purpurae Eminentiae Vestrae devotissimum impono osculum, et quoad vita superior sum maneo

Eminentissimae et Rev.mae Dominationis Vestrae

humillimus, dev.mus et oblig.mus Servus et Schiavo

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polociae.

Varsaviae, 2 Aprilis 1681.

## 43.

. . . . . 24 . III . 1682

*Supplicat Pontifici pro concessione subsidiorum ad erigendum Seminarium et typographiam slavonicam.*

ASV, Litt. *Episcoporum*, vol. 65, fol. 61.

S.me ac B.me Pater, D.ne, D.ne Clementissime.

Pos tot labores sumptusque impensos a me, postquam Dei et Apostolicae Sedis gratia hunc Metropolitanum Russiae ascenderim Thronum, ut ad veritatis cognitionem populum Schismate infectum reducerem, tandem Divina Maiestas dignata est, quemadmodum iam innotuit Beatitudini Suae, consolari me conversione Episcoporum Leopoliensis et Premisliensis, ac restitutione plurium ecclesiarum longo ante tempore Schismaticis datarum, novisque foundationibus Monasteriorum diversis in locis pro Ruthenis unitis. Nihilominus intuenti mihi tam copiosum numerum huius populi, maximasque eorum necessitates, et paucos orthodoxae fidei operarios, quibus fruimur, gaudium vertitur in moestitiam, quies in taedium. Verum enimvero multoties exposui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, duo efficacissima fore media ad excolendam hanc nationem ac reducendam ad ovile Christi, Primum, fundatio alicuius Collegii Nationalis, ex quo possint maiori copia prodire idonei Operarii. Secundum, providere typum linguae illyricae ad reimprimendos libros ecclesiasticos, diuturnitate temporis consumptos, eosque subministrare ecclesiis, ne amplius Moschoviae e partibus corruptos mendicemus. Et si redditus mihi episcopales valerent sufficere, Suaeque Beatitudo facultatem impertiret, libenti animo privarem me iis, ut applicatis hisce rebus publicum eo magis cresceret emolumentum. Restat iam supplices B. V. porrigere preces, dignetur nos etiam benigno respicere oculo; et siquidem nunc Vaticanae Bibliothecae Custodis officium vacat, facta dignissima promotione ad Cardinalatum R. P. M. Lauria, complaceat B. S. conferre illud R. P. Iosepho de Camillis, Procuratori nostro Romae,<sup>111</sup> quotiescumque eum idoneum reperierit; addet enim non leve subsidium pauperrimo illi hospicio, in quo permanet ille, agnoscet hunc honorem in persona eius tota Religio Basiliana mecum ac universa Russia, eique adauget animum eo magis incumbendi pro beneficio publico. Proinde prostratus ad osculandum B. S. pedes precor, ut quam diutissime Deus servet incolumem.

24 Martii 1682.

Sanctitatis Vestrae, D.ni, D.ni mei Clement.mi.

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servitor

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiep. totius Russiae et Polocensis.

<sup>111</sup> Ann. 1674-1689.

## 44.

. . . . . 24 . III . 1682.

*Supplicat Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide, pro concedendis subsidiis ad erigendum Seminarium et typographiam typi sclavonici.*

ASV, Litt. *Episcoporum*, vol. 65, fol. 61.

E.me ac R.me D.ne, D.ne, ac Patrone Colend.me.

Desiderium, quod in pectore meo continuo ardet, videndi tandem aliquando conversam totam Russiam, et reductas ad ovile Christi tot myriades ovium, quae destitutae salutarī pabulo pergunt errantes, adeo me tenet sollicitum, ut vix, ne vix quidem aliqua tanto labori sufficiat quies. Proxime elapsis temporibus, uti V. E. sat notum est, auxiliante Dei gratia, reduximus ad Unionem Episcopos Leopoliensem et Premisliensem, ac etiam spero divinam misericordiam in futurum largitatem dexterae suae extensuram. Sed cum considero, quod messis magna, operarii vero pauci, et illi nostri, qui in diversis Collegiis student, non sunt sufficientes, eo quod vel ad prima quidem officia Religionis assumantur, vel a nostra Regia Maiestate ad mitras vacantes promoveantur, et si etiam isti omnes operam darent animabus instruendis, adhuc pares non essent tanto negotio. Quare non semel proposui Ill.mo Nuncio, quam magnum foret in Russia iubilum, si alicubi Seminarium<sup>112</sup> aliquod pro natione hac erigeretur, unde maior copia operariorum exiret, et si typus pro idiomate illyrico fundaretur<sup>113</sup> ad providenda tot millia ecclesiarum libris ecclesiasticis, qui pluribus in locis prorsus non extant, atque ad erudiendum populum aliis libris spiritualibus ac doctrinalibus. Ad quae opera libentissime applicarem meos proventus, si abundarent mihi. Sed cum nimis ardua videatur huius laudabilis finis consecutio, saltem in signum benevolentiae, quam V. E. habet erga nos, dignetur apud Sanctitatem Suam intercedere, ut R. P. de Camillis<sup>114</sup> mihi multum dilecto conferatur officium Custodis, quod ob promotionem P. M. Lauriae in Cardinalem in Vaticana Bibliotheca vacat. Si enim vellet praedictus Pater venire in Russiam, exciperet apud me honores non mediocres, tam ob antiquam inter nos amicitiam, quam ob suas optimas qualitates. Nihilominus cum notum mihi sit illum magis complacere in quiete Romana, non audeo inferre ipsi violentiam, cum praesertim se occupet in operibus, quae merita ipsius augebunt in futura vita, et post mortem adhuc viventem cum laude in hominum mentibus conservabunt. Quare favores quos E. V. dignabitur ipsi praestare reputabo mihi esse praestitos, quos etiam indelebili sigillo in corde meo exprimam. Interea supplicationum mearum optimum sperando exitum, incolumes ac prosperitate plenos V. E. deprecor annos plurimos.

24 Martii 1682.

E.mae et R.mae Celsitudinis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servitor

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiep. totius Russiae et Polocensis.

<sup>112</sup> Etiam hac vice desiderium hoc nullum habuit effectum.

<sup>113</sup> Revera typographia haec fundata fuit Vilnae, et anno 1692, circa, inde primum Misale provenit, in nova forma.

<sup>114</sup> Procurator in Urbe (1674-1689), dein Episcopus Munkaciensis (1689-1706).

## 45.

. . . . . 1682.

*Excerptum ex litteris Metropolitanæ de forma Baptismi apud Ruthenos.*

ASV, *Nunz. di Germania*, vol. 203, fol. 416 (copia).

Excerptum ex literis Illustrissimi Domini Metropolitanæ  
Graecorum Unitorum.

Datas Illustrissimæ Dominationis Vestrae<sup>115</sup> 23 Februarii accepi Dermani 8 Aprilis, ubi iubet me Illustrissima Dominatio Vestra, ut respondeam et informem ratione validitatis Baptismi Ruthenorum Schismaticorum. Equidem videtur esse validum ex eo, quod S. Congregatio Generalis S. Rom. et Universalis Inquisitionis, habita super Minervam feria 4a, die 29 Septembris anno 1666, dixerit: Ordinatos a Schismaticis non esse reordinandos, sed tantum egere dispensatione super irregularitate iuxta Const. Clementis 8-i. Si ergo consecratio ipsorum est valida, consequenter Baptismus, ianua et limen omnium Sacramentorum.

Sed mihi in Russia Archiepiscopo constituto, inspicienti formam Baptismi Schismaticorum per ipsos in Trebnik, seu in Rituali, vel agenda practicatum, nova invaliditatis Baptismi ipsorum occurrit difficultas. His enim præcisus verbis baptizant: Baptizatur servus Dei in nomine Patris Amen, Filii Amen, Spiritus Sancti Amen; quod ipsum evidenter sapit Arrianismum (ut in recentissimo opusculo de Colloquio Lublinensi<sup>116</sup> a me edendo fusissime probavi) dividentem Sanctissimam Trinitatem, et sic inducens certo certius invaliditatem Baptismi. Et est plusquam notum, quod negantes Processionem Spiritui Sancto a Filio, alium Spiritum credant a nobis Catholicis, qui Spirationem activam commumem Patri, et Filio credimus.

## 46.

*Vitebsk, 18. I. 1683.*

*Pro confirmatione foundationis monasterii Vitebscensis.*

APF, *Scrirt. rif.n. Congress: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 119rv.

Sanctissime ac Reverendissime in Christo Pater. Domine, Domine Clementissime.

Civitas Vitepscen. martyrio D. Josaphat, Archiepiscopi sui clara,<sup>117</sup> hoc anno, favente Divina Maiestate, et accedente pietate ac erectione munificentissima Perillustris et Magnifici D. Adami in Brusilow Kiesel, Notarii Terrestris Palatinatus Vitepscen., Religiosos Basilianos per me loci Ordinarium introductos iam habet et tenet. Aprime illi necessarii sunt conversioni Schismaticorum, ob viciniam Moschoviae, et sparsim

<sup>115</sup> Fortasse agitur de Nuntio Apostolico Varsaviensi, Opitio Pallavicino (1680-1688).

<sup>116</sup> Editum a Cypriano Zochovskyj, statim post Colloquium hoc Lublinense (an. 1680).

<sup>117</sup> In hac civitate Beatus Josaphat martyrium obiit pro unitate Ecclesiae et Primatu Pontificis Romani, die 12 Novembris 1623. Beatorum catalogo inscriptus anno 1643; Cfr. A. G. WELVKYJ, *S. Josaphat-Hieromartyr*, Romae 1952, vol. I, et vol. II, Romae 1954, ubi inveniuntur documenta beatificationis et canonizationis (1623-1637).

undique viventium magno numero labe Phociana infectorum. Pro dilatione praedictae erectionis Monasterij Vitepscen. PP. Basilianorum unice necessariam, et contiguam aream archiepiscopalem Vitepscen. donavi, et incorporavi eidem Ordini Basiliano Vitepsci degenti. Hoc tamen praecauto, quod similem aream illi emi et procuravi Successoribus meis Archiepiscopis alio in loco, idque prope Ecclesiam Cathedralem (f. 117v) Vitepscensem. Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, supremam imploro Benedictionem, eamque Apostolicam, ut haec mea voluntas, et donatio areae supra-dictae, facta Monasterio Basiliano Vitepscen., pro rato et firmo perpetuo habeatur, et non invalidetur per ullum Successorem meum, siquidem abunde ipsis compensatum est per me. Pronus interim pedes Sanctitatis Vestrae exosculor, maneoque

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi,  
humilissimus, dev.mus et oblig.mus Servus et Filius ad pedes  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocen.  
Vitepscensis etc.

18 Januarii 1683, Vitepsci.

## 47.

Varsavia, 21. III. 1683.

*Relectio Conventionis initae in unione Episcopi Leopoliensis et Peremysliensis.*

APF, *Scrirt.n. Congress. Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 130rv.

In Nomine Sanctissime et Individuae Trinitatis.

Nos infrascripti Archiepiscopus, Episcopi, aliique Praelati Graeci Ritus S. R. Ecclesiae uniti, Regni Poloniae, M. D. L., Principatum et Dominiorum iisdem annexorum. Omnibus, et singulis praesentes visuris et audituris notum facimus, testamur et declaramus, quod cum acceperimus S. Sedem Apostolicam reprobare et reiicere tanquam eiusdem S. Sedis auctoritati, Sanctae Unionis bono et Rev.morum DD. Metropolitanae et aliorum Episcoporum caeterorumque Catholicorum iuribus, iurisdictionibus, et dioecesibus respective contrariam, et praeterea constitutioni Clementis PP. VIII pro S. Unione editae adversantem Conventionem initam anno 1681, 19a mensis Martii, sub tempus Comitiorum generalium Varsaviae,<sup>118</sup> ad favorem Episcoporum, Personarum et locorum Ritus Graeci non Unitorum, in casu quod unirentur,<sup>119</sup> quae quidem Conventio ex Polonico Idiomate in latinum conversa incipit: Nos infrascripti a Serenissima Maiestate Joannis 3tii etc., et desinit: Actum Varsaviae die 18 Mensis Martii, reprobamus, reiicimus, et refutamus, et quatenus opus sit, et dici possit, nos eidem consensum praebuisse, eundem consensum tanquam minus caute, rite, recteque praestitum revocamus, annullamus, et irritamus, non solum praedicto sed et omni alio meliori modo. In quorum fidem, et ad perpetuam rei memoriam praesentes manibus nostris subscripsimus.

Varsaviae, 21 Martii 1683.

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae et Polocen. (mp).

<sup>118</sup> Cfr. M. S. MARUSYN, *Die Vereinigung der Peremysler und Lemberger Eparchien mit dem Apostolischen Stuhle*, Romae 1956.

<sup>119</sup> Cfr. opus citatum in nota praecedenti. In his Comitibus Episcopus Peremysliensis et Leopoliensis revera iterum emisit professionem fidei catholicae, sed secretam tantum.



LEO ZALENSKI, Protothronius Metropolitae Kiovien. et Halicien. totiusque Russiae, Episcopus Vladimirien. et Bresten. unius (mp).  
 JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmen. et Belzen. unius (mp).  
 MARCIANUS BIALOZOR, Episcopus Pinscensis unius (mp).  
 JOANNES MALACHOWSKI, Episcopus Praemislien. unius (manu pr.).  
 STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Protoarchimandrita Ordinis D. Basilii (mp).  
 JOSEPHUS PIETKEWICZ, Secretarius Ordin. D. Basilii M., Superior Bithenen. (mp).  
 PACHOMIUS OHILEWICZ, S. Theologiae Doctor, Consultor Ord. S. Basilii Magni (mp).  
 GEORGIUS MALEIEWSKI, Ord. S. Basilii M. Consultor, Superior Zyrovicen., Archimandrita Czereien. (mp).

## 48.

Varsavia, 25. III. 1683.

*Autenticitas Decretorum congregationis Hierarchiae unitae.*

APF, *Scriltt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 119.

Die 25 Martii 1683. In Congregatione habita coram Ill.mo Domino Nuntio,<sup>120</sup>  
 1mo: Imprimatur Missale, Breviarium et Agenda.

2do: Figura characterum est quae datur.

3tio: Procuraretur quod Abbas Suprasliensis accomodet pecunias, in suo Monasterio typus erigatur et imprimantur libri, distrahendi postea per DD. Deputatos, et curabunt ista omnia Ill.mus Archiepiscopus, Pater Generalis, Pater Pachomius.<sup>121</sup>

4to: Pro revidendis libris, hoc est Missale Mamonicianum, Rituale eiusdem, Breviarium ordinarium, curabunt ista Ill.mus Archiepiscopus, Ill.mus Chelmensis, Ill.mus Vladimiriensis, Ill.mus Pinscensis, Pater Pilichouski, Pater Generalis, Pater Pachomius, Pater Rutka.<sup>122</sup>

5to: Synodus Provincialis fiat Novogrodeci post Nativitatem,<sup>123</sup> convocentur omnes, qui habent ius interveniendi.

Interim comunicentur omnibus capita Synodi, ut notari possint quae ibi examinanda.

Haec sunt tantum statuta coram Ill.mo Domino Nuntio a Domino Metropolitano eiusque DD. Episcopis Russiae, et nulla mentio fit Congregationis celebrandae sub tempus Synodi Provincialis, quae iam est intimata pro die 6 Februarii 1684, Novogrodeci. Videat S. Sedes parentiam nostram Ill.mo Domino Nuntio, et tamen postponimur.

<sup>120</sup> Opatius Pallavicini (1680-1688).

<sup>121</sup> Pachomius Ohilewycz, Protoarchimandrita (1675-1679). Pater Generalis seu Protoarchimandrita tunc temporis erat Stephanus Martyszkevycz (1679-1686).

<sup>122</sup> Pater Rutka Theophilus, ex Societate Jesu, qui tunc temporis Unioni dilatandae adlaborabat.

<sup>123</sup> Synodus haec locum nunquam habuit usque ad annum 1720.

Concordat haec copia cum authentico Ill.mi D. Nuntii Apostolici, proprio pugno scripto, ita attestor.

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae (mp).

#### 49.

*Torokanie, 27. V. 1683.*

*De rebus Basilianorum, et praesertim de Capitulo Minscensi nulliter convocato.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 206-207v.

Ill.me et Reverendissime Domine, Domine, et Patrone Colendissime.

Praemissa humillima obsequiorum meorum Ill.mae D.ni Vestrae exhibitione, et perpetua eidem ad nutum parentia, denuntio Ill.mae D.ni Vestrae, quod ob calamitates Reipublicae modernas, contributiones impositas, stativa hyberna, transitus per villas militum, ac stante restauratione Basilicae meae Vilnen., (pro qua multa summa expenditur et expendetur) sum impar celebrandi Synodum in Januarii, sed promitto me celebraturum illam immediate ante Comitium Grodnensia. Requiritur enim respirium, Ill.me Domine, post expensas Comitiorum. Interim P. Generalis,<sup>124</sup> quia vellet ob reditus percipiendos ex Monasterio et bonis, quae tenet, differiri ad Januarium Capitulum, hinc opponit quod mens et statutum Ill.mae Domini Vestrae sit, differendi Congregationem Ordinis, seu trasferendi illam ex 25 Iulii in dies Januarii. Ego vero per meas patentes Litteras de more, et Jure practicato a Metropolitanis, iam intimavi pro 25 Iulii in Monasterio Minscen. Iuxta enim statuta immediatae celebratae Congregationis, incidit quadriennium ipsa 25 die praefati mensis Iulii. Recordatur, credo, Ill.mam Dominationem Vestram (f. 206v) quod Varsaviae propositum fuerit coram Ill.ma Dominatione Vestra. Casu quo celebrabitur diebus Januarii Synodus celebretur quoque Congregatio seu electio Generalis; nunc vero quia impossibile est nec sufficiam celebrare Synodum principio anni futuri, nulla proinde necessitas est trahendi Congregationem usque ad Januarium, sed in termino incidenti celebrari debet, et nisi ita fiat, sequetur magnus discolorismus in Monasteriis, et fructus seu provisio, quae in autumno colligitur ex bonis, personae Patris Generalis aliorumque Superiorum applicatis, cedent moderno P. Generali, in praeiudicium Successoris, eligendi in Januario. Constat enim modo quod P. Generalis ideo mature non venit Varsaviam, sed ivit Vitepscum, ubi magnam pecuniam post defunctum Superiorem Vitepscen. invenit, recepit, et in usus suos mercatorios (uti solet) convertit. Non patiatur Ill.ma D. Vestra nectere moras, et ambitioni huic regnandi epistola sua ad me directa occurrat. Cur enim statutum Congregationis quadriennalis violari debet, currant res Religionis prout currere et terminari debent. Ego non habeo renitentiam etiam in Januario celebrandi Congregationem (f. 207), si ita placuerit Ill.mae D.ni Vestrae, dummodo dignetur nuntiare mihi et notam facere voluntatem suam. Sed vere talis protractio est votorum violatio, aliquorum oppressio, pecuniarum adunatio (uti patebit in responsis quamprimum mittendis per me ad Ill.mam Dominationem Vestram), crapulae et luxus nocturni. O, si in praesentia Ill.mae Dominationis Vestrae celebraretur Congregatio, uti sub Eminentissimo Pigniatello Brestae<sup>125</sup> fuit per-

<sup>124</sup> Stephanus Martyszkevycz (1679-1686).

<sup>125</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667).

acta, faelicissime cessissent omnia. Instantissime rogo Ill.mam Dominationem Vestram, ne impediatur incidentem terminum 25 Iulii Congregationis Ordinis, quin prorsus moneatur P. Generalem, ut suae ambitioni imponat finem; Varsaviae enim videbatur cum humilitate processisse, nunc dicit, et fortiter ambit, ut diebus Januarii celebretur. Esset quoque elusio meae iurisdictionis, sum enim in possessione ex persona Metropolitanus, et habeo Ius extradendi Intimatorias pro Congregatione, uti extradidi et modo mature (Prima Maij) ante tres menses, et iam pervenire litterae praefatae ad omnia monasteria.

Ill.mus Dominus Episcopus Pinscen.<sup>126</sup> attendit hic per suum Delegatum et ipse venturus, volens iustificare innocentiam suam, ratione Visitationis Vilnen. (f. 207v) Talis enim mens fuit Ill.mae Dominationis Vestrae, ut ego discernam si forte non fuerit laesa auctoritas S. Sedis, nihilominus P. Generalis toties vocatus, ut probet quae asserunt, non venit, adhuc semel vocabo et invitabo, ut compareat et deducat, an sit factus contemptus Sanctae Sedis occasione visitationis Vilnae. Interim Sacram Apostolicam manum Ill.mae Dominationis Vestrae reverentissime exosculor ac eiusdem gratiae toties quoties me commendo maneoque

Ill.mae Dominationae Vestrae

humillimus, devotus et obligatus Servus

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

27 Maij 1683, Torocanijs,

## 50.

*Novogrodek, 20 . VII . 1683*

*Responsa Metropolitanus ad obiecta ex parte Ordinis Basiliani: de possessione Archimandriarum, de visitationibus, de bonis controversis, de dispositione Religiosorum etc.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 189-194v.

Praetensiones contra D. Metropolitanum Russiae propositae ab aliquot Patribus Religionis Basilianae,<sup>127</sup> sed non a tota Religione (quod esset tolerabilius Metropolitanus), nihilominus sic diluuntur.

Imo. Quod teneat Monasteria Dermanense, Dubnense, et Sae Crucis.

Respondetur.

Monasteria praedicta tenuit et tenet D. Metropolita dum adhuc esset Coadiutor per commendationem Eminentissimi Cardinalis Marescotti,<sup>128</sup> tunc Nuntii Apostolici, stante praesentatione Ducis de Ostrog, et Institutione sui Antecessoris, Coadiuti.<sup>129</sup> Administrantur optime praefata Monasteria, tum quoad cultum divinum, tum quoad numerum Religiosorum. Semper tenuerunt illa Monasteria vel Episcopi vel Metropolitanus ut hoc pacto subveniretur paucis redditibus illorum. Antecessores sui opulentiores semper tenuerunt Archimandrias, uti Peczerensem, Zydicinensem, Suprasliensem, Bezveccensem. Libenter cedet illis, si Metropolia Chioviensis cum bonis suis amplissimis restituatur Unioni Sae. Modo vero ad sustinendum honorem Metropolitanum

<sup>126</sup> Martianus Bilozor (1666-1697).

<sup>127</sup> A. P. Stephano Martyszkevycz, Protoarchimandrita, eiusque Consultorio generali.

<sup>128</sup> Nuntius Varsaviensis (1668-1670).

<sup>129</sup> Gabriel Kolenda (1665-1674).

nequaquam potest destitui his adminiculis. Et dato casu quod deposuisset dictas Abbantias, Ducissa moderna de Ostrog, iuxta placitum suum, quandoque etiam mercenario conferet illas Abbantias, et, quod avertant Superi, ne cadant in manus Schismaticorum, uti practicatum fuit semper in Ducatu Ostrogiensi; multa bona Unitorum, imo Episcopatus Ostrogiensis impetrata, et occupata fuere a Schismaticis. Consideret Eminentissimus Dominus Cardinalis Protector Russiae, quae et quanta expenderit modernus Metropolitanus pro Sancta Unione, decerni super hoc Commissarios rogat. Isti vero sui Accusatores nec obulum bono Unionis Sacrae applicarunt, sed faccis congestis, inhaerent commoditatibus suis, derelicta penitus conversione Schismaticorum, vindicatione bonorum et ecclesiarum. Falsum tum est quod tria praefata Monasteria teneat Metropolitanus, cum Monasterium Sanctae Crucis dignissimo suo Vicario, Patri Bartholomaeo Minienski donaverit; et super hoc decerni Commissionem rogat. Accedit, quod praefatae Abbatiae sunt vicinae Civitati et Metropoliae Chioviensi. Modo vero est spes in Domino et Victore nostro Serenissimo recuperandi dictam Metropoliam e manibus Moschorum, et sic vicinia Abbatiarum illarum multum proderit ad hunc effectum.

2do. Quod in suis Monasteriis impediatur Visitationes Patris Generalis.

Ad 2dum respondetur.

Falsum est quod Metropolitanus Russiae impediatur Visitationem tum suorum, tum etiam aliorum in sua Dioecesi Monasteriorum, dummodo id fiat cum scitu, et dependenter a Metropolitano, reddaturque ipsi ratio Visitationum a Patre Generali quadriennali. Primo visitabant Metropolitani (f. 189v) in persona sua omnia Monasteria Religionis (extant libri Visitationum), modo vero per summam impudentiam isti duo vel tres Patres foederati contra Metropolitanum vellent Visitationes independentes ab eo. Vellent item ne oppressorum ab ipsis Religiosorum, tum Saecularium aggravatorum recursus fiat et instantia ad Metropolitanum. Nova est haec Respublica, et inauditum molimen contra auctoritatem sui Pastoris. Detur enim casus quod Basiliani eximantur a iurisdictione Metropolitanum (contra omnia Iura, Praxes, Consuetudines Orientalis Ecclesiae, cum quibus accessit Russia ad Unionem S. Romanae Ecclesiae et haec clausula est approbata a Clemente VIII, ut videre est in libro RP. Thomae a Jesu, Carmelitae Discalceati, cui titulus: Thesaurus Sapientiae Divinae, incipiendo a pagina 324, usque ad paginam 334 inclusive), illico Metropolitanus male affectus Religioni promovebit ad Dignitates et Officia ex Saecularibus iuxta Diplomata Regni huius de anno 1635. Et iuxta Bullam Clementis VIII potest Metropolitanus promoveri ad Episcopatus Saeculares. Demum exemptis a se Monachis Metropolitanus si inhibeat administrationem Sacramentorum in sua Dioecesi (sicuti modo, consentiente ipso, administrant) certe Patres Basiliani nulli usui iam essent Sanctae Romanae Ecclesiae. Imo Episcopi schismatici nullo pacto iam convertentur, si audiant Monachos eximi a sua iurisdictione. Tenacissimi enim horum omnium sunt. Et super hoc decerni Commissionem rogat. Non enim sunt nuda verba, quae dicit Metropolitanus.

3tio. Quod in Fratres Franciscanos possessionem horti, 300 florenorum valoris, transcripserit, qui spectat ad Monasterium Polocense.

Ad 3tium respondetur.

Hortus praetensus non fuit Monasterii Abbatialis Polocensis, sed etiam si esset, fuit donatus Patribus Franciscanis in recompensationem Monasterii eorum (valoris trium millium florenorum), quod Dux Moschoviae per hostilitatem transtulerat ex fundo Patrum Franciscanorum ad fundum Monasterii Polocens. Basilianorum. Et ut hanc rem acquiesceret Metropolitanus modernus, praeter istum hortum plura dona fecit Patribus Franciscanis. Hortus vero ille non valet nisi 60 florenos. Petit supra

hoc Commissionem et puderet hos culices elephantes facere, et hortulos obicere pro acceptis et donatis tantis fundis, villis, terris, pecuniis a Metropolitano moderno Ordini Basiliano.

4to. Quod agros pro Officina lateraria Monasterii Grodnensis Duci Lithuaniae dederit.

Ad 4tum respondetur.

Falsum est quod officina lateraria Monasterii Grodnensis fuerit alienata, sed fundus tantum nudus concessus Duci Lithuaniae, sub onere census. Subsecuta morte Ducis, rediit ad possessionem Monasterii; sed pro officina lateraria extracta sumptibus Ducis debet solvere Monasterium Grodnense Successoribus eius. Decernatur super hoc Commissio.

5to. Quod bona Przylepy et Dno Monasterii Minscensis occupet.

Respondetur (f. 190).

Praedicta Bona, eorumque continuata possessio, vix non statim post Concilium Florentinum, spectant ad Metropolitanos Russiae. Authentica Instrumenta demonstrabuntur in Commissione, intimanda ab Eminentissimo Protectore Russiae.

6to. Quod non restituit indumentum Pontificale ecclesiae Zyroviciensi ab Antonio Metropolita legatum.<sup>130</sup>

Respondetur.

Indumentum illud, quod solus Archiepiscopus induit, non potuit donari et distrahi ab ullo Metropolitano; quia gemmae omnes, hoc est perlae, quibus ornatum est, sunt Cathedralis Ecclesiae Polocensis, ex Imaginibus eiusdem desumptae a Metropolitano Antonio Sielawa. Nihilominus Dominus Metropolitanus modernus Monasterio Zyroviciensi donavit quatuor peristromata brocatelli venetici nova, valoris centum Ungaricorum. Item quatuor equos praestantes. Item magnam copiam frumenti, cuius tunc magna penuria fuit. Commissio super hoc detur.

7mo. Quod Monasterio Berezvecensi totam fere Sacram Suppellectilem, uti et alia quaedam Vilnensi et Czereiensi Monasterio acceperit.

Respondetur.

Praefatum Monasterium ob amorem Religionis donavit Ordini Basiliano Domino Metropolitanus modernus, licet habuerit retentionem eius, promovente Eminentissimo Domino Cardinali Protectore Russiae. Negat ullam se habere illius Monasterii suppellectilem. Pixidem solum quam habuit ex argento deauratam, eandem et restituit Monasterio. De aliis Monasteriis negat se accepisse quidquam.

8vo. Quod Josephum, Archimandritam Polocensem,<sup>131</sup> aggressus pecuniis et suppellectili (ex quo mors sua secuta est absque dispositione christiana) privaverit.

Respondetur.

Josephus ille Archimandrita Polocensis sola aquavita et tabaco pascebatur, nec spes fuit ulterioris vitae. Pecunias, quas habuit, ascendebant ad 53 Ungaricos, et trecentos Florenos in alba et caerea moneta. Quos omnes et insuper de suo expendit Metropolitanus pro sepultura honesta, exequiis, Missis, convivio, iuxta morem Patriae, et faenestris magnis; deerant enim in ecclesia Abbatiali Polocensi, quia asscribus tantum oclusae fenestrae illius muratae ecclesiae fuerunt. Confessarium pro dispositione animae habuit Patrem Antonium Kiszczyc, quo utebatur saepius. Vere pro tam teme-

<sup>130</sup> Metropolita Kioviensis, Antonius Sielava (1641-1655).

<sup>131</sup> Josephus Grodzicki, Archimandrita Polocensis ab an. 1661.

rarior obiectione deberent puniri Delatores. Concedatur supra hoc Inquisitio, si non creditur Metropolitano.

9no. Quod intendat introducere ad Zyroviciense Monasterium, quod a Praelato semper abhorret, Superiorem Infulatum, more sui Antecessoris,<sup>132</sup> qui irritato conatu, cum scandalo populi publico, et magna sui confusione Abbatem ibi Polocensem praeficere volebat.

Respondetur (f. 190v).

Ly « Intendat » est actus internus, et Ecclesia non iudicat de internis. Quomodo ergo possunt scire Delatores, quid intendat Metropolitanus. Quin imo retorquetur quod Pater Stephanus,<sup>133</sup> Generalis ad quadriennium, tenet duo Monasteria Abbatialia, Polocense et Berezvecense. Pater vero Georgius,<sup>134</sup> Consultor, tenet item duo Monasteria, unum advitalitium Czereicense, et cum hoc advitalitio simul est Superior Zyroviciensis. Ecce ipsi impinguunt retinendo Monasterium Zyroviciense cum Archimandria Czereicensi. Et quod arguunt in Pastore, ipsi faciunt ob sua lucra, mercaturas, computationes nocturnas, et violationes votorum faedas. Super hoc rogo Inquisitionem.

10mo. Quod invigilet, ut post mortem Dominae Chodkiewiczowa occupet Bona Bytheniensis Monasterii, quasi pro Religione.

Respondetur.

Pariter peccatur hic sicut in superiore immediate Puncto. Hoc enim est divinari, quod invigilet Metropolitanus occupare Bona Bytheniensia. Si quam habebit praetensionem seu Ius Collationis, tunc alloquetur Religionem, et faciet quod ipsi in Domino, et secundum Iura illius Monasterii videbitur. Non possunt enim negare Delatores, quod dicti Monasterii Bytheniensis fuerit quondam Archimandrita consecratus pia memoriae R. d. Pater Symeon Jackiewicz.

11mo. Quod annum censum a Summis Antonii Metropolitae, Religioni legatis, nihil prorsus Religioni conferat.

Respondetur.

Tota sua Metropolia nunquam percepit vel solidum unum annui census Religionem concernentis. Cur inique accusatur? Et si percepit aliquando, in duplo restituere paratus. Suos census Metropolitanos non potest repetere apud Magnates, quorum potentia est gravis; nec Iura, nec lites, nec executiones Iudiciales curant. Et sic ubi potentia, ibi patientia. In Commissione id ipsum patebit.

12mo. Quod Bona Torokanie, a Regibus Monasterio Brestensi collata, cum consensu Archimandritae Zydicinensis, ad quem originaliter pertinebant, minis, vi illa occupandi intentatis, a Religione extorserit.

Respondetur.

Bona praetacta Torokanie fuere semper, incipiendo a Raphaelae Korsak<sup>135</sup> Metropolitano (apud Sanctos Sergium et Bachum sepulto) Mensae Metropolitanorum destinata, et applicata per Reges Serenissimos Poloniae, idque in locum Metropolitiae Kijoviensis, eiusque opimorum Bonorum, per Schismaticos unitis Archiepiscopis ablatorum, ut videre est in Privilegiis Regum Poloniae; Sigismundi III, sub Anno 1597, Mense Augusti 20; Vladislai IV, (f. 191) de Anno 1637, Martij 3; Item Vladislai IV, Anno 1637,

<sup>132</sup> Gabrielis Kolenda, Metropolitani Kioviensis (1665-1674).

<sup>133</sup> Protoarchimandrita Basilianorum (1679-1686).

<sup>134</sup> Georgius Malejevskyj, Consultor Ordinis Basiliani, Romam tunc temporis missus ad explicandas rationes Ordinis. Postea Archiepiscopus Smolenscensis ab an. 1690.

<sup>135</sup> Metropolita Kioviensis (1637-1640).

Decembris 7<sup>a</sup>; Item Vladislai eiusdem IV, Metropolitano Antonio Sielawa collata praedicta Bona Torokanie, uti bona Mensae Archiepiscopalis, Anno 1640, Mense Novembris die 5; Item Joanni Casimiri Anno 1662, 22 Maii, suo Antecessori eadem bona uti Mensae fuere more Serenissimorum Regum collata. Moderno vero Metropolitano a Serenissimo Michaele Rege Poloniae, una cum Metropolia et Archiepiscopatu Polocensi praenominato bona Torokaniae, uti Mensae in usum et possessionem cesserunt, sub hac clausula Privilegii Regii: Bona per Antecessores suos possessa pariter possideat, ac uti, frui et gaudere possit. In Bullis vero Pontificiis se Institutionibus, semper Bona mensae, eorumque possessio firmatur. Adest Ill.mi Joannis de Torres, Nuntii Apostolici, authenticum Instrumentum Anno Domini 1640, ultima die Mensis Decembris, in quo Instrumento Archimandrita Zydicinensis, R. Pater Nathanaël Lozowicki, comparens recognovit quod bona dicta Torokanie, virtute Privilegiorum Regalium, spectant ad Metropolitanum pro tempore existentem, eiusque Successores. Primus Metropolita Raphaël Korsak, Possessor Torokaniorum, ut avellerentur illa ab Archimandria Zidicinensi non requirebat tunc consensum dicti Archimandritae, quia Schismaticus erat. Et quis a Schismatico petit consensum. Succedentibus fati Antonii Metropolitanani, et vacante Sede per decem et quatuor annos, ob dissidia interna Monasterium Brestense Basilianorum nulliter et subreptitie obtinuit Privilegium a Serenissimo Joanne Casimiro, quatenus dicta bona Torokanie ipsorum Monasterii Brestensis usui servirent. Et quis non videt quod tale Privilegium ex partium controversiis casaretur et annullaretur a S. Regia Maiestate. Et conservaretur Metropolitanus penes bona Mensae. Princeps enim gentis, ne egeat. Et satius unam vel alteram Abbatiam, vel Monasterium, et praecipue inutilia Sanctae Romae Ecclesiae tolli, quam bona Metropolitana diminui. Notum enim est quantos labores, onera, et pondera subeat pro Unione Sancta modernus Archiepiscopus Russiae. Super veritate horum et evidenti probatione, decernatur Inquisitio.

Hac non obstante validitate rationum pro Metropolitano militantium, mero amore ductus erga Religionem Basilianam Orator, multa bona et notabilia sacro Ordini Basiliano praestitit.

Primo. Monasterio Brestensi in vim elemosynae exbursavit 1800 florenos; 2do. R. Patri Pachomio, tunc Generali,<sup>136</sup> ad solvenda ipsius debita 1200 flor.; 3to. Monasterio eidem Brestensi frumenti dedit pro ducentis florenis; 4to. Monasterium Berezvecense, quatuor millia florenorum importans quotannis, concessum alias sibi a Sancta Sede, donavit Religioni; 5to. Gabellas Reipublicae consumptas a Monachis solvit fisco Metropolitano, hoc est 400 florenos; 6to. Pro certa Domo, Pinski, ex occasione Patrum Basilianorum solvit 110 florenos; 7mo. Pro incremento Novitiatu Basiliani summam vigintiquinque (f. 191v) millium florenorum iure victam, cum sex millibus florenorum pro litis expensis, donavit et applicavit; 8vo. Summam triginta millium exbursatam, pro certis bonis Czeswiat, Sudilowicze, et Borkowszczyzna, idque in bonum Religionis, post sua fata, ne praetendant consanguinei, extinguere voluit Dominus Metropolitano; sibi tantum reservato usu advitalitio dictorum bonorum, quae cedent perpetuis temporibus Monasterio Polocensi. Modo vero ibidem aluntur decem Monachi, ex bonis et villis opulentis mensae Archiepiscopalis; 9no. Monasterio Zyroviciensi aggregavit et impetravit apud Rempublicam bona optima valoris viginti millium, Bula et Borowski. Item aliam bonae sortis villam, Symkowicze, iure vindicavit; 10mo. Bona Torokanie desolatissima reperit, modo vero notabiliter aucta et resarcita propriis

<sup>136</sup> Pachomius Ohilevycz, Protoarchimandrita (1675-1679).

sumptibus, ascendentibus ad 20 millia, fecit, et tenet; 11mo. Cura Metropolitanæ fundationes Monasteriorum, cum bonis, redditibus, commodo Religionis Basilianæ excitatae sunt et cesserunt: uti Monasterium Witebscense, Lyskowiense, et prope Novogrodecum apud Dominam Krzywcowā; 12. Aream magnam pro erectione Monasterii Witebscensis Basilianorum, insuper praediolum Wolyncowo, duobus millibus florenorum emptum, eidem Monasterio Witebscensi incorporavit. Non enumero hospitalitates, dona praestita Religioni, illud etiam non praetereundum, multos ad Religionem Basilianam vocatos, proprio aere vestivit; et ut ingrederentur Novitiatum nobiles, ingeniosi et virtuosī procuravit. Nil restat, nisi dicatur istis aliquot ingratiss: Ventrem feri, et scrutare viscera Patris, quae certe modo effervuerunt. Expectavi enim bona, et venerunt mihi mala; nec mirum, quia praeoccupato animo et cordi, omnia dulcia videntur amara; sicuti perspicillia viridia omnia repraesentant viridia; non quod in se objecta sint talia. Ergo res Basilianorum, sub hoc Metropolitanō, supra ducenta millia florenorum prae aliis Antecessoribus Metropolitanis, auctae et dotatae sunt. Et his stantibus pacta est Religio, et fecit transactionem cum Domino Metropolitanō; videat quibus bonis privabitur, si recedet a transactione inita. Ne sint nuda verba quae scripta sunt, Commissione opus.

13mo. Quod Monasterio Polocensi fundationem a Reipublica collatam, usque ad vitae tempora suae, in se convertere intendat.

Respondetur.

Ideo tenet dicta bona, quia triginta millia florenorum de suo exbursavit, et iam circa hoc transegit cum Religione. Si non placet transactio, restituantur 30 millia Metropolitanō, et ille eadem hora restituet bona praetensa.

14. Quod veniens ad Monasteria cum numeroso (f. 192) famulitio iis gravis esse soleat, Monasteriique et Religiosorum quietem maximopere inturbet, adeo ut tunc nulla sit clausura.

Respondetur.

Invitatus ad Monasteria venio cum omni apparatu proprio victualium et potus, quod ipsum consumo cum Religiosis. Sed alia est mens istorum Accusatorum, ne nimirum accedendo Metropolitanus Monasteria, audiat gemitus pauperorum oppressorum Monachorum et quod faciant Superiores die noctu, et ne fiat recursus ad Metropolitanum. Potius per ipsos inturbatur claustrum Monasterii, cum Superiores laetas dies noctesque ducant, abeant et divagentur quo velint, modestia comprimit calamum, sed aperientur in Commissione omnia.

15. Quod bona religiosa terrestria tributis militaribus tam vivente suo Antecessore,<sup>137</sup> quam etiam modo sint onerata.

Respondetur.

Onera militaria super bona quaecunque ecclesiastica imponere, non est in potestate Metropolitanī, sed Ducum Exercitus Lithuaniae, quorum adsunt mandata, et quietationes super hoc; quomodo ergo Metropolitanus non valens resistere tantae potentiae, et tamen accusatur et convenitur reus?

16. Quod bona Vsiāz empta impensis Summi Pontificis et aliorum pro Seminario, et alendis Clericis Ruthenis, in suos usus convertat, aequè ut suus Antecessor.

Respondetur.

Bona Vsiāz per hostilitatem Moschoviticam deleta et desolata vix ascendunt ad

<sup>137</sup> Gabriel Kolenda (1665-1674).



100 florenos census annui; stante hac calamitate non potest erigi Seminarium. Et super hoc inquiratur, qua res est oculis subiecta.

17. Quod absque scitu et assensu Religionis assumat ad suam Aulam personas regulares et ablegat quos vult et prout vult.

Respondetur.

Meritissimo iure id debetur Metropolitanum more practicato ab Antecessoribus suis, quia non illi Metropolitanum elegerunt, sed e contra. Neque Metropolitanus pendet a Religione, sed Religio a Metropolitanum. Quia nimirum Pater Stephanus<sup>138</sup> Generalis (ad quadriennium) iuravit Metropolitanum nihil se acturum independenter a suo Archiepiscopo, iuxta praescripta et Constitutiones Metropolitanas, olim piae memoriae Josephi Ruscii. Parentiam quoque in omnibus Metropolitanum suo promisit; et tamen toto quadriennio sui Generalatus contrarium fecit, et exemptionem Religionis totius Basilianae (f. 192v), quae non est cum illo, apud Sanctam Sedem procurat impetrare.

18. Quod Patrem Benedictum Michniewicz a suo Antecessore nulliter in Archimandriam Trocensem consecratum, superstite alio privilegiato, eundem autoritate Nuntii Apostolici, ob invasionem iussu ipsiusmet Metropolitanum patratam suo titulo privatam solemni excommunicatione ab eodem ictum et qui ultro Capitulo Generali penultimo sese hoc titulo abdicaverat, ac pro excessu quodam a Religione iudicatus est, punitus fuerat; nihilominus eum a se protegi, atque Archimandritam dici nominarique velit et iubet.

Respondetur.

Quaecunque acta sunt sub Ill.mo Domino Ranuzio,<sup>139</sup> nempe invasiones, excommunicationes, adhuc vivente Antecessore moderni Metropolitanum, iam composita et sanata sunt, quibus finitis, consecratus est R. P. Benedictus in Archimandritam Trocensem et investitus, licet illa Archimandria sit mere titularis. Quod autem ipsi est obiectum, ex mero odio Patris Stephani id ipsum processit, et praecipue ea de causa, quia non potuit Archimandriam Suprasliensem opulentissimam pro se obtinere, quam obtinuit Frater germanus Patris Benedicti R. P. Josaphat Michniewicz,<sup>140</sup> optime notus et commendatus Romae. Quaesivit contra praefatum Patrem Benedictum unius Laici amanuensis hominis falsum testimonium, et invenit, qui ipsi obiiceret; appellavit iterum Pater Benedictus a sententia gravaminosa Patris Stephani ad Metropolitanum. Quis in culpa si Pater Stephanus non est prosecutus causam contra Patrem Benedictum. Scit enim Pater Stephanus, quod sit impostura.

19no. Quod Patrem Stephanum Szluzynski ad Archimandriam Braslaviensem, et Prioratum Cassutensem, Patrem Bonifacium Paszkiewicz ad Minscensem et Onuphriensem, homines immeritos, impares, necdum certos Religiosos, cum tot aliis pretio promoverit, et promoveat.

Respondetur.

Pater Stephanus Szluzynski, meritissimus de Sancta Unione, adhuc ab Antecessore moderni Metropolitanum fuit consecratus, et investitus in Archimandritam Braslaviensem. Multa passus a Schismaticis Witebsci, in recuperandis ecclesiis ad Unionem S. Proponatur contra ipsum si quod habet aliquis, et administrabitur iustitia. Pater vero Bonifacius Paszkiewicz, pro Unione Sancta in Palatinatu Mscislaviensi concussus et

<sup>138</sup> Protoarchimandrita (1679-1686).

<sup>139</sup> Angelus Maria Ranuzzi, Nuntius Varsaviensis (1671-1673).

<sup>140</sup> Josaphat Michniewicz, Archimandrita Suprasliensis (1680-1692).

convulneratus terribiliter a Schismaticis, iam toto anno fere infelicem et lecto affixam ducit vitam. Tales profecto debent promoveri in Unione Sancta ad quascunque dignitates. Plus enim ille peritia sua in lingua sclavonica profuit Sanctae Unioni, quam hi Accusatores Pastoris.

Quod 20. Patrem Metrophanem Sokolinski, ex Archimandria (f. 193) Grodnensi ad Pustinensem et Onuphriensem, nec non Archiepiscopatum Smolenscensem cum suo Antecessore promoverit, qui prius fidem catholicam in Moscovia euraverit, quique est impar, incapax etc. etc.

Respondetur.

R. mus Metrophanes in Drucko Sokolinski adhuc a suo Antecessore promotus ad Archiepiscopatum Smolenscensem ob familiam magnam, et Sanctae Unioni proficuum. Datae sunt ei tres Abbatiae pro sustentatione honesta status archiepiscopalis. Jam est octogenarius, quod si fatis cedet, alius in locum eius consecrabitur et de necessitate illi consecrando conferentur supradictae Abbatiae pro mensa Archiepiscopali, donec redeat ad possessionem Reipublica Smolenscum, cum Archiepiscopatu Smolenscensi unito. Falso quoque et mendacissime ipsi obiicitur, quod eurrasset fidem in Moschovia, ubi captivus carcerem sustinuit, et ex carcere, fuga arrepta, rediit ad hanc Sanctam Unionem. Quodsi eurrasset ibi fidem, magnis cumlaretur redditibus, honoribus; uti solet magnus Dux Moschoviae praemiare Apostatas, et praecipue desertores Unionis Sanctae. Sed ut quod acta Antecessoris mei recoquuntur, quae ventilata et diluta sunt sub Ill. mis Dominis Nuntiis Apostolicis?

21. Quod personas regulares absque scitu, commendatione et dimissoriis Superiorum Religionis absque ulla necessitate in Subdiaconos, Diaconos, et Praesbyteros ordinet, non habentes annos a Sacris Canonibus praescriptos, quandoque incapaces, et irregulares et perpetuos in Religione Laicos.

Respondetur.

Personas regulares consecrat Metropolitanus in Monasteriis, plerumque praevia commendatione Superiorum. Et modo Zyroviciis octo consecravi. Sed octavus, uti mere indignus, fuit suspensus ab Ordinibus, ex quo ob privata sua commoda amicum et laicum hominem commendavit Pater Stephanus. Posthac circumspectio erit super istos dolos. Irregulares, dummodo digni reperiantur, debent primo absolvi potestate Sanctae Sedis Apostolicae, et postea consecrari. Non tamen quicumque irregulares, sed comprehensi in facultatibus Metropolitanis. Incapaces et non habentes annos nequam promovet Metropolitanus ad Ordines. Ingeratur et deducatur.

22do. Quod Patrem Gregorium Bienkovski<sup>141</sup> ob debita Romae contracta isthinc profugum, loco paenitentiae gravioris, quam gravissimis suis instantiis Sacra Congregatio de Propaganda Fide toties expostulaverat, (f. 193v) cum Antecessore suo perpetuum eum protectione foverit, et ad prioratum Czerlonensem prius, mox ad Grodnensem, ac deinde Czereiensem Archimandriam, cum devastatione earundem, promoverit.

Respondetur.

Ad hoc Punctum nihil prorsus debet responderi, quia dum haec agebantur tempore sui Antecessoris, modernus Metropolitanus per decennium tractavit studia Romae. Et iste Pater Gregorius defunctus promotiones suas per Magnatum potentiam obtinuit.

23. Quod ad Novitiatum vocationem quosdam non habentes, spe tantum promotionis, aut bonorum ad ipsos pertinentium accessione quandoque intrudat.

<sup>141</sup> An. 1651-1656 circa, dum erat Procurator in Urbe.

Respondetur.

Promoti ad Novitiatum amore Religionis per Metropolitanum, si non habent vocationem et culturam debitam Novitiis, dimittantur, si habent, conserventur. Cur debet in hoc Puncto morari Magister Novitorum?

24. Quod Visitaciones quorundam Monasteriorum omnino impediatur, gliscentibus ibi interea magnis scandalis.

Jam responsum est ad hoc abunde Numero 2do, uti superius videre est, ut quis recoquitur crambe?

25to. Quod Capitulorum intimationes ad se transferat et Capitula per factiones, praesertim electionem, peragat, in locis designat inquietis, eaque in longum, ad summum Religiosorum taedium, protrahat.

Respondetur.

Intimatio Capitulorum semper fuit penes Metropolitanos. Quia omnes Metropolitanus fuere Generales Ordinis. Sed et modernus Metropolitanus fuit semper in possessione Intimationis Capitulorum Ordinis; praesidet Capitulo, excipit vota et dat sua pro electione Generalis quadriennalis. Et quae decentia esset, imo inversio Ordinis. ut Metropolitanus et Episcopi, ac Archimandritae advitalitii deberent venire ad intimationem unius Religiosi Generalis quadriennalis?

Factiones nullae possunt intercedere et canonica est electio, quando subscribunt omnes Congregati, nemine penitus contradicente, uti et subscripserunt semper. (f.194) Si vero non est canonica electio, abrogabitur per Sanctam Sedem, et alia instituetur, Sed Metropolitanus non debet detrudi et spoliari iure suo quod habet ad Capitula convocanda Basiliana. Quodsi spoliabitur iure suo, non veniet ille et omnia Monasteria Religionis ad intimationem unius Religiosi simplicis, hoc est Patris Generalis quadriennalis. Iterum atque iterum informatam vult esse Sanctam Sedem Metropolitanus Russiae, quod si Religiosi Basiliani eximent se a iurisdictione Metropolitanus, ad instar latinarum Religionum, indurabuntur in suis erroribus Schismatici, nec aderit spes conversionis. Quia apud Episcopos schismaticos primum et principale est ut Monasteria Dioecesis eorum ad ipsos tantum spectent. Videbit Sancta Sedes quantum motum res ista faciet, exemptam declarare Religionem Basilianam a Metropolitanus et Episcopis. Recentissime magna notae et fortunarum Abbas Melecensis ex Schismatico factus unitus cum sua Archimandria; et tamen noluit se subdere Patri Generali, sed tantum Domino Episcopo Chelmensi, in cuius est Dioecesi Abbatia supradicta. Porro Capitula (quod erat ultimo solvendum) celebravit Metropolitanus Zyroviciis, et ubique in Monasteriis celebrat, quibus uti Claustris nullus quietior locus potest esse.

ULTIMO.

Quod administrationem perpetuam vacantium Episcopatum Bonorumque Religionis in suis Episcopis et Religione ad exterminium bonorum a S. R. Maiestate impetraverit.

Respondetur.

Administratio perpetua Ecclesiarum et bonorum in Russia vacantium impetrata fuit adhuc ab Antecessore moderni Metropolitanus, apud Sernissimum Joannem Casimirum<sup>142</sup> de anno 1667. Et iam Constitutione Regni Anno 1669 firmata, ac subsequenter a Serenissimis Michaelae et moderno Joanne III Privilegiis roborata.<sup>143</sup> Est enim hoc in

<sup>142</sup> Joannes Casimirus, Rex Poloniae (1648-1668); Coronae tamen an. 1668 abdicavit.

<sup>143</sup> Joannes Sobieski (1674-1696).

potestate Serenissimorum Regum suae collationis vacantes ecclesias, et bona cuicumque in administrationem tradere; et quis propior et similior ad obtinendam (f. 194v) hanc gratiam Principis quam Metropolitanus Russiae? Capitula Rutheno unita ad normam Capitulorum Ritus Latini non possunt administrare vacantia; quia sunt plerumque simplices et omnes uxorati. Summa proinde foret indecentia apud Saeculares, si uxorati Cathedras Episcoporum vel ad brevissimum tempus administrarent.

Quomodo hi uxorati defendent se ab invasione Schismaticorum, qua solent invadere et occupare Episcopatus, Archimandrias (uti non semel factum), succedentibus fati Unitorum? Metropolitanus vero administrans vacantia semper potest resistere Schismaticis, eorumque voracissimae ambitioni.

His ita solutis, rogat orator Eminentissimum Cardinalem Protectorem, ut super veritate indaganda istorum omnium destinentur Commissarii, Ill.mi DD. Episcopi, ex Latinis Vlnensis et Mallensis,<sup>144</sup> ex Unitis Chelmensis,<sup>145</sup> quibus addantur duo Provinciales, Patrum Carmelitarum Discalceatorum, et Societatis Jesu. Coram quibus, uti Patriotis et bene consciis, producentur Iura, quae Metropolitanum, et quae Religionem concernunt. Porro Iura Metropolitana et Episcoporum omnia authentica et originalia cum suis Instrumentis extant in Archivo Metropolitanano, cum quibus accessimus ad Unionem Sanctae Romanae Ecclesiae sub Clemente VIII, et quorum omnium fecit mentionem R. Pater Thomas a Jesu, Carmelita Discalceatus, in libro suo<sup>146</sup> sub numero 2do, ubi Russiae conversio, eiusque Iura et supplicationes ad san. m. D. N. Clementem VIII factae, et admissae continentur. Penes quas supplicationes et Iura humillime supplicat conservari Orator Metropolitanus per Sanctam Sedem Apostolicam; ne dicant Schismatici, quod tam magnae concessionis SS. morum Pontificum occasione conversionis Russiae, tam facile revocentur ad instantiam aliquot inquietorum Monachorum, cristas contra suum Pastorem erigentium. Amore potius certandum est illis cum suo Metropolitanano quam accusationibus, et imposturis. Schismatici haec non proposuissent contra modernum Metropolitanum,<sup>147</sup> nimirum vocando illum Simoniacum, Homiudam, Invasorem et spoliatorem bonorum; certe tales Imposturae faciunt despondere animum Metropolitanano, ne ulterius benefaciat Religioni. Et quod sane dolendum, quod dum deberemus invigilare gregi, ne lupo invadat, ipsi hisce rixis consumimur, et plane bella geri placuit, nullos habitura triumphos. In quorum omnium fidem manu propria subscribo.

Dabantur Novogrodeci, 20 Iulii 1683.

CYPRIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae et Polocensis.

## 51.

*Minsk, 31 . VII . 1683.*

*De congregatione Hierarchiae unitae coram Nuntio habita deque eius Decretis.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 145-146.

<sup>144</sup> Nicolaus Pac, Episcopus Vlnensis (1672-1684); Episcopus tit. Mallensis, Benedictus Zuchorski (1681-1703), Suffraganeus Samogitiensis.

<sup>145</sup> Jacobus Susza (1652-1686).

<sup>146</sup> *Thesaurus sapientiae divinae... de procuranda salute omnium gentium...*, Antverpiis 1613.

<sup>147</sup> Cyprianus Zochovskyj (1674-1693).

Eminentissimi et R.mi Principes. Domini, Domini et Patroni Colendissimi.

Congregati Varsaviae Episcopi S. R. Ecclesiae uniti, pro Comitibus proxime praeteritis, statuerunt aliqua Decreta in praesentia Ill.mi Domini Nuntii Apostolici, quorum Decretorum seriem propria manu Ill.mus Dominus Nuntius connotavit, ac originale ipsum Ill.mo Domino Metropolitae Nostro tradidit. Cum vero Ill.mus Dominus Metropolitanus pro iure suo convocasset Capitulum Ordinis<sup>148</sup> ad eligendum Proto Archimandritam Minsci, ecce Ill.mus et R.mus Dominus Nuntius pro impediendo Capitulo Generali misit litteras privatas revocatorias praefati Capituli, dicendo quod Varsaviae convenerant Domini Episcopi super intimatione Capituli post diem Natalis Domini Anni praesentis. Cum tamen nec somniarunt praefati Domini Episcopi Russiae quidquam decernere vel statuere de tempore ac intimatione Capituli, uti patet ex hac copia introcontenta, ubi nulla mentio extat Decreti de intimatione Congregationis Basilianae, Pater Stephanus, ex Generalis, associatis Consultoribus, ob ambitum merum regnandi (quippe mercator insignis (f. 145v) et magnas adunavit pecunias), innixus privatae epistolae Ill.mi Domini Nuntii (quae fuit eritque lapis offensionis, rixarum, et turbinum in Unione S. N. ac Religione) vocatus licet et rogatus toties non venit. Proinde cum Ill.mus Dominus Metropolitanus noster sit et fuerit semper in possessione intimationis, rite et legitime hoc Capitulum, labente quadriennio 25 Iulij, Minsci, in Monasterio Ordinis nostri, illud celebrari curavit,<sup>149</sup> ac in Proto Archimandritam Ordinis ad quadriennium votis ac Suffragiis nostris liberrimis electus, nec acceptavit administrationem impositi muneris iure advitalitio, solummodo quatuor annorum spatium regiminis, per nos Ill.mo Domino ultro oblatus suscepit onus; dignus qui ad vitae tempora ad Clavum immediatum praeficeretur Religionis, more Antecessorum suorum Metropolitanorum Russiae; et praecipue, quia diebus Metropoliae suae illustra et saeculis memoranda Religioni Basilianae praestitit beneficia, facile enim quisque dignoscere et colligere potest, quod ad ducenta et amplius millia florenorum Polonicalium ascendent eius opera, testificata huic Basiliensi familiae. Actorum nostrorum in Congregatione Minscensi<sup>150</sup> mittimus seriem Eminentissimis VV., humillimamque supplicationem interponimus, ut illa in omnibus punctis et clausulis, autoritate Apostolica (f. 146) Eminentiarum Vestrarum approbentur, nec non, accedente Sanctissimi Domini Nostri consensu, habeantur rata. Nam etiamsi duae aut tres instituantur Congregationes Ordinis, id ipsum concordans votis et animis sentiemus. Sacras interim purpuras Eminentiarum Vestrarum devotissime exosculamur, et gratia foveri, tum Ordinem nostrum, tum S. Unionem supplicamus.

Datum in Monasterio Minscensi, Mense Iulij 31 die, Anno 1683.

Eminentissimarum et R.marum Dominatorum VV.rarum

humillimi, devoti et obligati Servi

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae, Protoarchim. O.S.B.M (mp).

MARTIANUS, Episcopus Pinscensis (mp),

BENEDICTUS MICHNIEWICZ, Archimandrita Trocensis, Auditor Metropolitanae Kioviensis.

<sup>148</sup> Capitulum Minscense an. 1683, die 25 Iulij; cfr. M. M. WOYNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 17.

<sup>149</sup> Cfr. notam praecedentem.

<sup>150</sup> IBIDEM.

JOANNES KORZENIEWSKI, Ord. S. B. M. Consultor, Superior Monast. Vilnen.  
 JOSEPHUS BABINSKI, Ord. D. B. M. Superior Monasterii Polocens.  
 BARTHOLOMEUS MINIEWSKI, Ord. D. B. M. Vicarius Generalis Monasteriorum Voliniensium et Hegumenus S. Crucis.  
 EUSTACHIUS WIENCZEK, Ord. D. B. M., Secretarius.  
 STEPHANUS SIELCZYSKI, Or. D. B. M. Archimandrita Brest.  
 Pater MARTIANUS KULCZYCKI, Or. D. Basilii M., S. T. L.  
 Pater WARSONOPHIUS KOBYLNICKI, Ord. D. B. M., Consultor Religionis.  
 JOSEPHUS SAKIEWICZ, Superior Monasterii Czerlens. Ord. Divi Basilii Magni  
 GEDEON SZUMLANSKI, Ord. D. B. M.  
 ISIDORUS LAZAROWICZ, Ord. Sancti Basilii M.  
 JONAS WINSKI, Ord. S. Basilii M.  
 MELETIUS SZCZYGIELSKI, Ord. S. B. M.  
 HIERONYMUS BILKIEWICZ, Ord. Divi Basilii Magni.

## 52.

*Mense Augusto-Septembri 1683.*

*Explicat suos actus in congregando Capitulo Basilianorum, nec non instat ne Capitulum hoc invalidetur, defendendo iura Metropolitanorum Kioviensium in monachos.*

BIBL. CASANATENSE, ROMA, Mss. Cas., vol. 301, fol. 313-316.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini.

Cum pro parte aliquorum monachorum Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni supplicatum fuerit huic S. Sedi per eius Ill. mum Nuntium in Polonia residentem, et in praesenti ab eisdem per R. P. Georgium Maleievschi instetur, primo, ut Capitulum Minsci congregatum mense Julii anno 1683 annihiletur;<sup>151</sup> 2º, ut Religio Basiliana eximetur a iurisdictione Metropolitanae totius Russiae, nec non aliorum DD. Episcoporum Ruthenorum more latinarum Religionum; 3º, ut D. Metropolita, aliique DD. Episcopi restituant Religioni Abbatias, quas possident. Afferuntur humillime iudicio EE. VV. pro parte dicti D. Cypriani Zochovschi, Archiepiscopi Polocensis, et praesentis Metropolitanae sequentes rationes, propter quas nec iustum, nec consentaneum video, ut ipsorum petitionibus annuat.

Et quoad primam petitionem licet non desint rationes, quibus probari possit validitas ipsius Capituli, cum tamen EE. VV. iam dignatae sint decernere, quod ipsis visum est, supervacaneum foret, si hic, et nunc tempus super hoc conteret.

Quod vero ad 2. am, sciant EE. VV., quod in Oriente, et ubicumque Ritus graecanicus viget, semper fuit, et est iste mos, ut monachi a loci Ordinario dependeant, et fundatur in celeberrima, et generali Synodo Chalcedoniensi, quae can. 4 sic statuit: - Placuit huic Sanctae Synodo, neminem aut aedificare, aut construere monasteria, aut oratorii domum sine consensu ipsius civitatis Episcopi: *Eos vero, qui per*

<sup>151</sup> Minscense an. 1683.

*singulas civitates, seu possessiones in monasteriis sunt, placet nobis Episcopo subiectos esse debere;* et quieti operam dare, atque observare ieiunia, et orationes in locis, in quibus semel se Deo vovent permanentes; Et neque communicare ecclesiasticas, neque saeculares aliquas atrectare actiones, relinquentes propria monasteria, *nisi forte iubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius civitatis Episcopo.* Convenit ergo civitatis Episcopo curam, sollicitudinemque necessariam monasteriis exhibere.

Idque statuere Patres non solum quia quodlibet monasterium Basilianorum in Oriente habet proprium Abbatem, seu Egumenum, a quo gubernatur sine dependentia ab aliis, adeoque necessaria omnino est ipsis dependentia a loci Ordinario, sed quia ex Religione Basiliana assumuntur semper ad dignitates Episcopatum, Archiepiscopatum, et Patriarchatum viri, unde licet in (f. 313v) dignitate constituti, sunt tamen membra Religionis; adeoque cum dignitate praecellant, ac insimul perfectione christiana excellere debeant, bene iudicatum est, ut Religiosi a proprio Episcopo, quasi a suo capite dependeant.

2º. Ista lex non solum in tota Graecia invaluit, sed in tota Russia fuit semper observata; et quando Rutheni voluerunt obedientiam reddere huic Sanctae Sedi, antequam submitterent se per suos legatos, ad fel. rec. Clementis VIII missos anno 1595, plurimos articulos, seu condiciones proposuerunt, inter quas et istae fuere. Primo. S.V. administrationem Sacramentorum ritusque ac cerimonias orientalis ecclesiae integre, inviolabiter, atque eo modo, quo tempore Unionis antiquae illis utebamur, nobis conservare, confirmareque pro se, et Successoribus suis, nihil in hac parte innovaturis unquam, dignetur. 2º. *Archimandritae, Ihumiani, monachi vulgo czerncy, monasteria, et coenobia illorum, ut secundum morem, et consuetudinem antiquam sub obedientia, et potestare Episcoporum in cuiuslibet Dioecesi sint.* 3º. Privilegia nostra super bonis, ecclesiis, cathedralibus attributa, in quorum possessione pacifica hucusque existunt, ut vires, et robur suum perpetuae firmitatis obtineantur, addendo: quae omnia petita a nobis si obtinuerimus, S. V. semper esse volumus.<sup>152</sup> Et postquam fuerunt a S. Congregatione Eminentissimorum Cardinalium examinati et attente discussi articuli *permisum est eis*, ut omnibus coereemoniis, et ritibus antiquis, quorum ipsi tenacissimi sunt, uterentur, dummodo fidei catholicae non contradicerent.

3º. Cum his ergo iuribus Rutheni accesserunt ad Unionem Sanctam, ideoque privandi non sunt. Nec ista iura fuerunt ipsis unquam ablata. Imo videtur fuisse confirmatum Metropolitanæ ius supra monachos a glor. mem. Urbano 8-o, cum anno 1643, die 28 7bris, volens approbare decretum huius S. Congregationis, in quo concessa fuerat monachis Ruthenis facultas eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem, seu Proto Archimandritam totius Russiae<sup>153</sup> declaravit, intentionem suam fuisse monachos praedictos in Congregationem sub Generali redigere, ut Religio praedictorum melius gubernetur, et *Metropolitæ* pro tempore non praeiudicare in iis, quae illi de iure competunt<sup>154</sup>.

(f. 314) Nec obstat quod per ipsum Summum Pontificem redacti sint monachi Rutheni ad communitatem, adeoque debent eximi a Metropolitana? Quasi vero com-

<sup>152</sup> Sic scribebant Episcopi Rutheni an. 1595 ad Clementem PP. VIII. Cfr. *Ruthenica*, vol. III, 2, in *Orientalia Christiana*, pag. 141, sub dat. 12. VI. 1595. Textus vero plenus sic sonat: « Quae omnia petita a nobis, si obtinuerimus, Sanctitati Vestrae cum omnibus successoribus suis, nos et successores nostri dicto audientes subque regimine Sanctitatis Vestrae semper esse volumus ».

<sup>153</sup> Cfr. *Acta S. Congreg. de Prop. Fide*, vol. I, Romae 1953, pag. 197, nr. 342.

<sup>154</sup> *IBIDEM*.

munitas monasterii, et Religionis ordinatae impediatur dependentiam a Metropolita. Potest enim et communitas esse et dependentia a loci Ordinario in Russia more orientalis Ecclesiae, et potest de facto, observatur in monasteriis Suprasliensi, Berezvecensi, Dermanensi, Dubnensi, et Polocensi, quae sint communitates magnae, et tamen pendunt a loci Ordinario non a Proto Archimandrita.

Imo ab iisdem monachis convenientissimum saepius iudicatum fuit, ut non solum dependeant a Metropolita, sed ut ipse sit eorum Generalis; adducuntur rationes validae pro hoc in generali Capitulo congregato anno 1667, propter quas licet Ill. mus D. Nuntius Apostolicus, qui praesens fuit, omnibus modis moneret Patres vigore Brevis Alexandri 7-i, ut ad sedandas aliquot dissentiones ortas, *electio* Generalis de persona alicuius monachi fieret, tamen Patres eligerunt D. Gabrielem Metropolitam, Antecessorem praesentis,<sup>155</sup> in Generalem *advitalitium*.

4°. Monachi si eximantur a iurisdictione Metropolitae infallibiliter arcebuntur ab administratione Sacramentorum, et Sacerdotes saeculares assumuntur ad operationes apostolicas, et promovebuntur ad Praelaturas, et Praeeminentias ecclesiasticas, adeoque Religio nulli iam usui erit. In manibus enim D. Metropolitae sunt promotiones ad Hegumenias, Archimandrias, Episcopatus, Archiepiscopatus, diplomatibus et legibus Regni Poloniae firmatae.

5°. Non solum exemptio haec summopere omnibus Episcopis unitis displiceret, sed omnes alii Episcopi Schismatici suorum iurium, et dependentiarum tenacissimi nunquam permittent, nec accedent ad gremium S. R. E., si vel per somnium inaudient eximi a sua iurisdictione monasteria monachorum suae Dioecesis. Probatum est enim in Congressu, et Colloquio Lublinski,<sup>156</sup> quod ad vocem Episcoporum Leopoliensis, Premisliensis, et Luceoriensis comparuerunt monachi monasteriorum illarum Dioecesium, de medio communitatum suarum. Imo, recentissime Schismaticus Archimandrita Melecensis cum magna communitate sua amplexus Unionem Sanctam, cavit sibi, quod non a Protoarchimandrita, vel Provinciali Ordinis Basiliani, sed a loci Ordinario debeat dependere, quod acceptatum est a D. Metropolita, et ab Ill. mo D. Nuntio moderno. Praesens enim dissentiones subortas exemptis a Metropolitano, ideoque noluit incorporari iurisdictioni et dependentiae a Protoarchimandrita.

(f. 314v) 6°. Si eximeretur Religio a Metropolita, facile esset Superioribus indiscretis opprimere monachos subditos; et oppressi difficilem reperirent medelam in suis oppressionibus. Quis enim ipsorum posset in tanta distantia locorum, et cum paupertate religiosa ad S. Sedem recurrere, vel ariam ad eius Ill. mum Nuntium? Ideoque omnino pro communi bono Religiosorum necessaria est dependentia a Metropolita. Et cum Metropolita caput sit totius Russiae, et ab ipso operata fuerit celebris conversio Ruthenorum, ab ipso principaliter foveatur, et promoveatur Unio, ut quidquid boni factum est in Russia tum pro saeculari populo, cum pro clero, et monachis, a Metropolita primario ortum habuerit, convenientissimum plane est, ut eius iurisdictiones, privilegia, et honor a S. Sede conserventur. Cum praesertim modernus Metropolita sic zelans catholicae fidei, et honoris huius S. Sedis multis in occasionibus apparuerit, tum verbo, cum scriptis, et opere, prout forsitan VV. EE.-iis notum erit, ut inter benemeritis ecclesiae ab eadem S. Sede reponi posset.

<sup>155</sup> In Capitulo Berestensi an. 1667 (diebus 4-5. III.). Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 15.

<sup>156</sup> Anno 1680, Mense Januario. Agitur hic de libro a Cypriano Zochovskyj edito, ubi de hoc Colloquio aliisque rebus agitur.



7<sup>o</sup>. Tandem R. P. Stephanus Martischevicz, ultimus Protoarchimandrita,<sup>157</sup> cum ad hoc officium promotus fuit, solitum emisit iuramentum in manibus D. Metropolitanæ, quod est tale: Ego Stephanus iuro D. Deo uni, et trino me Religioni S. P. N. Basilii Magni praesertim vero Congregationi eiusdem Religionis Vilnensi, Sanctae ac Vivificae Trinitatis, deditum, fidelemque fore, bonumque, ac incrementum eius pro viribus meis curaturum cum persistentia in unione cum S. R. E., *obedientiaque in omnibus Domino, et Patri meo Ill.mo et Rev.mo Metropolitanæ Chioviensi, Haliciensi, totiusque Russiae, D. Cypriano Zochovschi, Successoribusque eius*; munus vero Protoarchimandritale, ad quod capitulariter sum electus peracturum iuxta leges mihi nunc a Domino meo, et Patre Metropolita, itemque a Religione Congregationis nostrae traditas, atque ad praescriptum earum in omnibus me gesturum. Ita me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Quo praestito, regulas, legesque Religionis, ac sigillum officii, e manibus Ill.mi Metropolitanæ recepit.

Quomodo ergo dictus R. P. Stephanus, cum sit iuratus D. Metropolitanæ, potuit, salvo iuramento, haec contra dictum Metropolitanam attentare?

(f. 315) Ad 3-um petitem, videlicet, ut restituantur Religiosis tum a D. Metropolitanæ, cum ab aliis DD. Episcopis Archimandriae. Respondetur:

Primo. Quod D. Metropolitanæ quidquid possidet, iure possedit, et possidet. Aliqua enim spectant ad suum Archiepiscopatum Polocensem, alia sunt annexa Metropolitanæ, alia vel per privilegia Regia, vel per Breve Apostolicum legitime tenet. Nec praesens D. Metropolitanæ sibi quidquam arrogavit, plus quam ipsius Antecessor habebat. Si ergo contra Antecessorem suum meno exclamavit, quare contra modernum exclamant? et quidem post decem circiter annos Metropolitanæ suae.

2-o. Si DD. Praelati deberent restituere Abbatias, quas tenent, cum vix possint cum illis in praesenti subsistere secundum ipsorum gradum? Quomodo sine illis subsistere poterunt in futurum: clamor igitur ingens audiretur in Russia, si haec ablatio praeciperetur. Si tantum providere vellent EE. VV. monachis, omnino providere debebunt, atque Praelatis, qui sunt capita Ecclesiarum et prima fundamenta illius christianitatis, ne ruant.

3-o. In Capitulo generali facto die 12 Maji anni 1675,<sup>158</sup> cum Religio posceret a D. Metropolitanæ, ne multiplicet Archimandrias, imo aliquas sublatum eat, et plura alia? Respondit D. Metropolitanæ, quantum in se esset, praestare cuncta; *hoc solo cauto, ut praesentes Archimandriarum possessores eis ad vilæ tempora potiantur*; atque ex tunc novos pro Archimandriis candidatos ab hac promotione removit. Et actae sunt D. Metropolitanæ gratiae. Conventum ergo est, quod possessores Archimandriarum ex suo possessu non arceantur quousque vivant! Quo ergo iure modo praetendit oppositum?

Nec obstat, quod in aliquibus monasteriis nec tertia pars monachorum alatur, eo quia ad proprios usus Abbates convertunt ipsorum redditus, prout asseritur. Nam

<sup>157</sup> Protoarchimandrita ab an. 1679. In Capitulo metropolitano Minscensi die 25. VII. 1683 depositus, mox tamen restitutus fuit usque ad novum Capitulum, auctoritate apostolica convocatum, Novogrodecense an. 1686, diebus 1-10 Augusti. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, nec non in vol. eiusdem auctoris, *De regimine Basilianorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Romae 1949.

<sup>158</sup> Capitulum generale Zyrovicense. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 16.

et in Ecclesia latina plurimae numerari ponsunt Abbatiae, quae pinguissimae sunt et tantum vel pauci, vel nullus religiosus in ipsis alitur, quia commedatarii pro se trahunt omnia. Certum enim est, quod Praelati ideo procurant habere Abbantias, ut ipsarum bonis sustententur; quae si relinquere deberent pro Religiosis, nec de Abbatibus curarent.

(f. 315v) 4-o. D. Metropolita non tantum nil possidet plus quam eius Antecessor possidebat, verum licet a S. Sede per Breve obtinuerit gratiam, ut possit sibi retinere ad *vitae tempora* monasterium Berezvecense, quod pinguissimum est, attamen post quatuor annos possessionis suae in Capitulo generali, congregato anno 1679, die 25 Julii, liberrime cessit omni suo iure, et subdedit idque monasterium in perpetuum deinceps iurisdictioni, et dispositioni Religionis Protoarchimandritarum pro tempore, transferta in eos plena potestate visitandi, Superiores instituendi, aut permutandi. Item exclusit se libere in duobus Capitulis generalibus, sub se factis, ab electione in Protoarchimandritam in suffragiis. Et gratias nomine Religionis D. Metropolitae, pro tanta tamque paterna gratia egit R. P. Pachomius.<sup>159</sup> Item D. Metropolita, in eodem Capitulo destinavit quaedam bona suae ecclesiae cathedralis Vilnensis, et ab antiquo a Metropolitis possessa, ut illis ali possint quatuor monachi sacerdotes, qui loco saecularium presbiterorum, qui prius erant, resideant, ibique divino cultui promovendo incumbant. Et actae sunt gratiae D. Metropolitae pro tanta sui in Religionem effusione. Item D. Metropolita acceptavit novam foundationem a magnifico D. Adamo Kiesel, Vitepsci oblatam pro monachis Basilianis, et insuper aream ipsis donavit pro aedificio, et pariter praedium Pieskozacili dictum, augendo numero religiosorum. Et pro zelo in promovenda hac fundatione, et actione actae gratiae Metropolitae.

Denique Patres Basiliani, Minsci postremo congregati pro Capitulo generali,<sup>160</sup> mense Julii anni 1683, sessione 3, haec in scriptis reliquerunt. Invocato Spiritu Sancto concordi per chartulas calculo electus in Protoarchimandritam, idque ad quadriennium tantum Ill.mus D. Cyprianns Zochovschi, Metropolitaus totius Russiae, cui oneri imposito, et stantibus tot persuasionibus, ac instantiis congregatorum post tot excusationes, tandem assensum praebuit Ill.mus, et praecipue innixus certis rationibus eo quod invenirentur personae refractariae et discolae, solaque auctoritate Metropolitanum exerceri valentes, (f. 316) quae irrisui exponere audent ritum graeco unitum, et transitum ad romanum (quod esset totalis Unionis Sanctae ruina, et nulla spes conversionis Schismaticorum) ambient. Meritissimo quapropter iure censuit Congregatio, Ill.mus D. Metropolitanum esse Protoarchimandritam, qui diebus suae Metropolitiae, tam feliciter, et gloriose exactis, bonum, et *incrementum Religionis* Basilianae ita mire auxit, et aggregavit prae suis Antecessoribus, ut multa centena millia florenorum Polonorum accessionis fortunarum Ordini Basiliano per ipsum facile *numerari possunt*. Haec Patres. Et in 12a responsione data pro parte D. Metropolitae contra accusationes Patrum distincte annotant bona, quae Religio ab eodem obtinuit.

Ex his, quae omnia authentice probari possunt manifeste apparet quam bene firmam, et fundatam habeant iurisdictionem D. Metropolita, aliique Episcopi Rutheni supra monachos suos et ius retinendi Archimandrias, quas possident, et quam magna fuerit semper, et sit D. Metropolitae moderni propensio, benevolentia, cura, et largitas erga Religiosos. Quomodo ergo facile credi possunt ea quae ex parte aliquorum manachorum exposita sunt contra ipsum! Imo ex responsionibus a D. Metropolita da-

<sup>159</sup> Novus Protoarchimandrita, Pachomius Ohilevycz (1675-1679).

<sup>160</sup> Capitulum nullum Minscense an. 1683.

tis contra accusationes adversariorum et huic S. Congregationi missis clare dignosci potest quam debilibus fundamentis nitantur adversarii et quam indebite proprium Pastorem, ac Patrem incusarunt.

Pro parte igitur D. Metropolitae supplicatur, ut non solum bene perpendantur Romae eius responsiones ad puncta adversariorum nondum probata, sed a S. Congregatione deputentur in Polonia aliquot Commissarii idonei, et non suspecti cum facultate examinandi accurate omnia tum ex una, cum ex alia parte proposita, et de veritate informent eandem Sacram Congregationem. Et Deus. . .

(f. 316v) Sacra Congregatio de Propaganda Fide

pro

Rev.mo D. Metropolita totius Russiae ac DD. Episcopis Ruthenis.

### 53.

Ciotza, 20 . XI . 1683.

*Littera Hierarchiae unitae in defensionem iurium Metropolitae versus Ordinem Basilianorum.*

APF, Scritt, rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni, vol. 2, fol. 171rv.

Eminentissimi et Reverendissimi Principes. Domini, Domini  
et Patroni Colendissimi.

Devotissima ac humillima obsequia nostra voventes Eminentissimis Vestris, accusati ab aliquot inquietis Monachis,<sup>161</sup> non vero a tota Religione, obedientissimi Sanctitatis Suae Filii et Sanctae Unionis in hoc Regno Propagatores, comparemus coram Eminentissimis Vestris; et quidem Ill.mus Dominus noster, Pastor totius Russiae, iam suae innocentiae, et praetensionum contra Patres delatores, Eminentissimo Domino, Cardinali Nerlio, Unionis Sanctae, et Raxolanae Gentis Protectori, in scriptis porrexerat informationem. Nos vero Smolenscensis et Pinscensis Dioecesis Pastores, causam et causas nostras, quas praetendunt habere contra nos e Religione Basiliana aliqui accusatores, uti necdum ventilatam coram Ill.mo Domino Metropolitano, (iuxta iura Orientalis Ecclesiae, cum quibus ad Gremium Sanctae Sedis Apostolicae accessimus) primae instantiae iudice, remitti ad eundem, eiusque definitivam sententiam humillimis precibus Eminentias Vestras rogamus, sicuti iam et rogavimus. His enim iuribus restant Unionis Sanctae, et casu quo tollatur haec autoritas Ill.mo Domino Metropolitano nostro, nulla spes conversionis schismaticorum Episcoporum, Rituum suorum tenacissimorum, et in possessione dependentiae Monachorum ab ipsis existentium, affulgebit. Sententia porro Ill.mi Domini Metropolitanani, utraque parte informante, sive pro, sive contra nos lata, plenissime informabit Eminentias Vestras, quorum rei, vel insontes simus. Sacris interim purpuris Eminentiarum Vestrarum devotissima admoventes oscula, earundem gratiae et protectioni Unionem Sanctam, nos ipsos, et hasce vastissimas Dioeceses nostras, impensis commendamus votis, sumus etenim

Eminentissimarum et Reverendissimarum D.num VV.

humillimi, devot.mi et oblig.mi Servi

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae (mp).

<sup>161</sup> Agitur fere de tota Curia generali Basilianorum, quae inter ann. 1679-1683 regimen Ordinis Basiliani tenuit.

METROPHANES DRUCKI SOKOLINSKI, Archiepiscopus Smolenscen.  
et Severien. (mp.)

MICHAEL MARTIANUS BIALOZOR, Episcopus Pincensis.

In Ciotza, 20 . 9bris 1683.

## 54.

. . . . . , 1683.

*De causa vertente inter Metropolitanum et Ordinem Basilianorum.*

APF, *Scrutt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 147-148.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater. Domine, Domine Clementissime.

Intantum processit Ill.mi D.ni Nuntii moderni Poloniae<sup>162</sup> non bona inclinatio, vel potius rixarum in tota Unione Sancta excitatio, ut aliquibus inquietis Ordinis Basiliani favendo Monachis, promiserit procurationem apud Sanctitatem Suam, quatenus Religio Basiliana eximatur, adinstar Religionum latinarum, a suo Metropolitano, et insuper ut possit transire ad Ritum Sacrosanctum Latinum, unde totaliter praescinditur spes conversionis Schismaticorum, et scandalum eorundem. His ita subordinatis, praefatus Ill.mus Dominus Nuntius, nulla habens mandata a Sanctitate Vestra, intimationem Capituli Ordinis in 25m Iulii Anni praesentis incidentem, quantum potuit privatis epistolis ad varios Religiosos Basilianos, interturbando bonum et pacem publicam, impediabat. Porro R.mus Dominus noster Metropolitanus, (f. 147v) de Sancta Unione, et Religione nostra Basiliana meritissimus, intimato mature Capitulo iuxta iura sua, et suorum Antecessorum, nemine contradicente, electus in Proto Archimandritam sui Ordinis, idque ad quadriennium, de quibus omnibus Sacram Congregationem de Propaganda Fide informavimus. Sanctitati Vestrae humillime supplicamus, ut Ill.mus Dominus Nuntius nihil dignetur in demolitionem et subruitionem autoritatis Metropolitanae (quae semper intacta fuit) quidquam attentare, et multo magis longam iliadem rixarum in Russia, Religionem Basilianam inter et Metropolitanum plantare aut fovere. Sacros interim pedes Sanctitatis Vestrae devotissimo basiamus osculo ac gratiam et benedictionem eiusdem, quae summa in Orbe est, imploramus,

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini Nostri Clementissimi

humillimi, devot.mi et oblig.mi Filii ad pedes

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae, Protoarchimandrita Ord.  
S. B. M.

MARTIANUS, Episcopus Pincensis, Archimandrita Vilnen.

BENEDICTUS MICHNIEWICZ, Archimandrita Trocensis, Auditor  
Metrop. Kiovien.

STEPHANUS SIELCZYSKI, Or. Divi Basilii, Archimandrita Brest.

Pater MARTIANUS KULCZYCKI, Ord. D. B. M. S. T. L.

JOANNES KORZENIEVSKI, Ord. D. B. M. Consultor, Superior Monast.  
Vilnen.

Pater WARSONOPHIUS KOBILNICKI, Consultor Ord. S. B. M.

<sup>162</sup> Opatius Pallavicini (1680-1688).

EUSTACHIUS WIENCZEK, Ord. S. Basilij M., Secretarius.  
 ISIDORUS LAZAROWICZ, Ord. S. Basilij M.  
 MELETIUS SZCZYGIELSKI, Ord. S. B. M.  
 JOSEPHUS SAKIEWICZ, Super. Monasterii Czereiensis Ord. S. B. Magni.  
 JOSEPHUS BABINSKI, Ord. S. B. M. Superior Monasterii Polocensis.  
 BARTHOLOMAEUS MINIEWSKI, Ord. D. B. M. Vicarius Generalis Monasteriorum Voliniensium, Hegumenus S. Crucis.  
 GEDEON SZUMLANSKI, Ord. S. Basilij M.  
 IONAS WINSKI, Ord. S. Basilij M.  
 HIERONYMUS BILKIEWICZ, Ord. S. B. M.

## 55.

*Ruta, 2 II. 1684.*

*De rebus Basilianorum, et praesertim de iure metropolitano convocandi Capitulum generale.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 202-204.

Emin.mo e Rev.mo Principe,  
 Mio Signore e Padrone e Protettore della Russia Col.mo.

Havendo ricevuto sotto li 20 di 9bre la lettera di V. E., mio Signore, benchè tardi arrivatami, l'acetto con somma riverenza, massimamente, che mi portava i supremi e salutevoli comandi di S. Santità, della S. Congregazione, e di V. E. Protettore. È vero che non sono stato udito, e quel Breve<sup>133</sup> fu spedito senza la saputo di V. E., nondimeno con ogni rassegnazione, e se si venisse anche alla mia annientazione e del mio honore, l'acetto pure, e lo bacio; e per prova della mia profondissima sommissione che protesto d'havere verso la S. Sede, e V. E., riconosco tutto quello che dice, e vuole il Breve di Sua Santità (salvis tamen per omnia meis iuribus metropolitanis che ho dalla S. Sede, e da questa Cattolica Repubblica), anzi, intimai subito il nuovo Capitolo Basiliano, che si celebri a Novogrodeco<sup>164</sup> nella mia Diocesi a 19 del Marzo, dandone il tempo congruo di sette settimane da poter radunarsi la Religione, e quelli che hanno il Jus d'intervenirci, cioè i Vescovi che sono Abbati; E come sà benissimo V. E., a convocar una Dieta di Polonia bastano 6 settimane; Et in questo punto il P. Giorgio,<sup>165</sup> in Roma presente, non lo faccia nessun scrupolo, ne oggezione, quasi io come Metropolita non possa convocare il Capitolo. Perchè:

1. Non è conveniente, che un Monaco Religioso, idque ad quadriennium solum Generale, convochi non solo i Religiosi (f.209v) ma anche i Vescovi, anche un Me-

<sup>133</sup> Breve de dat. 30. X. 1683. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 651, nr. 612.

<sup>164</sup> Aliud Capitulum Novogredecense an. 1684, a Metropolita convocatum, in quo ipse iterum in Protoarchimandritam electus est. Sed etiam hoc Capitulum declaratum fuit nullum, et novum Capitulum indictum, quod tamen locum habuit anno tantummodo 1686, diebus 1-10 Augusti, sub praesidentia Thomae Uiejski, S. J., a Nuntio Apostolico ad praesidentium delegati.

<sup>165</sup> Georgius Malejevskyj, Consultor Ordinis et Abbas vel Praepositus Czereiensis (ab. an. 1680), et demum Archiepiscopus Smolenscensis (ab an. 1690).

tropolita lor Padre (che alla fine titolo Abbatiarum che teniamo per lo nostro sostentamento, con i privilegi della Maestà del nostro Invittissimo Re, secondo i diplomi di questa Repubblica) che siamo obbligati di venirci al Capitolo ogni volta che si celebra.

2. Sono stato in possesso già 3 volte da poter intimarci i suddetti Capitoli.<sup>166</sup>

3. I miei Antecessori sempre parimente con lor patenti intimavano, e furono Generali avitalizii; Basta che nella presenza dell'Eminentissimo Signor Cardinal Pignatello<sup>167</sup> fu eletto per Generale il mio Antecessore Metropolita.<sup>168</sup>

4. Sebene il Metropolita Rutscio con una sua particolare costituzione stabilì il contrario, non hebbe però mai il suo effetto, perchè nè Metropolita, nè Vescovi verranno al Capitolo, alla voce d'un Monaco Generale, di cui officio viene e passa dentro 4 anni; e come questo Monaco Generale può proceder contro un Metropolita che per gratia della S. Sede ha la Dataria in mano, e per la grazia de i Re di Polonia promove chi vuole à i Vescovati, Archimandrie, Hegumenati? Come potrà procedere contro i Vescovi, Abbati, o veramente Archimandriti? Come un Generale quadriennale può castigare, o visitare un (f. 210) Abbate avitalizio, se non lo fa con la dipendenza del Metropolita? O che nuova Repubblica P. Giorgio con i suoi quattro amatori delle novità ha portato à Roma! cioè esimersi i Monaci dal Metropolita, e da i Prelati, e poter celebrar Messa latina ne i Monasterii Greci, dove è florentissimo il Rito Greco, e Scismatici si scandalizzerebbono di queste novità. Sà benissimo V. E. che ci sono e restano da convertirsi milioni d'anime Moscovite, Rutene, Valache, Cosacche, i quali sono necessariissimi adesso per atterrar la Potenza Ottomanna, e spero in Dio l'atterreranno con il valore, e anni del nostro Invittissimo Re.

Credo arrivate sono già alle mani di V. E. le mie scritte per via d'un Padre Carmelitano Scalzo, Girolamo à Jesu, Polacco, Definitore di quell'Ordine; Non zelo altro, solamente che sii buono e religioso governo, non tale quale trovo adesso; Prego sii la commissione de vita et moribus discolorum.

Ill.mo Monsignor Nunzio s'è mostrato troppo affezionato verso una parte: quasi ha seppellito tutti i miei meriti, e buona fama, che ho havuto appresso la S. Sede, e appresso V. E., mio Signore; Ci vuol impetrare appresso S. Santità, che ci si levino a noi Abbadie, che teniamo; e che leva il pane, leva la vita, et honore; et io non havendo l'Abbadie (benchè poco rendono, Iddio mi sia (f. 210v) testimonio) non potrei sostenere il grado di Metropolita, e più tosto consegnerei nelle mani di S. Santità quest'Arcivescovato, et i Vescovi suoi Vescovati, e staessimo tutti con le mani alla cintola, nihil operantes nelle Diete, ne i Tribunali della Repubblica, dove difendiamo la Santa Unione contro i Scismatici. Per fine mi rassegnò tutto e per tutto nelle mani di V. E.; mentre con ogni riverenza baciando la Sagra Porpora mi raccomando alla grazia di Vostra Eminenza, scrivendomi

D. V. Eminenza, mio Signore

humil.mo divot.mo et oblig.mo Servitore, Schiavo

F. Cipriano Zochowski, Arcivescovo di tutta la Russia.

2 del Febraro 1684, à Ruta, sotto Novogrodeco.

<sup>166</sup> Ann. 1675, 1679, et 1683.

<sup>167</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667), in Capitulo Berestensi anno 1667.

<sup>168</sup> Gabriel Kolenda (1665-1674).

## 56.

Zyroviciis, 28 . II . 1684.

*Refutat asserta Brevis Pontificii revocatorii Capitulum Minscense, nec non suum modum agendi cum monachis enarrat.*

BIBL. CASANATENSE, ROMA, Mss. Cas., vol. 301, fol. 309-311v.  
APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 209-210v.

Eminentissime et Reverendissime Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.

Breve illud Sanctissimi Domini Nostri annullatorium Capituli Minscensis, die 30 Octobris anni proximi elapso,<sup>169</sup> non audito Archiepiscopo Russiae, eiusque rationibus non discussis, ex multis videtur capitibus esse ad male narrata, et praecociter expeditum, uti sequentibus coram Sacra Congregatione de Propaganda Fide, coram Eminentia Vestra, coram Domino meo, demonstro.

Primo, quidem, dicit illud Breve (et est Achilles et fundamentum quasi illius), quod in congressu habito Varsaviae coram Ill.mo D.no Nuntio Apostolico statutum sit hyeme praeterita Synodum provincialem insimul cum congregatione Ordinis Basiliani celebrandi; cum tamen praesentatur, et includitur huic epistolae series decretorum factorum Varsaviae propria manu Ill.mi D.ni Nuntii descriptorum, ubi nulla mentio fit Capituli Ordinis, sed tantum Synodi provincialis, quae debuit post natalem Domini Novogrodecii non Brestae, in metropoli Archiepiscopi Russiae peragi; unde tali fundamento innixum Breve non debuit expediri ab Ill.mo D.no Nuntio, idque cum magna celeritate, et ad tuendum positum. Constat enim ex propriae manus Ill.mi D.ni Nuntii, ut ita dicam, confessione, quod nulla sit mentio Capituli Basiliani insimul cum Synodo provinciali; potuit ergo, et debuit de more, et iure suo Archiepiscopus Russiae convocare Capitulum Minscii 25 Julii, elabente tunc officio Generalatus Basiliani.

2-o. In Brevi illo Sanctissimi Domini Nostri narratur, necessarium fuisse interventionem, et praesentiam DD. Episcoporum Vladimiriensis, Chelmensis et Premisliensis; cum tamen hi multoties Capitulis Ordinis ob (f. 309v) sua negotia non interfuerint, modo vero D. Episcopus Vladimiriensis<sup>170</sup> misit suum delegatum R. D. Martianum Kulczischi, theologum, qui loco illius responderet; alii vero duo DD. Episcopi Chelmensis, et Premisliensis epistolas excusatorias ad consessum Minscensem scripserunt, nimirum ipsos non posse venire uti implicatos negotiis importantissimis Ecclesiarum.

3-o. Imponitur Archiepiscopo Russiae, quod cum paucis monachis, a se dependentibus, celebraverit Capitulum, cum non adfuerint tantum aliquot monasteria quatuor, vel quinque a Patre Stephano et Patre Georgeo Maleievski obtentu ulterius regnandi, et redditus percipiendi variis persuasionibus, comminationibus turbata, et distracta.

<sup>169</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 651, nr. 612.

<sup>170</sup> Leo Szlubic-Zalenskyj, Episcopus Volodimiriensis (1679-1708) dein Successor Cypriani in Metropolia Kioviensi (1694-1708).

Coeterum omnia monasteria Basiliana, in magna licet distantia locorum Albae Russiae, et Voliniae existentia comparuere Minscii, nec dicatur quod Archiepiscopus celebraverit cum monachis dependentibus a se Capitulum, cum a Clemente VIII usque in hanc diem omnes monachi sint, et fuerint dependentes a suo Metropolitano iuxta iura Orientis, et concessionem eiusdem Sanctissimi Clementis VIII, uti videre est in libro R. P. D. Thomae a Jesu, *Discalceati*, cui titulus: *Thesaurus Sapientiae Domini in gentium omnium salute procuranda*,<sup>171</sup> incipiendo a pagina 327 inclusive ad paginam 334.

4-o. Nec hoc potest subsistere quod in Brevi asseritur: Patrem Generalem, et Consultores longe tunc abfuisse a loco Capituli Minscensis (f. 310), cum tantum distabant Zyroviciis, manendo triginta leucis, quae triginta diebus tempore aestivo conficerentur. Aliorum vero monasteriorum delegati, non obstante distantia duarum septimanarum susceperunt, et perfecerunt iter cum notabili dispendio pauperum monasteriorum, quod ipsum fuit derisione, et cachinnis a Patre Generale, et Consultoribus exceptum.

5-o. Dicit Breve, in Capitulo Minscense multos quasi irrationabiliter laesos fuisse quin potius Rev. mus D. Episcopus Pinscensis magnae familiae fuit enormiter diffamatus, laesus, eiusque honor, et natales conculcati a Patre Simeone Cyprianoviz<sup>172</sup> Consultore Ordinis, cui Pater Generalis et P. Georgius subministrarunt poecunias, ut omni timore Dei posposito verbis probrosissimis primo Archiepiscopum Russiae, postea ipsum D. Episcopum Pinscensem<sup>173</sup> affecisset, ut in facie congregatorum Patrum affecit et protrusionem D. Episcopi attentavit, qui importunum hominem a se reiecit. Sed dato casu, etiamsi ad concussionem deveniretur (quod non fuit) ingens dolor honoris enormiter in natalibus laesi in illis motibus primo primis excusaret. Nullus praeterea ex monachis fuit laesus, aut dishonoratus, cum per octo, et amplius dies magnis sumptibus Archiepiscopi Russiae in palatio Ill. mi D. Palatini Vilmensis, Magni Ducis exercituum Lituaniae, fuerint ad opulentiam cum eodem P. Simeone consultore tractati. Idem fecit in sua residentia D. Episcopus Pinscensis, amore, non terrore certo et lassis tanto itinere pauperibus religiosis compatiendo.

Sexto, imponitur quoque Archiepiscopo in illo Brevi, quod redditus, et facultates P. Generalis, et aliorum monasteriorum, in suos usus converterit, cum dictus Pater Generalis redditus suos, seu provisionem currentem e monasterio Beresvecensi per quatuor annos elapsos (f. 310v) receperit, et fructificaverit. Quod autem hoc anno 1684 ex granis et billicis collectum est, id manet in integro sequestratum pro Successore praefati P. Generalis, vel bono Religionis, uti videbitur Archiepiscopo, cui subiacet dictum monasterium Beresvecense ex vi erectionis, et mente testatoris D. Josephi Korsak, Palatini Mscislaviensis. Quia tamen mandata primi Principis orbis, Sanctissimi Domini mei, quaecumque illa sint, cum omni reverentia debent excipi, ego quoque illa excepi, ac me munere Generalatus ad quadriennium tantum capitulariter electus exui. Consultores eosdem Ordinis, qui primi erant (dummodo corrigantur et utiles sint S. R. E., quia hactenus nunquam se laboribus apostolicis, et conversioni animarum applicarunt nec applicant, sed luxui et continuis computatio-

<sup>171</sup> Opus editum Antverpiis an. 1613.

<sup>172</sup> Consultor Ordinis Basiliani et Superior monasterii Zyrovicensis.

<sup>173</sup> Martianus Bilozor (1666-1697).



nibus inherent) agnovi. Capitulum novum pro XIX Martii anni praesentis indixi, congruum tempus septem septimanarum adunationi Patrum Ordinis, et DD. Episcoporum si volent adesse, praefigendo. Atque iam nullitate Brevis per sinistram informationem, non audito Archiepiscopo Russiae, obtenti, sat evidenter deducta, supplicandum mihi manet S. Congregationi et Eminentiae Vestrae, ut inf uturum me affligi talibus cum celeritate factis derisionibus non permittat. Vix enim dici potest quomodo ab his quatuor monachis inquietis, et foederatis fuerim diffamationi, derisioni Schismaticorum expositus, per obtentionem talis Brevis; vel saxum rumpetur ad haec contenta Brevis, ubi censuris, suspensionibus, executionibus personae Archiepiscopi illius aggravatur, qui sanguine, vita, fortunis defendit S. Sedem Apostolicam, qui tot sermones habitos coram Serenissimis Regibus, Republica, in variis civitatibus, typo edidit<sup>174</sup> in laudem, et defensionem Unionis Sanctae. Qui supremum Sanctissimi Domini Nostri primatum erutis (f. 311) singularibus, et validis argumentis e libris schismaticis probavit in suo libro typis mandato, et Serenissimo Domino et Regi suo moderno Joanni III dedicato,<sup>175</sup> qui suis temporibus effecit, ut unus tantum in Russia esset Metropoli, et schismaticus aboleretur. Qui multas Ecclesias Schismaticorum cum Parochis, et animabus S. R. Ecclesiae aggregavit. Erectiones novas monasteriorum pro Basilianis curavit. Bona optima a Republica pro iisdem impetravit, ac propriis, et magnis redemit sumptibus, a Schismaticis pericula vitae, et sanitatis, uti in vindicatione Archimandriae Leszczynensis, in Comitibus non semel, in ponte novissime Polocensi per astum illorum subruunt. Ecclesiam Cathedralis Vilensem a quadraginta annis in ruderibus iacentem ad stuporem civitatis Vilenensis exbursatis triginta duobus millibus restauravit, et dotare illam, perpetuis hiis temporibus introducendo Basilianos intendit. Et dum haec scribo suffundor rubore quod cum proprii oris laude sat importune prorumpam, ideo tantum facio, quia video per aliquot istos monachos excutientes iurisdictionem meam, et novitatum in Ritu Orientali amatores, et introductores conculcatum honorem meum, et famam, quam habui hactenus intactam apud S. Sedem, et Eminentiam Vestram.

O Deus bone! quatuor tantum anni Generalatus Archiepiscopo Russiae a Religione concessi tam magnae afflictionis, et meae indignae personae plenum diffamationis impetrare valuerunt Breve: potius privetur Metropoli, quam anathema sim per S. R. Ecclesiam matrem omnibus saeculis, non novercam, praecipue laborantium egregie in vinea eius. Conclusam quidem Varsaviae coram Ill.mo D.no Nuntio Synodum provinciam Novogrodecum convocavi, intimavi, publicari per omnes Dioeceses curavi; sed tres Domini Episcopi, Vladimiriensis, Chelmensis, (f. 311v) et Premisliensis in aliud tempus reici petierunt, ob ardua quae dixerunt se habere negotia. Sed mihi in magnis voluisse sat est. In pace enim, et summa malacia sunt omnia. Schisma non ita trux, et ferox tantisper ut nectamus moram in hac Synodo differenda, ne nova statuta, etiamsi optima non apto tempore proposita commoveant populum. Audiam Eminentiam Vestram quod me iubebit facere in hac materia. Interim cordi sit Eminentiae Vestrae, Domino meo, meus honor, et iurisdictione ab aliquot istis PP. recurrentibus laesa. Mea vero obsequia aeternum volo esse mancipata Sacrae Congrega-

<sup>174</sup> Variis vicibus typis vulgabat orationes suas, ante ascensum ad dignitatem metropolitanam, et tempore eius Metropolitae. Ultima vice orationem habuit in Comitibus Regni Poloniae, Grodnae, quam typis vulgavit Vilnae, eodem anno 1693.

<sup>175</sup> Fortasse agitur de s. d. *Colloquio Lublinensi*, edito in civitate Zamostiana an. 1680.

tioni de Propaganda Fide, et Eminentiae Vestrae cuius sacrae purpurae devotissimum figo osculum maneoque

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae  
humillimus, devotissimus, obligatissimus servus  
CIPRIANUS ZOCHOVSKI  
Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Zyroviciis, 28 Februarii 1684.

## 57.

*Novogrodek, 24 . III . 1684.*

*Pro confirmatione Actorum novi Capituli Nonvogradecensis.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 101rv.

Sanctissime, ac Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Supremam Pastoralem, eamque sollicitam erga Religionem hanc Basilianam Rutheno Unitam, semper Sanctitati Vestrae obedientissimam, ex Brevi Sanctitatis Vestrae annullatorio Capituli Minscensis intelleximus, et genuflexi, ac venerabundi pedum Sanctitatis Vestrae, una cum Ill.mo Domino Nostro Archiepiscopo ab aevo huius Unionis conditae praeclaro Pastore, Schismatis Eversore, Religionis Basilianae Promotore, paruius praefato Brevi tanquam Domino corporum et animarum nostrarum, hoc est Sanctitati Vestrae, Domino Nostro Clementissimo; solum dolorem devotissimi Filii Sanctitatis Vestrae in hoc experientes, quod non auditi sensimus aliqualem ictum, sed quia a manu beneficentissima Sanctitatis Vestrae inflictum, ea de causa nobis semper fuisse gratissimum. Actum Capituli moderni Novogrodensis<sup>176</sup> confirmari oraculo Sanctitatis Vestrae dum humillime supplicamus, eius Paternam ac Divinissimam quae in Orbe est benedictionem, una cum Religione (toties per aliquot inquietos Monachos afflicta, et dilationibus cavillatoriiis vix non ad extremum exhausta) et Unione Sancta impensissimis efflagitamus precibus, manentes, quoad vitae nostrae tempora, Sanctitatis Vestrae Domini Domini nostri Clementissimi

humillimi, devotissimi et obligatissimi servi  
et filii ad pedes

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocen.

Ord. S. Basilii M. Protoarchimandr. etc.

MARCIANUS BIALOZOR, Episcopus Pinscensis (mpr).

BENEDICTUS MICHNIEWICZ, Archimandrita Trocensis.

STEPHANUS SZLUZYNSKI, Archimandrita Braslav.

PETRUS KAMIENSKI, Ord. S. Basilii Magni, Episcopatus Premislien.

Ritus Graeci Unitorum Vic. ac Offic. Generalis, Eccl. Jarosl.  
Admin.

(f. 101v) JOANNES KONEMENSKI, Ord. D. Basilii Magni Consultor,  
Offic. Metropolitae Kiovien.

---

<sup>176</sup> Capitulum a Metropolita Novogrodeci convocatum, sed postea nullum declaratum a Sede Apostolica, propter inobservantiam dispositionum Brevis de dat. 30. X. 1683.

- BARSONOPHIUS KOBYLNICKI, Ord. D. B. M. Consultor, Superior Novogrod.
- SIMEON KIRIATT, O. S. B. M. Consultor, Conc. Vilnen.
- P. MARTIANUS KULCZYCKI, Ord. D. B. M., Superior Vilnensis Monasterii.
- Pr. IOSEPHUS BABINSKI, Officialis Archp. Polocensis, Ord. Divi Basil., Superior Polocensis.
- P. BARTHOLOMEUS MINIEWSKI, O. S. B. M., Hegumenus Crucis S., Vicarius Generalis Monasteriorum Volynensium, Offic. Luceor., et Ostrogiensis Ill.mi Domini JACOBI SUSZA, Episcopi Chelmensis.
- GEDEON SZUMLANSKI, O. S. B. M., Nominatus Archimandrita Minscensis (mp).
- ANSELMUS CZYZ, O. D. B. M., Procurator Generalis Causarum, Super. M. Bresten.
- INNOCENTIUS BORYSOWICZ, Ord. D. Basillii Magni, Sup. Voloc.
- JOSEPHUS SALCZEWICZ, Superior Cz. Ord. D. B. M.
- CONSTANTINUS KASZCZYC, O. D. B. M., Vicarius Polocensis.
- ISIDORUS COZAREVICZ, Ord. S. B. M., Vicarius Dubnensis.
- INNOCENTIUS RADOSZYNSKI, Ord. S. B. M., Deleg. Monast. Derman.
- TEOPHANES SZOLUCHA, O. S. B. M., Delegatus Monast. Dubnen.
- DAMIANUS ROTNICKI, O. S. B. M., Delegatus Mon. Lesczynen.
- ISAIAS WELIKONTY, Ord. D. B. M., Archidiaconus Metropolitanus, Delegat. Mon. Berezv.
- DANIEL KORYTYNSKI, Ord. D. Basillii M., Delegatus Mon. Vitebscen. et Conc. Metropolit.
- JOSEPHUS PASZOWSKI, Ord. D. B. M., Vicarius Kassutensis.
- EUSTACHIUS WIENCZEK, O. S. Basillii M., Secretarius, Delegatus Minscen.
- Novogrodeci, 24 Martii Anno 1684.

## 58.

*Novogrodek, 24 . III . 1684.*

*De confirmatione Capituli generalis Novogrodecensis, a Metropolita convocati.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 155rv.

Eminentissimi et Revd.mi Principes, Domini, et Patroni Colendissimi.

Accepto Brevi<sup>177</sup> Sanctissimi Domini Nostri super annullatione Capituli Minscensis, non audito licet Ill.mo nostro Archiepiscopo et Congregatione totius Ordinis Minscensi emanati, filiali obedientia Paternam Virgam, quae potius erat ictus amantis non vulnera exterminantis, sumus exosculati, ac per intimationem Ill.mi D.ni Metropolitanus, praemissis et servatis omnibus servandis, magno et pleno numero totius

<sup>177</sup> De dat. 30. X. 1683. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 651, nr. 612.

Religionis et Monasteriorum longe dissitorum convenimus, et Novogrodecj<sup>178</sup> comparuimus, uti series Actorum, quae praesentabitur Eminentissimis Vestris ab Eminentissimo Domino et Protectore nostro Russiae abunde informabit. Persistimus in hoc quod tota Religio sua habens latifundia in sola Dioecesi Ill.mi Domini Metropolitanani, ab eius iurisdictione et dependentia non recedet, nec Eminentissimae Vestrae sinant nos a nostro avelli Patre propter aliquot inquietos per suam audaciam et temeritatem recurrentes contra suum bonum Pastorem, quasi nomine totius Religionis, cum ipsi prodierint ex nobis, et non habent ullum mandatum Procurae a tota Religione. Considerari proinde, examinari, et confirmari Actum Congregationis nostrae Novogrodecensis Eminentissimis Vestris quam demississime supplicamus, Sacrasque Purpuras eorundem devotissimis veneramur osculis et ne afflictos nos toties iam congregatos sinant amplius exinaniri cum lacrymis et praegnantissime rogamus; manentes semper Eminentissimarum et Rev.marum Dominationum Vestrarum

humillimi, devotissimi et obligatissimi Servi

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, Ord. S. B. M. Protoarchimandrita.

MARTIANUS BIALOZOR, Episcopus Pinscen. (mpr.)

BENEDICTUS MICHNIEWICZ, Archimandrita Trocensis.

STEPHANUS SZLUZYNSKI, Archimandrita Braslaviensis.

PETRUS KAMIENSKI, Ord. S. B. M., Episcopatus Praem. Unitorum Vic. et Offic. Generalis Auditor.

(f. 155v) JOANNES KONEMENSKI, Ord. S. B. M. Consultor, Offic. totius Metropoliae

BARSONOPHIUS KOBYLNICKI, Ord. S. B. M. Consultor, Superior Novogr.

SYMEON KIRIATT, OSBM., Consultor, Conc. Vilnen.

P. MARTIANUS KOLCZYCKI, Ord. D. B. M., Superior Monast. Vilnen.

Pr. JOSEPHUS BABINSKI, Officialis Archiep. Polocensis, Ord. D. B. M., Superior Polocensis (mpr).

P. BARTHOLOMEUS MINIEWSKI, Ord. D. B. M., Hegumenus Crucis Sanctae, Vicarius Generalis Monast. Volynen., Offic., Luceorien. et Ostrogiensis Ill.mi D.ni Jacobi Susza, Episcopi Chelmensis.

GEDEON SZUMLANSKI, Nominatus Archimandriae Minscensis O. S. B. M.

ANSELMUS CZYZ, O. D. B. M., Procurator Generalis Superiorque Mon. Berest.

JOSEPHUS SALCZEWICZ, Or. S. B. M. Superior.

INNOCENTIUS BORYSOVICZ, O.D.B. Magni, Superior Volsiensis.

JOSEPHUS PASZOWSKI, Or. D. B. M., Vicar. Cassut.

CONSTANTINUS KASZCZYC, ODBM., Vicarius Monast. Polocen.

ISIDORUS COZAREWICZ, Ord. D. Bas. Magni, Vicarius Dubnensis.

MARTINUS SZTRASZKIEWICZ, Ord. D. B. Magni, Delegatus Monast. Polocen.

INNOCENTIUS RADOSZYNSKI, ODBM. Deleg. Monast. Derman.

TEOPHANES SZOLUCHA, O. S. B. M., Delegatus Monasterii Dubnen. S. Crucis.

<sup>178</sup> Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 17.

DANIEL KORYTYNSKI, Ord. S. Basilii M., Delegatus Monasterii Vitebscen. Conc. Metrop.

DAMIANUS ROTNICKY, O. S. B. M., Delegatus Leszczynen.

ISAIAS WELIKONTY. Ord. D. B. Magni, Archidiaconus Metropolit., Delegatus Beresv.

EUSTACHIUS WIENCZEK, Ordinis S. Basilii M., Secretarius, Delegatus Minscensis.

## 59.

*Mense Martio-Aprili 1684.*

*Instantia Procuratorum Metropolitae pro conservatione suorum iurium et iurisdictionis in monachos.*

BIBL. CASANATENSE, ROMA, Mss. Cas., vol. 301, fol. 317rv.

Eminentissimi et Reverendissimi Signori.

Per parte del Rev.mo Mons. Cipriano Zochovschi, Arcivescovo di Polocia, e Metropolita unito di tutta la Russia, con ogni riverenza, e caldezza si supplica, che non permettano 1<sup>o</sup> EE. VV. innovarsi cosa veruna, che in tutto, o in parte pregiudichi alli suoi ius, e privilegii concessigli da questa Santa Sede, e dalla Corona, e Repubblica di Polonia; e se alcuno facesse istanza per l'ottentione di qualche novità al suo ufficio, o al rito, e consuetudini della Russia in qualche maniera pregiudiziale, dargliene parte, et udire le sue ragioni, come ogni buona legge concede.

Grande è stata la mortificazione dell'Oratore per il Breve annullatorio del Capitolo Minscense spedito contro di lui da questa S. Congregazione li 30 Ottobre dell'anno trascorso 83:<sup>179</sup> si per non esser egli stato prima sentito, si anco per esser fondato detto Breve in sinistre informazioni, li quali quanta poca sussistenza habbiano si può vedere dalla lettera del medesimo Oratore scritta li 28 Febraro dell'anno corrente 1684. Non par conveniente, che il primo ministro, che ha la Santa Chiesa nella Russia sia posto in deriso da Schismatici et anco da Cattolici per la poca stima, che di esso vedessero farsi da essa, tanto più che sarebbe un dar campo a mille (f. 317v) disturbi, quali per acquietarsi vi vorrebbe poi gran tempo, e fatica. Ha già l'Oratore bastantemente mostrato il ius, che ha sopra li monaci Basiliiani della Russia, le ragioni di ritenersi le Abbazie, che de fatto possiede, e li argomenti per conoscersi che egli non è altrimenti oppressore di detti monaci, e distrugitore de loro ministeri, ma più presto insigne benefattore, e Padre amorevole. E perche communemente da i professori del rito greco e molto abborrita ogni novità, che tocchi o il rito, o il ius, o le antiche consuetudini loro, però l'Oratore supplica l'EE. VV. per quanto gli è cara la quiete, e profitto di quei popoli, si degnino lasciar le cose nel loro stato senza alterazione, e solo provvedere contro i difettosi, e colpevoli; a che fare sarebbe necessaria una Commissione in Russia di persone idonee per esaminarsi meglio hinc inde le attioni di ciascheduno, e discernersi la luce dalle tenebre. Il che spera dalla somma prudenza, e zelo dell'EE. VV. Quas Deus...

(f. 318v) Alla S. Congregazione de Propaganda Fide  
per

l'Arcivescovo Metropolita di tutta la Russia.

<sup>179</sup> Cfr. notam 177.

## 60.

Novogrodek, 2 . V . 1684.

*Commendatur protectioni Cardinalis Barberini in lite cum Ordine Basilianorum de-  
cidenda.*

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6647, fol. 115rv.

Eminentissime et Reverendissime Principes, ac Domine, Domine, Patrone et  
Protector Regni Poloniae Colendissime.<sup>180</sup>

Significaveram antedanea posta Eminentiae Vestrae, Domino meo, expeditam  
fuisse epistolam apud Sac. Regiam, Domini mei invictissimi, Maiestatem, directam  
ad Suam Beatitudinem, Dominum meum Clementissimum; illam ego non accludo,  
sed Eminentiae Vestrae, de mandato Sac. Regiae Maiestatis, uti protectori huius inclyti  
Regni, promovendam, eiusque introcontenta cordi Sanctitatis Suae inserenda, et com-  
mendanda, instantissimis precibus rogo. Petitur innocentia mea ab aliquot inquietis  
et discolis monachis, prout abunde Eminentiam Vestram Sac. Regiae Maiestatis epi-  
stola, et procuratores mei, ad quos hic inclusae diriguntur epistolae, informabunt.  
Proinde meas Eminentiae Vestrae interpono quam humillimas supplicationes, ut mihi  
iusta petenti non denegetur gratia Sanctissimi Domini nostri, et monachi discoli iuxta  
mea, meorumque Antecessorum practicata iura, ad debitam suo Metropolitano, et iam  
bis electo per totam Religionem Proto-Archimandritae,<sup>181</sup> remittantur et reducantur  
dependentiam. Sacram interim purpuram Eminentiae Vestrae (f, 115v) reverentissimis  
basians oculis, eius me gratiae totamque Religionem meam Basilianam, ad cuius  
clavum amore, non coactione constitutus sum, commendo, maneoque

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servitor e Schiavo

✠ CYPRIANUS ZOCHOWSKI,

Archiepiscopus Metropolitanus totius  
Russiae et Polocensis (m. p.)

Supplico Eminentiae Vestrae has reddi epistolas, et me sua praepotenti ac in-  
clyta fovere defensione.

Novogrodeci, 2-da Maii 1684.

## 61.

Ruta, 22 . V . 1684.

*Ad Procuratorem generalem in Urbe de confirmatione Actorum Capituli Novogrode-  
censis.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 214rv.

<sup>180</sup> Videtur, agi de Carolo Barberini, hoc anno unico Card. ex familia Barberiniana.

<sup>181</sup> In Anticapitulis Minscensi an. 1683, et Novogrodecensi an. 1684.

Parte d'una lettera, scritta da Monsignor Ill.mo Metropolita della Russia al Padre D. Giuseppe de Camillis, Procurator Generale de' Ruteni.  
Da Ruta li 22 Maggio 1684.

Il Capitolo è fatto a i 19 di Marzo, et è finito per gratia di Dio con ogni pace. Subito lo mandai à Roma con sottoscrizioni della Religione congregata. Appresso di noi, dopo questo Capitolo, è una gran tranquillità; solamente questi pochi tre, o quattro non vogliono acquietarsi, stimando, che il P. Giorgio farà qualche cosa per parte di loro. Ma se ancora facesse, sappia V. Paternità per certo, che tutta la Religione non vuole accettar altre cose, se non quelle, che hanno determinato nel Capitolo di Minsco e Novogrodeco. Informi dunque Vostra Paternità tutti li Signori Cardinali, che ogni cosa vada pacificamente. Il che vedendo Monsignor Nuntio tanto si aquietò, che mai mi scrive una parola di questo negotio, cominciando vedere la verità, e mia innocenza. Però noi viviamo insieme benissimo col Monsignor Nuntio, et habbiamo spessa corrispondenza; et quante volte scrive Monsignor Nuntio, sempre scrive con ogni humanità, et amicitia. Non creda dunque quello, che scrive il P. Giorgio Maleschi, perchè essendo male, non può dir bene, se non mille finzioni al suo solito. La lettera di Sua Maestà, nostro gloriosissimo Re di Polonia, ho mandato alle mani del Signor Cardinale Protettore di Polonia. Ho incluse altre due lettere, una à V. Paternità, et l'altra al Signor De' Rossi. Ho scritto al Signor Cardinale Barberini informandolo, e pregando, che non faccia niente prima d'aver bona instruzione da V. Paternità, come Procurator Generale della Russia. Stimo, che questa lettera del Re nostro gloriosissimo farà assai; e se sarà di bisogno (f. 214v) mandar altre lettere avrà quante ne vorrà, perchè questo nostro Re è puntualissimo, et gran difensore della mia innocenza. Trà tanto V. Paternità molto Reverenda stia ferma, perchè ne da parte mia, ne da parte di Sua Maestà mancherà niente, e per questo stiino tutti i Signori Cardinali attenti, e guardino bene il mio Jus, et il Jus del nostro Re; guardino ancora bene le Bolle, e procurino, che non seguino fracassi, e gran disconvenienze, perchè certissimamente il Re difenderà il suo Jus, e non vuole, che s'ii minima mutatione, ma in tutti li punti osservino le cose all'antica.

## 62.

Ruta, 5 . VI . 1684.

*Cardinali Barberino, Protectori, exponit suas difficultates cum Ordine Basilianorum gravitatemque casus exemptionis pro Unione explicat.*

BIBL. APOST. VAT., Barb. lat., vol. 6647, fol. 116-117v.

Eminentissime ac Reverendissime Princeps ac Domine, Domine, Patrone et Protector Regni Colendissime.

Ad tuitionem meae innocentiae, meorumque iurium, proposita mihi via est, eaque securissima, per Sacram Regiam Maiestatem, Dominum meum Clementissimum, ad Eminentiam Vestram, Dominum meum, cuius ut serenum vultum, atque cor supplicationibus meis bene inclinatum possim conciliare, hasce litteras Suae Maiestatis, cum meis submississimis obsequiis, Eminentiae Vestrae promovendas praesento. Sat abunde intellexit Eminentia Vestra mentem Suae Maiestatis, quam praemisi, et hactenus pervenisse credo. In hoc cardine res meae, addita protectione Eminentiae Vestrae, vertuntur, ut ego non privor meis iuribus, a Sancta Sede Apostolica, et Serenissimis Regibus, usque ad modernum feliciter, ac gloriosissime, cum gaudio totius christia-

nitatis regnantem, indultis, et concessis. Pater enim Georgius,<sup>182</sup> ut subterfugeret turpes suos discolismos, aliasque irreligiositates, sine ullo mandato procurae a tota Religione (quae stat mecum, et me ad clavum sui iam bis libere constituit) habito, excutiendo dependentiam, meamque evacuando auctoritatem, nunquam auditam in Russia exemptionem Ordinis Basiliani a mea iurisdictione frustra tentat et molitur impetrare. Hoc enim tam magnum postulatum non modo (f.116v) impediet totaliter Russiae Schismaticorum (a quorum Episcopis perpetuo dependebant, et dependent monasteria Basiliana, in Dioecesibus eorum sita, et quidem longe maiori numero, quam in mea Dioecesi) conversionem, sed indurabit in suis erroribus, utpote tenacissimos suorum rituum et iurisdictionum, osioresque novitatum. Vox enim Orientis semper constantissima fuit; maluissem unam antiquitatem, quam mille novitates. Credat mihi Eminentia Vestra, quod vel minima novitas in hoc Ritu faciet damnosissimam mutationem in Russia. Cesset ergo Pater Georgius, cum paucis inquietis monachis, illudere oculis Eminentiarum Vestrarum, qui sunt totius orbis oculi; quin potius redeat ad dependentiam, et poenitentiam. Scit enim Sancta Sedes, novit et tota Russia, me per decem et amplius annos non tyrannicum, sed pacificum, cum lucro et conversione schismaticorum Episcoporum, Abbatum, Parochorum, Ecclesiarum et animarum numerosissimarum (suffundor rubore dum haec scribo, satius post fata talia pateant) duxisse regimen pastorale. Persisto enim in hac supplicatione, et informatione mea, quod Russia accesserit ad Unionem Sanctam sub Clemente VIII-o, et inter alia impetraverit dependentiam monasteriorum Basilianorum (f. 117) iuxta iura Orientis ab Archiepiscopo, et Episcopis Russiae; iubeat Eminentia Vestra porrigi sibi librum R. Patris Tomae a Jesu, Carmelitani Discalceati, cui titulus: Thesaurus sapientiae divinae in gentium omnium salute procuranda;<sup>183</sup> ibi dignabitur Eminentia Vestra iubebitque prolegi sibi, incipiendo a pagina 327-a usque ad paginam 332-am inclusive. Quorum omnium apud me extant originalia, nec talis vir sublimer doctus, Pater Thomas a Jesu, ausus fuisset talia libro suo inserere, quae alias non fuerunt tractata coram Sanctissimo Clemente. Contra haec agere, vel dicere, aut innovare est periculosissimum in Russia, permixta schismate: cuius res ita meis laboribus composui, ut alius praeter me non extet Metropolita, cum semper alias aemulus Pseudo-Metropolita Kioviensis daretur. Modo vero auditis istis novitatibus, propositis a Patre Georgio, de novo in Russia creando meditabuntur Pseudo-Metropolita. Si audierit, praecipue ad instantiam aliquot inquietorum monachorum, concessam fuisse a Sancta Sede Apostolica exemptionem Ordinis Basiliani ad instar latinarum Religionum, a suo Archiepiscopo et Episcopis. In contrarium, si quid quomodocumque emanaverit, nunquam fuit practicum et acceptatum, nec in Russia, nec a Pastoribus Russiae. Vel hoc sufficiat a Sancta Romana Ecclesia praescriptum, firmiterque tenendum, quod ego cum tota Sancta Unione usque ad ultimum vitae spiritum in obedientia, dependentia, admissione appellationis, lato primae instantiae persistam decreto (f. 117v) ac meos vasallos et subditos persistere curabo. Cur ergo aliquot inquieti, et discoli, qui non sunt tota Religio, debent me affligere, et Sacrae Regiae Maiestatis, Domini mei invictissimi, ius patronatus, alias in sacris fundatum Conciliis violare? Ponat quaeso in bilance Eminentia Vestra, an Metropolitanus sit necessarius Sanctae Romanae Ecclesiae, an isti aliquot, rebelli spiritu pleni, recurrentes, qui in vita sua nullam ani-

<sup>182</sup> Georgius Malejevskyj, Consultor Ordinis, Abbas Czereiensis (1680), et dein Archiep. Smolencensis (an. 1690).

<sup>183</sup> Editum Antverpiis an. 1613.



mam, nullam Ecclesiam a schismate ad Unionem Sanctam reduxerunt. Imo, unus ex illis, Pater Stephanus, Exgeneralis Ordinis, de anno 1658 unam foeminam praesentavit Sanctissimo Alexandro VII-o, suavissimae et gloriosissimae recordationis, Eminentissimo Domino meo olim Cardinali Francisco Barberino,<sup>184</sup> fratri Eminentiae Vestrae, Excellentissimo Principi Pamphilio et Pamphiliae, habitu Abbatisae Basilianae vestitam, et quasi Martyrem pro Sancta Unione (cum ipsa in rerum natura nunquam fuerit Monialis Ordinis nostri) acceptisque Romae indulgentiis, reliquiis insignibus, donis, pecuniis perrexit cum illa uti confessarius, spoliavitque memoratam foeminam, Theresa Herburtowna dictam, in Silesia, prope Cracoviam. Quid pro talibus mereretur, pons Sancti Angeli loquatur Romae. Meum vero debitum est, cum aeterna gratitudine Eminentiam Vestram ardentissime rogare, ut Patrem, Dominumque meum gerat, et Sacrae Regiae Maiestatis ius patronatus, meamque iurisdictionem, et generalatum supra Religionem hanc, sancito Sanctitatis Suae, et voto Sacrae Congregationis firmet. Legique hanc epistolam coram Sacra Congregatione curare dignetur, meque pro obligatissimo et gratissimo apud eandem Eminentiam Vestram censeat, cuius sacrae purpurae devotissimo impresso osculo, me totum quantum gratiae Eminentiae Vestrae commendo maneoque quoad vivo

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servitor e Schiavo

✠ CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis (m. p.)

Rutae, 5 Junii 1684.

### 63.

*Torokanie, 21 . VII . 1684.*

*Commentarius Metropolitanae ad quamdam epistolam Nuntii Apostolici.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 231.

Adiungo huic Epistolae meam reflexionem et Sacrae Congr. informationem.

Ista epistola redita mihi est cum Brevi Apostolico<sup>185</sup> diebus primis Januarii, quomodo in Januario potuit convocari Capitulum? convocatum ergo est pro 19 Martii, et hieme; apud nos enim hiems durat etiam per Aprilim, et hoc anno usque admodum Maii duravit, tale clima est, et cavillatio mera, ac frivola est quod diebus . . . . hiems in Lithuania, unusquisque practicus Romae existens dicet, quod diebus Martii fera hyems sit in Magno D. Lith. et praecipue Novogrodeci hoc anno fuit et tempus Capitulo praefixum fuit optimum, sat longum, et commodum et congruum veniendi et congregandi omnibus. Sed etiamsi et hoc postremum Capitulum Novogrodense ad ruinam extremam Religionis Basilianae annulletur<sup>186</sup> per Sac. Congregationem (quod non speraret, stantibus epistolis iam missis Romam Serenissimi et Invictissimi

<sup>184</sup> Franciscus Barberini, nepos Urbani PP. VIII, promotus Cardinalis an. 1623 (2. X); ab anno 1666 Decanus S. Collegii. Obiit die 10. XII. 1679. Cfr. *Hieraechia catholica medii et recentioris aevi*, vol. IV, pag. 18-19.

<sup>185</sup> De dat. 30. X. 1683, annullatorio Capituli Minscensis an. 1683.

<sup>186</sup> Revera fuit annullatum et novum indictum, quod locum habuit diebus 1-10. VIII. 1686, Novogrodeci.

Domini Nostri Regis Poloniae), et aliud convocetur . . . erit et decernetur quod iam in Capitulo Minscen. et Novogroden. decretum est. Religio enim extreme odit istos discolos aliquot et non vult ab illis gubernari. Ita subscribo et iurata fide ac verbo assero.

CYPRIANUS, Archiepiscopus t. Russiae

Datum Torocanis, 21 Mensis Julii 1684.

64.

*Ruta, 16 . XI . 1684.*

*Responsa Metropolitanii Kioviensis ad obiecta sibi ex parte Ordinis Basilianorum nec non iustificatio actorum et Capitulorum a se congregatorum.*

APF, *Scr. rif.n. Congress: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 236-239.

Ad ea, quae missa sunt ab Illustrissimo Domino Nuntio,  
sub litteris A. B. C. D. E. F. respondet Metropolitanus.<sup>187</sup>

Quidem ad litteram A, ubi Decretum Sacrae Congregationis recensetur,<sup>188</sup> et fit mentio, facultatem concessit Capitula Generalia congregandi. — R. Aliud est dicere Capitula Generalia congregandi, aliud per Monachum Religiosum Generalem quadriennale, non advitalitium, eadem Capitula convocandi. Ut nimirum ad vocem eius Metropolitanus, Episcopi, Archimandritae advitalitii veniantur, quod neque unquam practicatum est, nec decet, nec veniret Metropolitanus ad Capitula, nec Episcopi, nec Archimandritae advitalitii; ecce evidens dismembratio! Non enim est discipulus supra Magistrum. Mortuo Antonio Metropolita<sup>189</sup> magnas discordias fecit in Religione, et Unione per annos 14 Dominus Episcopus Chelmensis in tantum,<sup>190</sup> ut adunatis paucis Monachis faceret se Generalem. Pariter meus Antecessor, Dominus Colenda, in alio loco adunatis Religiosis fecit se Generalem (vacante tunc Metropolia).<sup>191</sup> Tandem Brevi Alexandrino<sup>192</sup> ambo Capitula annullata, et tamen postquam factus Dominus Colenda Metropolitanus, fuit Brestae<sup>193</sup> (tunc ob meram suam commoditatem, et viciniam loci a Varsavia, interfuit Capitulo Eminentissimus Dominus Cardinalis Pignatellus) reelectus in Proto Archimandritam advitalitium, diebus Martii, plenis

<sup>187</sup> Agitur de scriptura Zochovskij, qui tamen in hoc scripto in tertia quasi loquitur persona, ad demonstrandam maiorem impartialitatem.

<sup>188</sup> S. C. de Prop. Fide, de die 4. X. 1624.

<sup>189</sup> Antonius Sielava (1641-1655).

<sup>190</sup> Jacobus Susza, qui anno 1661 electus fuit ab una factione monachorum Protoarchimandrita Ordinis Basiliani. Cfr. hac de re opus M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum a Metropolita Josepho Velamin Ruisckij instauratorum*, Romae, 1949; IDEM, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 13-14.

<sup>191</sup> Suprasliense an. 1661, debus 2 sq. Februarii. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 13.

<sup>192</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. I, pag. 582, nr. 530, de dat. 30. V. 1665, et pag. 586, nr. 533, de dat. 4. VI. 1666.

<sup>193</sup> Berestense an. 1667, diebus 4-5 Martii, sub praesidentia Nuntii Apostolici, Antonii Pignatelli (1660-1667).

resolutione aquarum. In illo ergo turbido, et procelloso contentionum (et praecipue Sede Metropolitana vacante) tempore, quicumque volebat convocabat, nomina varia assumebant, modo Provinciales, modo Generales vocabantur. Cum autem sim 11 annis Metropolita, cur haec novitas per aliquot Monachos (non vero a tota Religione, mihi addictissima) debet excitari, et in dubium revocari? Intimationes Capitulum iam factae, practicatae more maiorum a moderno Metropolitano. Intimatio Capitulum facta per Metropolitam, et quidem in superabundanti ceremonia, nec deberet aliquot monachos offendere primi Capituli in Russia subscriptio, cum vere et sine intimatoriis ipse terminus quadriennalis dum labitur, monet ut congregantur omnes, monet illum, qui rexit ut cesset a regimine. Quid ergo obest quod Metropolitanus convocet fratres Episcopos, sibi pares, et consecratos Abbates advitalitios, et Hegumenos Monasteriorum? Hoc nihil aliud est, quam in scripto quaerere nodum.

2. Ad litteram B, quod dictum Decretum Sacrae Congregationis in usu non esse. Respondetur, vere in usu non esse quoad convocationem Capitulum a Monacho Generali quadriennali, quia ante Metropolitanum modernum nunquam extitit Generalis Ordinis, qui esset purus Monachus, electus ab aliquo Capitulo;<sup>194</sup> producant illud Capitulum. Statim enim Josephus Rutscius, Conditor Generalatus in persona Monachi alicuius, elegit ipse in Proto Archimandritam suum Coadiutorem, Archiepiscopum Haliciensem Raphaellem<sup>195</sup>, qui postea factus Metropolita, ad vitae suae tempora fuit Generalis Ordinis. Huic successit Antonius Metropolita, et hic per electionem celebratur advitalitius Proto Archimandrita, idem factum cum meo Antecessore.

Hoc tamen suaderem, et ipsa necessitas exigit, ut convocetur Capitulum Ordinis, licet exhausta sit istis tricus Religio, pro eligendo Vicario, seu Provinciali, qui sit brachium meum, et Religionis res penitus inspiciat, et notet Illustrissima Dominatio Vestra sub littera D, in Congregatione 1667, fit mentio Vicarii, hoc est Provincialis, et sic defero omnem honorem Matri meae Religioni, quod non solus (licet ad quadriennium) nec despotice regnem, sed assumo mihi illum in Vicarium, quem Capitulum per electionem dabit. Cui pariter consignabitur Monasterium Beresvecense, pro eius et Religionis necessitatibus, ac provisione. Ecce viscera mea aperui Ill. mae Dominationi Vestrae et sic non saturabor contemptu privationis reelectione legitima, et in Religionem idem commodum resultabit, quod resultabat sub meo Antecessore, quando Pater Pachomius<sup>196</sup> bis fuit quadriennalis electus Vicarius seu Provincialis Domini Colendae, Antecessoris mei. In illo ergo Capitulo componemus, si quae, et cum quibus componenda erunt. Quaeritur ab Ill. mae Dominatione Vestra, in quo fundem possessionem convocationis. An in Anno 1675to, an in Anno 1679no. - R. In utroque fundo; quantum enim ad Annum 1675,<sup>197</sup> docet ipsa Constitutio, sub littera C, quod Metropolitanus convocet, licet nunquam talis casus datus est, ut nimi-

<sup>194</sup> Cfr. de tota hac quaestione opus M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum...*, Romae 1949, et *De Protoarchimandrita Basilianorum eiusque Curia*, Romae 1958.

<sup>195</sup> Raphaël Korsak, qui inde ab anno 1626 erat Protoarchimandrita Ordinis Basiliani, etiamsi postea electus fuit Episcopus Haliciensis, Pinscensis, et demum Coadiutor Metropolitae Kiovensis cum futura successione. Etiam ut Metropolita Kiovensis hunc titulum retinuit usque ad suam mortem an. 1640. Cfr. *Epistolae Raphaëlis Korsak, Metropolitae Kiovensis catholici*, in vol. II *Epistolarum Metropolitanarum Kiovensium...*, Romae, 1956.

<sup>196</sup> Pachomius Ohilevycz electus fuit Vicarius generalis Metropolitae Gablielis Kolenda, anno 1667 et 1671.

<sup>197</sup> Capitulum Zyrovicense, diebus 12-16 Maii.

rum mortuo Proto Archimandrita, puro Monacho, deberet Metropolita intimare Capitula. Quia semper Metropolitanus convocabant et eligebantur in Protoarchimandritas advalitios. Fundo quoque meum ius Metropolitanum convocandi Capitula sine ullo consensu Consultorum aliorumque in Congregatione Anni 1679.<sup>198</sup> Nam Congregatio seu Actus Congregationis illius anni sic incipit:

« Nos Episcopi, quatenus titulo et munere Archimandritarum gaudentes fungentesque. Nos Proto Archimandrita, Archimandritae, Consultores, Hegumeni, Superiores, et Monasteriorum legati, Ordinis S. Basilij M., Congregationis SS.mae Trinitatis, ad Intimatorias Ill.mi et R.mi Domini Cipriani Zochowski, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia, Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae, expirante quadriennali Proto Archimandritae munere in persona R.ndi Patris Pachomii Ohylewicz, pro eligendo novo Proto Archimandrita, seu Generali Congregationis nostrae Zyroviciis legitime in Domino ad Capitulum Generale congregati ». Ubi hic mentio assensus Consultorum? et cur mihi hoc imponitur, quod non est actum, et, avertat Deus, si Pater Josephus, Secretarius,<sup>199</sup> in supplantationem mei apposuit assensum requiri Consultorum. Hoc per omnia nego fuisse. Nam ut verum fatear, ego defatigatus in illo Capitulo dedi blanchieta Patri Josepho, ut extenderet Acta Congregationis, cum meis, et Congregatorum subscriptionibus; si ergo ad tuendum positum ingrossavit illud, quod voluit author, sive illi aliquot Patres Consultores, deberet puniri pro hac infidelitate, et appositione dolosa.

Hoc autem quod superius ex Actis Congregationis 1679 transcripsi, est copia seu transumptum ex originali, quod debet esse penes Patrem Josephum, Secretarium Ordinis, et vereor ne Constitutiones Josephi Rutscii ad tuendum positum scateant appositionibus ad mentem Authoris. Quia nullus peritior ad hoc conficiendum, praeterquam Pater Josephus, Consultor, Archimandrita Polocensis, qui decepit Alexandrum VII, Cardinales, Principes, cum illa putatitia Monacha, dicta Herburtowna, et multas pecunias, reliquias collegit. Sed de hoc in Comitibus, Deo dante, coram Ill.ma Dominatione Vestra. Rogo interea hoc punctum celari coram ipso.

3. Quod non convocaverim Capitulum Brestae, quod videtur esse contra Breve.<sup>200</sup> R. In toto Brevis SS.mi Domini Nostri non reperitur hoc verbum: Brestae. Ideoque (f. 236v) ab hoc exoso, incommodo, et faetido Iudaeorum numerosissimorum loco, et praecipue quia in Dioecesi atlerius continetur, liber sum ego. Novogrodeci vero plures, et semper feliciter peractae Congregationes Ordinis. Est enim in centro distantiarum, etsi a 100 milliaribus venerunt pauperes Religiosi Novogrodecum, ex Alba Russia, et Volinia, poterunt venire ii, qui distant 10 milliaribus, hoc est Zyrovicienses, et Bythenienses 12, Dominus Episcopus Chelmensis 44, sed ille quasi nunquam venit, sitibus suis et causis distractus, et modo excusavit se, quod non potuerit adesse, saltem debuit misisse ex suis opimis Zydicinen et Dorohobusen. suos Delegatos, neutrum praestitit. Imo Synodum Provinciale, quam tantopere cupiebat, 11 Januarii annihilavit, quam noluit venire ob levissimam causam, quam perdidit, et perdet, me vero et totam Religionem, meos Ecclesiasticos magnis oneravit expensis, eo quod Minski semel, Novogrodeci bis interfuerint; primo pro Synodo Provinciali congregati, postea

<sup>198</sup> Capitulum Zyrovicense, diebus 25-31 Julii.

<sup>199</sup> Josephus Pietkevycz, Procurator in Urbe (1665-1669), dein varia obibat munera, ut Secretarii generalis, Superioris Byteniensis, et demum an. 1686-1690 Protoarchimandritae totius Ordinis.

<sup>200</sup> De dat. 30. X. 1683.

pro Congregatione iuxta Breve SS.mi, quod volebat hyeme proximo futuro celebrari, mihi autem diebus Januarii traditum pervenit ad manus Breve. Bene ergo fuit indictum pro 19 Martii, conscio Ill.mo Domino Nuntio, bene et commode celebratum Novogrodeci, non Brestae, quia locus sive hic sive ille non influit in consilia, seu decisiones, sed illi influunt, qui sunt Vocales, et habent ius interveniendi. Bene denique celebratum hyeme, quia secundum Almanacum hyems huius anni duravit usque ad 19 Martii, et hic in Lythuania, Deus bone, etiam in Aprili habuimus hyemem, et Patres peracto Capitulo redierunt ad Monasteria sua trahis, per rives et glacies crassas, non curibus. Et quis non videt quod isti aliquot evisceraverint Religionem, et atriverint illam peius Schismaticis, quia nunquam tales ruinas Unio a Schismaticis passa, quales ego, Unio S., et Religio tota, cum scandalo Schismaticorum Magni Ducatus Lith. dicentium: ecce quomodo Monachi aliquot excutiunt dependentiam a suo Pastore, ecce quomodo Thesaurus Zyrovicensis, vota Beatissimae Virginis impendantur pro lite contra Pastorem, et pro abdomine aliquot Monachorum, quos evexit, et promovit, exaltavit Metropolitanus. Proinde expilati, et ad miserias reducti Religiosi, iurarunt, se nunquam venturos pro novis et novis Capitulis. In quo potest SS.mus dispensare, et absolvere, sed requiritur viaticum, et alimenta pro Religiosis congregandis.

4. Quod non requiritur consensus Consultorum pro Convocatione Capituli cum tamen sub littera D. contrarium deducitur. — R. Ipsemet fui presens Congregationi Brestensi, et vocalis fui. Recordor optime, quod rogatus fuerit tantum Dominus Colenda, electus Proto Archimandria, ut in rebus arduis Religionis nil faciat sine Consilio; evidens est, quod hoc non sit lex et necessitas imposita Metropolitanis in Capitulo Ordinis de anno 1667. Rogent et me, faciam. Scio quoque quod stultorum sit sine consilio operari. Veniant Consultores, uti tenentur, bis ter in Anno ad me, et consulatur rebus arduis, quales sunt emptiones, donationes bonorum stabilium, alienationes, magnae alicuius summae dispositiones, et multa alia. Extraditio literarum Intimatoriarum pro Electione non est res ardua, nec Intimatoria faciunt Generalem, sed vox libera Congregatorum idque per pluralitatem votorum. Nec tunc fuit mentio, nec hic est, hoc loco, Convocationis Capitolorum. Etsi quidem Consilium non necessitat, nec est lex, suadet tantum, inclinatur, nec persuadet. Non est quod non teneatur in extradendis Intimatoriis pro Capitulo Metropolitanis consulere Consultores, licet ex sua humanitate et civilitate innata semper hoc faciet. Deinde fuisse iniquissima lex, si observaretur quoad illud. Praecipue quoad promotiones; cum per gratiam et Bullam gloriosae memoriae Clementis VIII penes solum Metropolitanum est Dataria, et licitum est illi quemcunque, dum modo dignum, promovere ad Episcopatus, et per Privilegium ac legem huius Reipublicae promotio ad Archimandrias, Hegumenatus est in manibus solius Metropolitanis. Iterato repeto illud, quod tantum rogatus fuerit meus Antecessor in hoc puncto, sed rogare non est imponere legem. In ore tantum Principis rogationes aliquando sunt iussiones.

5. Quod intervenerint omnes Vocales, in folio E. deducitur. Falsum est quod ad Capitulum Novogrodense, cum officio Consultoratus venerint constituti Minsci Consultores, cum ego ipse, habito Brevis toties scripsi, conformando me Brevis SS.mi, ad Patrem Pachomium, Symeonem, et alios, dando ipsis titulum Consultorum et Patri Stephano Generalis. Insuper invitavi ipsos, tractavi, rogavi, ut venirent, ostendi litteras Ill.mi Domini Nuntii, quod non contradicat Capitulo, et certo haberentur in eodem Capitulo pro Consultoribus, si venissent, uti promiserunt. Quid ergo debuit facere Capitulum in electione Generalis, nisi illis ex mera malitia absentibus eligere quoque Consultores, inter quos Patrem Pachomium nec Minsci nec Novogrodeci privavimus Consultoratu.

6. Ad litteram E., et F., quae probant ineligibilitatem meae personae ad munus Generalatus, ratione renuntiationis factae. — R. Uti et in Curia Romana responsum, quod renuntiaverim sub conditione, quae nunquam observata fuit, nempe dependentia iurata Generalis a Metropolitano, quam ego volens elucidare pono hic Anni 1679 Sessionis 4tae Actum Solemnem iuramenti facti a Patre Stephano coram me Metropolitano in Congregatione, tunc Pontificaliter vestito, Crucem S. et Evangelium tenente, et Patre Stephano genuflexo haec verba proferente, quorum tenor talis:

Ego Stephanus Martiszkiewicz Businski, Ordinis S. Basilii M. Hieromonachus, iuro Domino Deo Uni et Trino me Religioni S. Patris Nostri Basilii Magni praesertim vero Congregationi eiusdem Religionis Vlnensi, S. ac vivificae Trinitatis, deditum fidelemque fore, bonumque ac incrementum eius pro viribus meis curaturum, cum persistentia in Unione cum S. Romana Ecclesia, parentiaeque in omnibus Domino et Patri meo Ill.mo ac R.mo Metropolitae Kiioviensi, Haliciensique totiusque Russiae, Domino Cypriano Zochowski, Successoribus eius, munus vero Proto Archimandritale, ad quod capitulariter sum electus, peracturum iuxta leges mihi nunc a Domino meo et Patre Metropolita, itemque a Religione Congregationi nostrae traditas atque (f. 237) ad praescriptum earum in omnibus me recturum, ita me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Consideret ergo Ill.ma Dominatio Vestra hoc iuramentum non esse excogitatum nec in cerebro meo natum, sed a Patre Pachomio praesentatum, a Domino Episcopo Chelmsensi, aliisque Dominis Episcopis recognitum, laudatum, a toto Capitulo et Patre Stephano acceptatum, nec reclamatum, sed nunquam observatum. Quae enim gravior conditio potest esse dependentiae Generalis a Metropolitano quam comprobare idipsum iuramento.

Nihilominus per summum periurium memoratus Pater Stephanus excussit totaliter dependentiam, faciendo visitationes, disponendo de Superioribus, inscio, et independentem a Metropolitano, nec veniendo unquam ad S. Synodos Dioecesanarum, cum ipse, et omnes Religiosi sint Curati, arcendo Metropolitanum a faciendis visitationibus per Monasteria, non permittendo recursum in prima Instantia ad Metropolitanum tam Regularibus, quam Saecularibus, subditis Monasteriorum; rapinas exercendo per Monasteria, cum esset monitus a Metropolitano, ne id faceret, per contemptum et risum (cum aliquid iam executus est) tunc nuntiabat Metropolitano, quod hoc, vel illud factum sit ab illo recte. Unde miseri Religiosi videntes quod gemant sub eius, et Patrum Consultorum duro regimine, rogarunt multis precibus, ut fierem Generalis illorum, et ab hoc non ferendo iugo liberarem illos, quam nimirum frangenti Patri Stephano fidem fregit Religio eidem, nec ego amplius tenebar cum Religione mea insistere renuntiationi factae. Quot ardua negotia Religionis sine me Pater Stephanus expedit, quot damna intulit, de quibus omnibus in reditu Patris Georgii Roma, nisi enim ille adsit, concatenationem iniuriarum factarum Religioni et Unioni Sanctae ab ipsis non possunt urgere coram Ill.ma Dominatione Vestra. Dependens haec non tantum Patris Generalis iurata est, sed strictissima quoque debet esse totius Religionis, et Monasteriorum a Metropolitano. Idem statuit et voluit Clemens VIII, ut Monachi Monasteriaque eorum sint subiecta Episcopis, et in mea Diocesi quasi tota Religio inhabitat. Videatur R.dus Pater Thomas a Iesu, Carmelita Discalceatus, libro de Conversione Gentium, ubi recenset accessionem Russiae sub Clemente VIII ad obedientiam Sanctae Romanae Ecclesiae, quae promisit nobis et Successoribus nostris perpetuo servare, et manutenere, cum quibus accessimus Conditionibus, practicatis ab Orientali Ecclesia, non repugnantibus fidei, nec bonis moribus. Ego tamen satis mirari non possum, quod illi aliquot tantum sibi concedant, cum non sint to-

ta Religio, sed membra Religionis et quando adunabitur Corpus Religionis, quid ipsi erunt in comparatione multorum Congregatorum? Haec pro modestia mea, et futurae (avertat Deus) dismembrationis praecautio defero Ill. mae Dominationi Vestrae, et meum honorem, quem habui, constantissime mihi a Religione in reelectione collatum commendo. Quae Religio quia non recedit a me, nec ego ab illius protectione. Satius, ut munera sua Consultorum, a Sacra Congregatione confirmata, cum religiositate, pietate, compassione supra miseros Religiosos obeant, et cum Metropolitanano concatenata gerant corda. Sic aedificabitur Civitas pacis et laetantium, non in Monasteriis super tali ipsorum praeterito regimine gementium.

Sub iisdem litteris E., F., fit mentio Constitutionum Josephi Metropolitanae, quae tamen in multis non habere robur, et praecipue ratione Proto Archimandritae in personam puri Religiosi. Feruntur quandoque leges, quas, inspectis circumstantiis, bonum est aliquando non observare. Josephus Metropolitanus scripsit Constitutiones, sed non potuit praeiudicare suis Successoribus. Qui iuxta Iura Orientis sunt in possessione dependentiae Monasteriorum ab ipsis. Deinde quando dicitur: Reassumimus Constitutiones Josephi Rutscii, deberent legi in Capitulo quaenam, ut sint? ne caeco modo confirmemus, et obsevemus illas, cum lex non promulgata non obligat; ego nunquam audivi illos, etsi sunt praeeudiciosae Metropolitanorum Iuribus. Protestor nomine meo, et Successorum meorum. Deinde videndum, an sint Rutscii vere, an non irreperint et non ad tuendum positum noviter compositae, descriptae, et non authenticatae proprio pugno Rutscii! Cum enim isti aliquot moverunt mecum litem, debuerunt cogitare, etiam illicitis mediis, et repraesentationibus me spoliare Iurisdictione, quam habeo, et mei Antecessores habebant supra Religionem. Extat apud me libellus Visitationis omnium Monasteriorum, factae per Josephum Metropolitanam, propria eius manu exaratus. Ipse in persona visitavit omnia Caenobia Voliniensia, et M. D. Litt. ac Russiae. Extat authenticum manu ipsius signatum certum scriptum, ubi Regulas dat Proto Archimandritae eligendo. Cum tamen nunquam fuerit purus Monachus ante me, sed tantum puri Monachi fuere Vicarii seu Provinciales Metropolitani, uti Generalis, proinde illae Constitutiones non possunt esse lex, sed laudabiles tantum memoriae, quod Vir Dei tempore suae Metropoliae desudaverit egregie quantum potuit. Caeterum pro monachis Basilianis, eorumque Communitatibus sat abunde scripsit Divinissimus Legifer noster Basilius. Legant in Refectorio, et observent, Constitutiones autem Rutscii nunquam lectae sunt per monasteria. Quin potius dependentia Monachorum a suis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis probatur ex Breviario Romano 14 Iunii, ex illis verbis: Ita enim Monachorum institutum temperavit, ut solitariae atque actuosae vitae utilitates praeclare simul coniungeret; quomodo actiosa vita quae est Curatorum, potuit esse in Oriente, et Russia Monachorum, sine dependentia a suis loci Ordinariis. Ultimo tandem sub littera E. fit mentio Constitutionis Josephi quasi Collat. 4, num. 1º, quod is qui Proto Archimandrita futurus sit, non sit Episcopus non solum Ordinarius, qui oves habeat proprias, sed neque Aulicus, qui iuret Metropolitanam ad eius latus; nec per somnium unquam scivi hoc, cum contrarium practicetur, imo stante pietate debet esse aulicus, ut in Comitibus attendat promotioni Unionis Sanctae, et ruinae Schismaticorum. Haec reposui Ill. mae Dominationi Vestrae ea qua par est reverentia et obsequio, cuius me gratiae instantissime commendo, et in fidem horum propria manu subscribo.

Dabantur Rutae, 16. 7bris 1684.

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae,  
Ord. B. M. Protoarchimandrita (m. p.)

\* \* \*

SOLVUNTUR EXCEPTIONES CONTRA VALIDITATEM  
VOCALIU PORRECTAE.

1. Pater Benedictus, coactus, renuntiavit Archimandriae Trocensi anno 1679. Quia vivente Patre Innocentio, legitimo Archimandrita, indebite intitulabatur, sed iam a duobus annis, mortuo illo, restitui et decoravi ipsum titulo Archimandritae Trocensis et sic fuit vocalis.

2. Pater Stephanus, Archimandrita Braslaviensis, fuit rite, et legitime consecratus ab Antecessore moderni Metropolitanus, Domino Colenda, cui imponitur et inuritur, et gravissima nota, quod acceptatus fuerit a Metropolita ad Religionem sub conditione Archimandriae, ipsi conferendae. Alter Monachus, Pater Ierotheus, licet consecratus tamen quia commisit magnum delictum unum, descendit ipse Metropolitanus, et privavit ipsum Archimandria. Est verum quod commiserit Metropolitanus Visitationem Patri Stephano, ex Generali, sed non privationem, non spoliationem equorum, boum, supellectilis. Sed vere bene meritus de Sancta Unione, quia Vitepsci et in multis locis recuperavit Unioni Sanctae multas Ecclesias, idque resolutum ad mortem animo. Serenissimus quoque confert Episcopatus aliquando in Russia Saecularibus dignis, qui ingrediuntur Religionem, ut fiant Episcopi. Ecce nil obest quod sub conditione Episcopatus ingrediuntur Religionem.

3. Petrus Kaminski, missus a Domino Episcopo Premysliensi pro Congregatione, semper autem missi sunt vocales. Non disputo an fuerit Vicarius Episcopi, an Vicarius suae Abbatiae Leszczynensis. Hoc certo scio, ex ore Domini Episcopi Premysliensis audivi, quod decreverat ipsi expedire pro laboribus in sua dioecesi Archimandriam Leszczynensem, vel Coadiutoriam (me tamen consentiente) et sic vocalis. Vita ipsius certe, si talis fuit, nec mihi placet, immo aliquid adverti et reduxi ad Monasterium Vilmense, et monasticam vitam; nihilominus ille fugit turpiter ex Monasterio, Deus scit, ne sit filius perditionis. Et Iudas fuit Apostolus, et vocalis, licet fur esset, et proditor Christi.

4. Pater Joannes Korzeniewski (error est quod Giano vocetur) fuit de gremio Monasterii Vilmensis, et sic vocalis. Laudandus a contionibus, et assiduus in ecclesia devotionibus, proinde nihil facit ad rem Consultoratus, quia et sine hoc gradu, atque spe illius venerunt isti Patres ad Capitulum, et fuerunt vocales.

5. Barsonophius fuit vocalis, et iam vita functus.

6. Falsum est quod Pater Symeon accesserit tanquam Consultor, sed tanquam Delegatus Monasterii Vilmensis, quod est primum in Religione Monasterium, a quo Capitula omnia Religionis intitulantur, videlicet Congregatio SS. mae Trinitatis, et sic fuit vocalis.

7. Falsum est quod Pater Martianus in Capitulo fuerit Superior Electus, nam Superiores Archimandrarum non Capitula, sed Archimandrita advitalitius creat, uti creavit, et designavit ipsum in Superiorem Vilmensem Illustrissimus Dominus Episcopus Pinscensis uti Archimandrita Vilmensis, et sic vocalis.

8. Pater Iosephus, si fatentur quod habuit votum legitimum, cur laedunt famam et conscientiam eius, quod timore ageret.

9. Bartholomeus legitimus.

10. Gedeon etiamsi non esset Superior, tamen ex Monasterio Minscensi eiusque communitate, habens instructionem (uti practicatur semper) fuit Vocalis. Non potuit re-



stitui statim virtute Brevis Pater Simeon, Consultor, quia Breve fuit expeditum, non audito Archiepiscopo, et Capitulo Minscensi. Sed tantum una parte audita, ut iam tota Congregatio rogavit SS.mum Dominum, ut mandata et Brevia, seu decisiones Sanctitatis Suae, utraque parte informante extradantur. Hinc non est mirum, quod renitentiae subsecutae.

11. Anselmus Czyz per summam iniuriam, idque proxime ante Capitulum Novogrodense non iudicatus, causa nulla ipsi deducta, nec Metropolitano conscio, fuit privatus Superioratu Brestensi a Patre Sthepano, proinde fuit legitimus, et vocalis. Et si Pater Procopius venisset, utique Capitulum fecisset decisionem, pro parte istius spoliati Patris Czyz, cui Pater Stephanus accepit pecunias notabiles, suo tempore discutietur hoc. Sed Pater Stephanus astu suo solito fecit hanc mutationem etiam in alijs Monasteris, ut sic Congregationem Novogrodensem votantibus destitueret, et uti suae creaturae non venirent ad Capitulum, sicut Rosanae fecit, et litteras suas, Monasteria turbando, dissuadendo, ne veniant, miserat, sed parvum aut nihil effecit.

12. Josephus legitimus (f. 238v).

13. Innocentius legitimus.

14. Monasterium Cassutense a Schismaticis qua potentia qua pecuniis vindicavi, et Religioni donavi, praeterquam reservavi mihi Superioris illius loci institutionem, et sic Pater Josephus Paszenski fuit Vocalis. Multoties Pater Stephanus, me iubente, visitavit illud Monasterium.

15. Constantinus, Vicarius Dubnensis, Vocalis.

16. Issiodorus, Vicarius Dubnensis hic per errorem subscriptus, cum debuerit scribere Delegatus Dubnensis, et sic Vocalis.

17. Pater Martinus fuit Vocalis, quia illud Monasterium Polocense habet duodecim Monachos, et sic non tantum Superior Vocalis, sed insuper Patri Martino addendus erat alter Delegatus, qui fuisset pariter Vocalis.

18. Innocentius, Vocalis.

19. Theophanes pariter fuit Delegatus Dubnensis, nam error est in Monasteriis Dubnensibus, quae sunt duo, unum Sancti Salvatoris, aliud S. Crucis, et aliud Dermanense. Cur haec tria Monasteria, quae alunt fere viginti Monachos, non debent habere sex Vocales, cum tamen non fuerunt tanti.

20. Daniel fuit Vocalis, quia rogatus a Superiore Vitepscensi, ubi recentissime erectum Monasterium, ut votum loco sui proferret, ipse autem non potuit venire, ob datas in Capitulo causas legitimas.

21. Pater Damianus habitabat iam ex obedientia Superiorum in Monasterio Leszczynensi, quod misit ipsum, et sic Vocalis. Dominus Episcopus Premysliensis excusavit se, quod non possit ob suae Dioecesis venire negotia. Imo de facto ad nulla Capitula Religionis solet venire Superior Leszczynensis, nullus tunc adfuit, et si adesset, deberet esse institutus a Domino Episcopo Premysliensi, uti Archimandrita advitalitio, et non a Patre Stephano. Intimatio fit non tantum ab Episcopis, sed et Monasteriis eorum, et Pater Damianus fuit de illo Monasterio et sic Vocalis.

22. Pater Isaïas Vocalis Beresvecensis Monasterii, quia illud Monasterium Beresvecense ab Archiepiscopo Polocensi pendet, et fuit applicatum non soli Patri Stephano, sed bono Religioni, aluntur Monachi, et pro necessitatibus ecclesiae, et Religioni summa currens annuatim expenditur. Hinc patet omnes fuisse Vocales legitimos, non dubios, quia ad vocem meam, (f. 239) et conscio Ill.mo Domino Nuntio venerunt. Demus tamen casum impossibilem, quod ex viginti duobus soli essent Vocales septem. Adversa pars, quae non venit, si venisset haberet septem, vel sex Vocales, et sic totum tamque magnum Corpus Religionis per Russiam, Littuaniam, et Poloniam

reduceretur ad decem et quinque Vocales, exclusis omnibus aliis, quod pudet scribere, et dicere. Vocales ergo omnes adfuerunt, sicut et ipsi Patres opposentes, si adfuisent, Vocales censerentur, quos ego omni submissione rogavi, et tractavi; promiserunt, sed verbo non steterunt. In quorum fidem manu propria subscribo.

Dabantur Rutae, 16. 7mbris 1684.

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae,  
Ord. S. B. M. Protoarchimandrita (mp).

## 65.

*Dolciis, 21 . X . 1684.*

*Iustificaciones Metropolitanæ et defensio suae iurisdictionis in Ordinem Basilianorum.*

APF, *Scrilt. rif.n. Congressi: Mosc, Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 202-205.

Eminentissimi et R.mi Principes ac Domini,  
Domini et Patroni Colendissimi.

Meum quidem debitum est effata, decisiones, et sancita EE. Vestrarum omni devotione colere, et pro viribus ea observare, uti patuit mea submisso, et paritio realis Decreto EE. VV., 17 Iulii, anni praesentis, contra me, et Capitulum Novogrodense lato. Reintegravi enim et restitui feci tum P. Symeoni<sup>201</sup> Monasterium Archimandritale Minscense, tum P. Stephano Berestense,<sup>202</sup> Consultores quoque ipsos agnosco. Tractavi humanissime illos, recepi, nullamque hactenus de illis, et a fortiori de recurrentibus ad S. Sedem (quod mihi imponitur, et debuit saltem in aliquo casu deduci) vindictam sumpsi, nullos carceribus aut plagis affixi, contra nullum sententiam definitivam tuli, sola citatio extradita (quae etiam clausis oculis debet concedi) contra P. Georgium,<sup>203</sup> praesentem Romae, de filia rapta, et de alia conducta ad Monasterium quod tenet Czerciese, et in cella ipsius de noctu visa. Sunt qui attestabuntur et iurabunt, uti de visu testes. Quale crimen commisi quod in gravibus, (oraculo EE. VV.) non possim praefatos aliquot PP. iudicare in prima Instantia, certe post latam sententiam admittetur appellatio ad Ill.mum D. Nuntium, (f. 202v) quam semper pro reverentia S. Sedis admittere sum paratus. Si enim sanguinem, sanitatem, et fortunas pro S. Sede Romana non semel obtuli, et libere votum mihi est, multo magis Causam remittere ad Iudicium supremum non possum obstare. Et sic non probatis mihi crudelitatibus, vindictis, comminationibus, vexis, deventum est ad denegationem primae Instantiae contra aliquot discolos, cum diminutione autoritatis metropolitanae, a S. Sede et a gloriosae mem. Clemente VIII per Bullas stabilitae, et hactenus practicatae. Me certe hoc debet affligere, quia novitates in Russia praecludent viam Orienti, Moschoviae, et Schismaticis Ruthenis ad conversionem. His ita cum omni submissione coram Eminentissimis VV. propositis, sensum meum meique Cleri firmissimum, cum eadem submissione, EE. VV. aperire debeo. Quod Bullas duas Sanctissimi Clementis VIII, sub datis: Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII Februarii MDXCVI, Pontificatus Anno quarto, et sub anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto,

<sup>201</sup> P. Symeon Cyprianovycz, Consultor Ordinis Basiliani.

<sup>202</sup> Stephanus Martyszkevycz, Protoarchimandrita Ordinis (1679-1686).

<sup>203</sup> Georgius Malejevskij; cfr. notam 182.

septimo Calendas Martii, Pontificatus Anno quinto,<sup>204</sup> constantissime retinere ne ab illis recedere (f. 203) nolumus. Constitutiones Rutschii nec novimus nec acceptamus, imo uti praeiudiciosas Orientali Ecclesiae et Iurisdictioni Episcoporum, Metropolitanorum censemus. Cum quibus conditionibus et articulis (qui certe nec fidei nec bonis moribus repugnant) accessimus ad obedientiam S. R. Ecclesiae, ab illis deturbari non possumus. Cum sint *ad futuram, ad perpetuam rei memoriam, sub indignatione Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum* (si quis infringere attentaverit) concessae et stabilitae. Expresse habetur in Bulla Clementina.

Quae enim expetere visi sunt, libenter quantum cum Domino licuit concessimus, expetierunt autem et obtinuerunt magni illi Episcopi et Legati Hipathius et Cyrillus,<sup>205</sup> ut Monachi, Abbates seu Archimandritae eorumque Monasteria sint sub dependentia Episcoporum<sup>206</sup> et hic tota Religio Basiliiana continetur in mea Dioecesi, pauca Monasteria in aliis Episcopatibus, quomodo spoliari possum hac concessione Sanctissimi Clementis VIII? Quomodo Schismatici Episcopi, Luceoriensis et alii, accedent ad obedientiam, si videbunt monachos (f. 203v) eximi a sua iurisdictione et dependentia, unusquisque enim illorum 30 aut 40 tenet sub se Monasteria. Nuperrime Archimandrita Mielecensis conversus e Schismate ad Unionem S., nihilominus noluit pendere a Generali vel Consultoribus Ordinis, sed ab Episcopo Chelmensi, cui est vicina dicta Abbatia, idem de caeteris tenendum. Non debeo esse ego quoque deterior cum Juribus Clementinis, qui malo unam antiquitatem, quam mille novitates. Dignentur EE. VV. et iubeant sibi legi librum R. P. Thomae a Jesu, Carmelitani discalceati, cui titulus: Thesaurus sapientiae divinae, incipiendo a pagina 324, usque ad paginam 334; continetur ibi dependentia Monachorum et Monasteriorum a suis Episcopis. Verissimum quoque est, quod omnes Monachi, et Monasteria sint curata et sic strictissime pendentia a iurisdictione Metropolitanani. Obviando his novitatibus, ne sequantur in Russia, Clerus meus supplicavit ut convocem Synodum Dioecesanam, quae in tribus locis: Polociae, Minsci, et Novogrodeci, ob vastitatem Dioecesis, solet celebrari, et iam dictas Synodos intimavi, alias solitas quolibet anno de more Orientalis Ecclesiae peragi. Quapropter supplico (f. 204) Eminentissimis VV., ut moribus antiquis stent iura, et res Russiae, novitates quas proponunt isti Patres resecentur; sufficit quod a me omnis reverentia, dependentia, appellatio ad Ill.mum D. Nuntium deferatur et praestetur. Possunt informari ex libris Coll. Graecorum, quod integro septennio exacto (claus oris proprii procul esto) nec levem habuerim paenitentiam. Finitis studiis, per triennium ad SS. Sergium et Bacchum servivi exactissime in omnibus Causis D. Episcopo Chelmensi nostro Rutheno.<sup>207</sup> Nec Sancta Sedes accepisset me, si aliquid subodorasset, sed forsans probatum per omnia promovit ad primum in Russia gradum Metropolitaniae; succedant meliores; post meos huius peregrinationis paucos dies, meum certe pectus et animus iam longis hebetatus curis, brevi indigebit adiutorio, vel simili, vel aptiori et activiori. Plura exaggerare non iubet modestia. Passum velint EE. VV. Domini mei, quod has rationes status, et fidei totius Russiae (timens auctoritatem

<sup>204</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 245, nr. 135, et pag. 266, nr. 152.

<sup>205</sup> Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis (1593-1613), dein Metropolita Kioviensis (1600-1613); et Cyrillus Terleckyj Episcopus Luceoriensis (1585-1607).

<sup>206</sup> In s. d. « conditionibus Unionis »; cfr. G. HOFMANN, *Die Wiedervereinigung der Ruthenen*, in *Orientalia Christiana*, vol. III, 2, nr. 12, pag. 142-158; conditio 19.

<sup>207</sup> Jacobo Susza, tunc Romae commoranti, ut videtur ann. 1664-1666.

meam ex levi causa diminui) proposuerim EE. VV. et per easdem (f. 204v) Sanctissimo Domino meo. Cum enim Eminentiae VV. sint magni Angeli in visibili Ecclesia pacis, ita illam stabiliant, ut dismembrationes, vel turbines in Russia non sequentur. Ut quos congregavi, converti, ne perdam his novitatibus super inductis, vel super inducendis.

Promovetur nunc serio ad Pseudoepiscopatum Albae Russiae in mei praeiudicium P. Clemens Trisna,<sup>208</sup> ferus Schismaticus, a Domino Cancellario M. D. Lithuaniae.<sup>209</sup> Supplico Sanctitati Suae, dignetur scribere ad Suam Maiestatem, ne subscribat Privilegium toties reiecto homini, sed omnino Sua Maiestas inhibeat ne extradatur tale Privilegium, valde nocivum et perimens S. Unionem. Statim enim ac fiet Episcopus consecrabit 300 vel plures Presbiteros, et sic Unio Sancta magna ex parte ruet.

Ecclesiam meam Cathedralem Vilmensem iam restauravi multis millibus, quae alias 40 annis iacebat in ruderibus; vellem sex Basilianos vel plures introducere, supplico EE. VV. ut possim illis donare et incorporare perpetuo praefato monasterio, quam meus Antecessor et ego magnis expensis et pecuniis (f. 205) de manibus iniustorum possessorum vindicavimus, et dum ego super hanc foundationem vel donationem consentio, rogo consensum meum confirmari per EE. VV. ne forte Successor meus mutet voluntatem, et Patribus Basilianis a me introductis faciat aliquod impedimentum. Sacris interim purpuris EE. VV. humillima praebens oscula me gratiae EE. VV. impensissime commendo maneoque

Eminentissimarum et R. marum Dominationum Vestrarum

humillimus, devotissimus et oblig. mus Servus e Schiavo

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocen. (manu pr.)

Dolciis, 21 Octobris 1684.

## 66.

*NB. Eadem epistola iterata fuit die 6 Aprilis 1685, cum adnotatione:*

« Iterando eandem epistolam quam posta praeterita scripsimus, supplicamus EE. VV. pro iuribus nostris, eorumque conservatione ».

*Epistolam subscripserunt iidem Metropolita et Episcopi. Epistola haec conservatur in Nuntiatura di Polonia, Add. 6.*

## 67-68.

*Torokanie, 23. II. 1685.*

*Responsa Metropolitae ad obiecta ex parte Basilianorum in negotio exemptionis Monachorum et iurium Metropolitanorum Kioviensium, et praesertim convocandi Capitula generalia. obiectiones et responsiones.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 262-264v.

<sup>208</sup> Eparchiam hanc nunquam obtinuit, quae vacabat usque ad an. 1697.

<sup>209</sup> Christophorus Pac (1658-1684), vel potius iam Martianus Oginski (1684-1690).

## I.

RESPONSA S. RELIGIONIS AD INTERROGATA ILL.MI DOMINI  
NUNTII APOSTOLICI.Leges quaedam Monachorum Unitorum excerptae ex eorum  
Actis Capitularibus.

A. — Capitulo, seu Congregatione Generali prima,<sup>210</sup> Collatione 2da, num. 2do, postquam postque decreta est intima Religionis cum Metropolita connexio, mox additur: Id dumtaxat necessarium esse censemus, ut certas suas habeat obligationes, Regulasque, a Religione sibi traditas, in quas ipse iuret, ne eiusmodi potestas Religioni deinde noceat.

B. — In Regulis Episcoporum<sup>211</sup> cap. 2do, n.10, haec extant: Antequam inauguratur Metropolita, Episcopi tradent ipsi in scripto Regulas, ab ipso servandas, quas ipse, pro viribus, servaturum vovebit, votumque in charta expressum, ac manu propria subscriptum, in manus tradet Episcopi, qui sit antiquior reliquis, is vero Protoarchimandrita, ut in Archivio Religionis reponatur.

C. — Eadem supradicta Congregatio 1 ma, Collatione 4, N. 2, haec habentur: Tempus locumque Congregationis Generalis, quae semel quolibet quadriennio communiter fiet, ipse Protoarchimandrita, absque Metropolita indicet, licebitque ipsi etiam acceleratius indicere, si necessitas exigat.

D. — Eadem Congregatione et Coll.ne, n. 3tio, de obitu Protoarchimandritae Vicarius Generalis, absque mora Metropolitam certiore faciat, Metropolita vero certum tempus, locumque, in aliquo nostrum Monasteriorum, quod sit opulentius eligendo novo Protoarchimandritae designabit, cavens ne id officium diutius vacet.

E. — Eadem Congregatione, Collatione 5ta, N.1, sic legitur: Providentes, ut tam maiores, quam minores omni fiducia, absque obice in suis necessitatibus ad Protoarchimandritam recurrere possint, tanquam ad Patrem suum. Statuimus, ut is qui Protoarchimandrita futurus sit, non sit Episcopus, non solum ordinarius, qui oves habeat proprias, sed neque Aulicus, qui iuret Metropolitam ad eius latus.

(f. 262v) F. — Congregatione Brestensi<sup>212</sup> de Anno 1667mo, ut D.nus Metropolitanus in rebus Religionis arduis nihil agat sine consilio Episcoporum, Vicarii, Consultorum, et aliorum graviorum Religiosorum, praecipue in promotione Personarum ad Episcopatus et Praelaturas.

G. — Ex Actis Congregationis habitae Zyroviciis<sup>213</sup> 25ta Iulii 1679. Dominus Metropolitanus Liturgia Sacra de Spiritu S. solenniter cantata etc. simulque uti ante quadriennali Capitulo fuit, ita nunc etiam sese ab in Protoarchimandritam suffragiis, inhaerendo piae memoriae Metropolitanae Rutscii, totius Religionis constitutionibus in perpetuum sponte et ultro exclusit. Et sub finem eiusdem Congregationis § ultima

<sup>210</sup> Novhorodovicensi an. 1617, quo Congregatio SS. Trinitatis Vilmensis constituta fuit. Cfr. M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruhenorum a Meropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Romae 1949.

<sup>211</sup> Cfr. *Epistolae Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitanae Catholici Kioviensis*, Romae 1956, pag. 359 etc.

<sup>212</sup> Capitulum Berestense an. 1667, diebus 4-5 Martii.

<sup>213</sup> Capitulum Zyrovicense an. 1679, diebus 25-31 Iulii. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum* pag. 16-17.

sic habetur: Reasumptae denique sunt leges, constitutiones, et Congregationes ab et sub Josepho Rutschio, s. memoriae Russiae Metropolita, factae et conditae, quas Religio vult integre et inviolate observare, iuxtaque illas regi et vivere. Et hic est subscriptus Dominus Metropolitanus cum aliis etc.

H. — Ex Congregatione eadem in Praeliminaribus: nos infra scripti Praelati, Consultores, Praesides, et Monasteriorum legati Ord. S. Basilii ad intimatorias Ill.mi et Rd.mi D. Cypriani Zochowski Metropolitae etc. pro Electione Protoarchimandritae congregati.

I. — Decretum S. Congregationis de Propaganda, coram Urbano VIII habitae die 4ta 8bris 1624, ex Brevi eiusdem Urbani confirmatorio ipsius Decreti,<sup>214</sup> sic habet: S. Congregatio convenientissimum esse censuit ut Monachi Rhuteni Uniti in Congregationem redigantur; quod si fecerint eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis temporibus unum Generalem seu Protoarchimandritam totius Russiae, et singulis quadrienniis Capitula generalia congregandi, in eisque constitutiones, rationabiles tamen, et a Sacris Canonibus, Decretis Conciliorum, et Summorum Pontificum constitutionibus non repugnantes, conficiendi, a Romano Pontifice confirmandas, quae interim tamen, ne disciplina regularis patiatur detrimentum, a praefatis Monachis observanda erunt, donec aliter per Sedem Apostolicam fuerit definitum.

Alia item Excerpta ex Actis itidem Capitularibus  
Monachorum S.ti Basilii Ruthenorum (f. 263).

K. — Ex Congregatione Anni 1656, Torochaniis habitae:<sup>215</sup> nos etc. de communi nostrum et aliorum a nobis certioratorum consensu indiximus Torokaniis pro 6ta Febr. anni 1656 Capitulum pro electione Provincialis ab obitu Proto Archimandritae nostri Ill.mi Antonii Sielawa, Metropolitae. Ex eadem Congregatione, n. 2do: Directorem huius Capituli elegimus, tanquam virum dierum et meritorem plenum, Rd.mum Dominum Zloty Kwasninski,<sup>216</sup> Archiepiscopum Smolenscen., qui omnes adhortatus est, ut ex sincera erga matrem Religionem charitate eligerent sibi Provinciale, qualem ipsis dignum dictaret conscientia.

Ex eadem, n. 5to: Communi consensu elegimus Provinciale Venerabilem Patrem Benedictum Terlecki, qui et iuramentum pro hoc offitio praestitit.

L. — Ex Congregatione Anni 1658, Zyroviciis habitae, ad invitationem Rev.mi Patris Benedicti Terlecki,<sup>217</sup> Provincialis Ord. S. Basilii Magni, convenerunt Zyroviciis Ill.mus D. Gabriel Kolenda, Administrator Metropolitae, Dominus Andreas Zloty, Archiepiscopus Smolenscen.; ibidem ad intimationem eiusdem Rd.mi Patris Terlecki Provincialis aderant praesentes: V. P. Constantinus Witopolski, Superior Zyrovicien., V. P. Sebastianus Kaczynski, Superior Bresten., V. P. Pachomius Ohilewicz, S. Th. D. Ord. S. B. M. Consultores. V. P. Christophorus Milenkewicz, Ord. Secreta-

<sup>214</sup> Sub dat. 20. VIII. 1631; cfr; *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 481, nr. 411.

<sup>215</sup> Capitulum Torokanense an. 1656, diebus 6 sq. Februarii. Cfr. M. M. WOJNAK, *De Capitulis Basilianorum* pag. 11-12.

<sup>216</sup> Tunc iam Episcopus Pincensis (1654-1665).

<sup>217</sup> Benedictus Terleckyj, Alumnus Romanus, et Missionarius, electus prima vice in Provinciale Ordinis Basiliani post mortem Antonii Sielawa, Metropolitae-Protoarchimandritae (1655). Obiit an. 1661.

rius, R.mus Eustachius Puszkowski, Archimandrita Grodn. In capite vero totius Religionis nomine Rev.mus P. Benedictus Terlecki, Provincialis etc. Cantata ab Ill.mo Administratore Metropoliæ Pontificaliter Missa de Spiritu Sancto hora una post elapsa, Arbitrio Rev.mi Patris Provincialis pulsata est campanula, ad cuius iteratum pulsum, omnes supra memorati in loco designato comparuere.

Ex eadem Congregatione, Sessione 1ma, post alia: In eadem Sessione unanimi omnium consensu, liberis votis, electus est Director huius Sacri Consessus Ill.mus D. Administrator Metropoliæ.

Ex eadem sessione 4ta, omnium consensu, iterum electus est in Provinciale R.mus P. Benedictus Terlecki.

M. — Ex Congregatione Anni 1657, Bitenii celebrata,<sup>218</sup> ad intimationem Rev.mi in Christo Patris Terlecki, Ord. S. B. M. Provincialis, Nominati Archimandritæ Viln. convenimus ego Paulus Korsak, Archimandrita S. Onufrii in Persona mea, Barlaam Kozinski, Archimandrita Minski per delegatum Rev.mum Patrem Gregorium Bienkowski, Benedictus Glinski, Archimandrita Kobrynen. in Persona mea, Petrus Mimonski, Ord. D. B. M. Protoconsultor, Costantinus Witopolski, Superior Zyrovic. et Consultor Ord., Pachomius Ohilewicz, Consultor Ord., Sebastianus Kaczynski, Superior Bresten., Ord. Consultor, Michael Pieszkowski, Superior Novogrod., Adrianus Mozer, Superior Lublin., Joachinus Hoscilowski, Superior Czerlon., Clemens Krakowski, Superior Rosanen., et alii iuxta Constitutiones Ordinis ad id muneris spectantes. Assistentibus Ill.mis et Rev.mis in Christo Patribus, et Dominis Andrea Kwasninski Złoty, Archiepiscopo Smolen. in Persona, et Domino Gabriele Kolenda, Archiepiscopo Polocen. Administratore Metropol. Kijovien. etc. per Delegatum suum Rev.mum Christoph. Milenkiewicz, Vicarium Supraslien., qui soli ex Episcopis sub haec tempora sine discrimine vitae adesse poterant.

Ex eadem Congregatione, sessionis 1mae, decantata S. Liturgia Conceptionis Immaculatae Virginis, primam fundavimus Sessionem, in qua in primis Directoris subsequentium conferentiarum partes uno omnium ore sunt delatae V. P. Primo Consultori Ordinis, ultima vero decisio ex vi officii R.mo Patri Provinciali.

N. — Ex Congregatione Anni 1626,<sup>219</sup> Sessione 2da. Gratia beneplacitoque Spiritus S. per suffragia secreta elegimus unanimiter in Protoarchimandritam Religiosissimum Rev.mum P. Raphaelem Korsak,<sup>220</sup> Praesidem Monasterii Vilnen., iuxta Regulas statutaque Cogregationis Novohorodicen., Nomen Domini invocans iuramentum in id officii praestitit, Regimenque, opitulante DEO, ad Gloriam SS.mi Nominis auspiciatus est.

O. — Ex Actis Congregationis Anni 1675,<sup>221</sup> sessione 1ma: intulit Ill.mus D.nus Episcopus Vlodimirien., suo ac Ill.rum DD. Ep. Chelmen. et Pinscen. nomine, adductis legalitatibus, petitionem pro prorogatione Capituli ac electionis Protoarchimandritæ. Responsio reiecta in diem crastinam. Re interim ad deliberandum sumpta. Ex Sessione 2da. Convocata Sessione (f. 264) Ill.mus Metropolitanus, significatis pa-

<sup>218</sup> Capitulum Byteniense an. 1657 (diebus 21-23 Junii) erat ordinarium ad consultandum de negotiis Ordinis. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 12.

<sup>219</sup> Capitulum Lavrysiense an. 1626, mense Augusto, in quo in Protoarchimandritam electus fuit Raphaël Korsak, simplex monachus.

<sup>220</sup> Cfr. de eo quae habentur in *Epistolae Raphaëlis Korsak Metropolitanae Catholici Kiovien-sis*, Romae 1956, ubi etiam brevis datur biographia.

<sup>221</sup> Capitulum Zyrovicense an. 1675, diebus 12-16 Maii.

ternis suis in Religionem propensionibus, promptitudineque, eam optimis quibusque efficacissimis iuvandi modis, ante omnia electionem Protoarchimandritae, liberrimis Monachorum, semet ab hoc munere excludens ipsum, in quemcunque alium monachum, qui Episcopali dignitate praeditus non esset, suffragiis. Ad haec Ill.mus D. Episcopus Vlodimirien.<sup>222</sup> respondit, se una cum Ill.mis DD. Episcopis Chelmen. Pinscen.<sup>223</sup> non aliud in bonum Religionis praetendisse, quaesivisseque, quam quod iam ultro polliceri audit Ill.mum Dominum Metropolitanum Religioni; quare suo, ac Illm. Chelmen. et Pinscen. nomine libenter accedere velle, accedereque re ipsa ad Actum Capituli atque electionem Protoarchimandritae. Gratiae a toto Consessu Ill.mo D. Vlodimirien actae, quod sese Angelum praestiterit Pacis.

P. — Ex Congregatione Anni 1679, Zyroviciensi. Post haec facta est reassumptio Constitutionum et Congregationum sancitarum et peractarum a piissimae memoriae Josepho Rutschi, Ord. nostri instauratore, quas Religio retinere, iuxtaque eas regi vult.

Q. — Ex Congregatione Generali Anni 1623, celebrata Rutae, Pago haereditario Rutschii, Sessione 6ta sic habetur: Cupientes ut in Congregatione nostra, exemplo Ecclesiae Primitivae, una sit anima, unumque cor, omnes qui huc congregati sumus concordibus in charitate animis, sic in unum coalvimus.

Ego humilis Josephus Velamin Rutski, Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis Halicien.totiusque Russiae.

Ego Josaphat Kunciewicz, Archiepiscopus Polocen.<sup>224</sup>

Ego Leontius Kreuza

Ego Antonius Sielawa

Ego Hierotheus Cisowicz

Ego Stephanus Wolosowicz

Ego Giervasius Hostylovski

Ego Meletius Kopystynski

Ego Theophylus Olszanica

Ego Joannes Dubowicz

Ego Symeon Iackiewicz

Ego Theoctistus Joannowicz

Ego Theophanes Welikonty

Ego Nikolaus Nowak<sup>225</sup>

Ego Hilarion Baranowicz

Ego Ignatius Szopowicz

Ego Theodosius Borowicz

Ego Paulus Owloczynski

Ego Pachomius Oranski.

Praesides (f.264v) Praesbyterique Monasteriorum Congregationis nostrae fecimus Vota coram SS.mo Eucharistiae Sacramento seorsim unusquisque nostrum verbis quae sequuntur:

Ego NN. promitto voveoque Domino DEO in Trinitate uni, in hac Congregatione

<sup>222</sup> Benedictus Glinskyj (1667-1678).

<sup>223</sup> Jacobus Susza, Chelmensis (1652-1686), et Martianus Bilozor, Pinsensis (1666-1697).

<sup>224</sup> Hoc eodem anno, mense Novembri, die 12, Vitebsci pro Primatu Romano occisus; an. 1643 Beatus proclamatus.

<sup>225</sup> Nicolaus Novak, Primus Procurator negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe (1626-1633). Cfr. « *Analecta OSBM* », sec. II, vol. I, pag. 62, Romae 1949.



nostra Ordinis S. P. Nostri Basilii Rituque Graeco, in unitate cum S. Ecclesia Romana, ad mortem usque meam, constanter in Monasteriis sub Regimine Protoarchimandritae nostri perseverare, Paupertatem, Castitatem, Obedientiamque servare, atque Religioni huic Rituque fidelis ac devotus esse. Ita me DEUS adiuva.

Hanc eandem professionem votorum omnes Patres, Fratresque nostri, qui in Monasteriis nostris remanserunt, praestabunt, prima Dominica a reditu ex praesenti Congregatione Praesidum Monasteriorum nostrorum. Qua in re obstringimus eosdem Praesides, ut id propalent, promulgentque Patribus Fratribusque atque ad effectum deducant.

## II.

*Replicae Domini Metropolitanii ad Responsa aliquorum Patrum Religionis Sancti Basilii*, in foliis separatis data, et litteris alphabeti adnotata. Inciunt autem sic:

Leges quaedam Monachorum Unitorum excerptae ex eorum Actis Capitularibus, et Incipit Littera A.<sup>226</sup>

Respondetur ad Litteram A.

Toties quoties dico, quod bonae memoriae Iosephi Rutschij, Metropolitanii, asertae vel allegatae constitutiones non potuerunt praeiudicare suis successoribus Metropolitanis, iuxta iura Orientis a Sancta Romana Ecclesia approbata, regimen tenentibus, et in possessione eorundem existentibus. Qualis enim esset connexio Religionis cum Metropolita? Si non esset dependentia eorum ab eodem? et praecipue, quia in hoc Regno Basiliani omnes sunt cum suis Monasteriis Unitis in Dioecesi Metropolitana, omnes Parochi, omnes consecrantur ad Ordines, omnes visitantur, promoventur ad Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimandrias, Hegumenatus a solo Metropolitanio, iuxta Datariam SS.mi Clementi VIII, et Diplomata Regum ac Reipublicae Poloniae, Archiepiscopis Russiae indulta et confirmata. Et qua autoritate bonae memoriae Iosephus Metropolitanus potuit obligare Successores, ut certas suas habeant obligationes, Regulasque, a Religione sibi traditas, in quas et iurare cogantur? Novum est quid, nocivum autoritati Metropolitananae, nec unquam practicum in Oriente, pacisci cum Monachis Sancti Basilii, qui non sunt iam aplius Ascetae, vel Eremitae, et purae contemplativae vitae, sed Caenobitae attendentes curae animarum sub dependentia sui Metropolitanii et loci Ordinariorum. Toties quoties igitur protestor nomine meo et totius Archidioecesis contra tales allegatas constitutiones, quae nullum robur hactenus habuere nec habere possunt, eo quod novitates introducunt, conversionem Schismaticorum impediunt, dismembrationem et scandala inter Monasteria et Metropolitanum faciunt. Quamodo enim Superiores et Archimandritae advitalitii patientur se regi a Monacho puro Protoarchimandrita quadriennali? A Metropolitanio (f. 266v) vero possunt et debent regi, imo decori et honori sibi reputant.

Respondetur ad litteram B.

Tot Metropolitanii post obitum Rutschij inaugurati, nullas viderunt traditas sibi regulas, ut servarent illas; hoc bene scio, quod quilibet Metropolitanus vel eius Coadiutor, statim ac recepit Bullas a SS.mo Pontifice Romano, nil morando iurat obedientiam Sanctae Sedi eiusque primo Principi obedientiam, dependentiam, Professionem Fidei emittit, idque in manibus Ill.mi Domini Nuntii vel eius Delegati, alicuius Episcopi, dummodo communionem cum Sancta Romana Ecclesia habentis.

---

<sup>226</sup> Replicae hae conscriptae fuerunt a Metropolitanio Kioviensi Cypriano Zochovskyj, etiamsi forma utitur tertiae personae.

Pariter Domini Episcopi respective vovent obedientiam et professionem fidei emittunt dum cosecrantur a suo Metropolitanis, nec proinde Episcopi Metropolitanis, et Metropolitanus Episcopis praescribunt aut tradunt regulas mutuo servaturas, a fortiori Monachi, per quam Regulam deberent dicere, aut concedere regulas, aut pacisci circumscribendo aut diminuendo auctoritatem Sanctorum Patrum Orientalium Metropolitanam. Meras omnia Homeri narrant ad hoc, ut novitates perniciosissimae introducantur. Ego autem cum illo Patre Sancto dico et teneo: Maluissem unam antiquitatem quam mille novitates, quae sunt merae levitates, quia moribus antiquis stat res Romana virique.

Respondetur ad litteram C.

Esset magna novitas, si purus Monachus Protoarchimandrita convocaret Capitulum, et ad vocem illius convenirent Metropolitanus, Archiepiscopi, Episcopi, Archimandritae et Hegumeni advitalitatis. Talis potestas unius monachi non potest practicari contra omnem decentiam, nam omnino Metropolitanus, cum sit et ipse Monachus, cum praefatis suis Dominis Episcopis, cum habeat multa monasteria a se dependentia, eorumque sit Fundator vel Collator, cum etiam titulo Abbatiarum cum Dominis Episcopis gaudeat, debet omnino interesse cuilibet Capitulo Ordinis Basiliani. Et consequenter ad intimationes et iussiones Monachi Protoarchimandritae non decet ipsum nec licet venire.

Respondetur ad litteram D.

(f. 267) Si in hoc casu conceditur intimatio Metropolitanis, cur non et in aliis, praesertim quia Vicarius Generalis Protoarchimandritae pari pollet potestate, qua et Generalis, servatis servandis, et tamen nulla honestas suaderet, ut Protoarchimandrita vel Vicarius Generalis, puri Monachi, imponat legem intimationis ad Capitulum Metropolitanis.

Respondetur ad litteram E.

Haec collatio seu constitutio est de subiecto non supponente, et ad tuendum positum condita. In Orientali enim Ecclesia, Metropolitanus et loci Ordinarii praesunt Monasteriis suis vel certe habent suos Vicarios Generales, qui delegata potestate gubernium in Monasteriis administrant, quod non recusat, imo libenter acceptat et vult more Antecessorum suorum Dominus Metropolitanus modernus, nam omnes Metropolitanis, sui Antecessores habuerunt Vicarios Generales, seu Provinciales tanquam brachia sui regiminis supra Religionem. Quod autem asseritur ne Protoarchimandrita sit aulicus, explicent quid intelligunt per ly Aulicus, hoc est politicus, sine timore Dei, et observantia votorum, avertant Superi talem Metropolitanam et Protoarchimandritam. Sed qui se accommodat aulae, eius favores, et Reipublicae, in rem Unionis Sanctae et Religionis procurat, et id ipsum facit cum zelo et pietate, nec parcat expensis ullis, nec sanitati propriae, sicuti forsitan modernus Metropolitanus tota vita sua hoc fecit, talis Protoarchimandrita, seu Metropolita aulicus est laudandus potius.

Respondetur ad litteram F.

Est mirabile quod primo isti Patres sub littera A. tradebant Regulas Metropolitanis, ut iuraret, modo autem volunt ut nihil agat sine consilio; consilium autem non habet vim legis, iuramentum vero habet et tenet. Si ergo Dataria Apostolica est in manibus Metropolitanis, quomodo possunt Monachi imponere ipsi legem ratione promotionum? Sed vere in illo Capitulo Berestensi rogatus tantum fuit meus Antecessor, ut consilium sequeretur supranominatum, rogationes autem non necessitant.

Respondetur ad litteram G.

Renuntiavi quidem, sed sub conditione iuramenti praestiti a Patre (f. 267v) Stephano<sup>227</sup> in facie Dominorum Episcoporum, Archimandritarum, Cosultorum, totiusque Religionis, tunc adunatae Zyroviciis. Hoc iuramentum emissum nunquam servatum a Patre Stephano. Et nisi emitteretur tale iuramentum dependentiae a Metropolitano, nunquam Domini Episcopi, Archimandritae, et Hegumeni advitalitii permisissent ipsum eligi in Protoarchimandritam quadriennemem, sed statim elegissent Dominum Metropolitanum. Reflectat se bene Ill. mus Dominus Nuntius super hoc, quod Congregatio, quae elegit Patrem Stephanum in Protoarchimandritam, nullo pacto elegit alium Religiosum, qui esset ipsius Vicarius Generalis, ut nimirum Pater Stephanus respective quoad Monachos vocaretur quasi Protoarchimandrita, sed quoad Metropolitanum esset ipsius omnino Vicarius Generalis, et nihil sine consensu, et dependentia Metropolitanum ageret, stante tali ac taliter emisso iuramento. Renuntiatio, si quae facta a Metropolitano moderno, non potest ipsum ineligibilem facere, praesertim, quia tota Religio, inspectis circumstantiis fracti iuramenti per Patrem Stephanum, et durae servitutis, ac tractamentorum malorum contra Monachos ab ipso inductorum, habuit et habet occasionem tale regimen excutiendi, a renunciatione recedendi, et in Protoarchimandritam Metropolitanam eligendi. Cur enim stantibus tot precibus Religionis, instantiis, et lachrimis non potuit libere etiam id acceptare Metropolitanum, cui renuntiaverat. Quando tota Religio Congregata Novogrodeci annihilabat renunciationem et accedebat ad immediatam dependentiam sui Metropolitanum electi in Protoarchimandritam. Sub finem huius litterae G. fit mentio de reassumptis constitutionibus Iosephi, et ut inviolabiliter serventur. Ad hoc respondeo, ut memini bene, quod sub finem illius Congregationis Zyroviciensis uti valetudinarius non potui adesse, ut legeretur actus scriptus totius Congregationis, sed dedi blanchetta seu membranas Patri Secretario Ordinis, et Domino Episcopo Chelmsensi, fidendo ipsorum integritati, sed video multa irrepererunt, quae non fuerunt sancita vel discussa in Congregatione praefata Zyroviciensi, sicut hoc punctum: Reassumptae Leges et Constitutiones Rutschii, debent omnino abrogari, quia ego nunquam vidi nec legi istas constitutiones,<sup>228</sup> quae tantas novitates in Russia secum trahunt, et quomodo illas Sancta Sedes confirmare debet in genere, si nunquam easdem (f. 268) discussit in particulari, nec ego novi illas in particulari. Cautior post hac ero in dandis talibus blanchettis, in quibus scriptae subplantationes, quae non statim eruperunt, nisi quarto anno Regiminis Patris Stephani.

Respondetur ad litteram H.

Hoc pro me militat, quod intimaverim Capitulum uti Metropolitanus, licet non post obitum in antecessum Protoarchimandritae, quia nimirum Pater Pachomius<sup>229</sup> gesserat illud munus quadriennale et amplius, et postea, cessante illo, intimavit Capitulum non Pater Pachomius, sed Metropolitanus.

Respondetur ad litteram I.

Hoc Breve SS.mi Urbani duo continet, nempe quod Monachi in Congregationem redigantur, quod non obstat ut sint dependentes a Metropolitano; possunt enim et dependere debent, et statuta in Congregationibus suis cum dependentia a Metropolitano decernere. Haec enim erit vera Congregatio Monachorum. Alterum vult SS. mus Ur-

<sup>227</sup> Anno 1679, in Capitulo Zyroviciensi.

<sup>228</sup> Cfr. has constitutiones in *Epistolae Iosephi Velamin Rutschij, Metropolitanae Kioviensis Catholici*, Romae 1956, pag. 33, et 334.

<sup>229</sup> Pachomius Ohilevycz, Protoarchimandrita Ordinis (1675-1679).

banus, ut eligant sibi Generalem seu Protoarchimandritam, sed ubi est hoc, ut excludatur et ineligibilis declaretur Metropolitanus ad Protoarchimandritam? certe iniuria maxima infertur Metropolitanus a sinistre interpretantibus hoc Breve. Videatur idem Breve sub finem, quod dicit CAPITULA GENERALIA CONGREGANDI IN EISQUE CONSTITUTIONES RATIONABILES etc. conficiendi a Romano Pontifice confirmandas, quae interim, et caetera, observanda erunt. Ecce hic nulla mentio constitutionum Iosephi Rutschii, licet ille hoc Breve procuraverit, sed tantum fit mentio de Constitutionibus post emanatum hoc Breve faciendis in Congregationibus Ordinis. Cur ergo post tot Metropolitans, qui fuerunt semper Protho Archimandritae, urgetur haec novitas apud Sanctam Sedem confirmandi Constitutiones Iosephi Metropolitanus, cum ipse Iosephus non ausus fuerit, cum polleret tot favoribus in Curia Romana, confirmare illas apud SS.mum Urbanum. Sed isti Patres, qui gloriantur de hoc Breve SS.mi Urbani, cur tacerunt sub finem Brevis appositam clausulam: Non derogando iuribus Metropolitanis, vel si recordor bene: Sine praeiudicio iurium Metropolitanorum, et sic per totum hoc Breve nec dependentia Monachorum tollitur a Metropolitanus, nec ineligibilitas Metropolitanus in Protoarchimandritam decernitur.

(f. 268v) Respondetur ad litteram K.

Non deberent gloriari Patres quod Sede Vacante post decem et tres annos Metropolitana, ab obitu Antonii Archiepiscopi,<sup>230</sup> susque deque omnia ibant in Religione; modo enim Pater Benedictus electus fuit in Provinciale,<sup>231</sup> brevi statim Dominus Iacobus Susza, Episcopus Chelmensis, elegit se in Protoarchimandritam in uno loco,<sup>232</sup> in alio loco electus in Protoarchimandritam meus Antecessor Gabriel, dum adhuc non esset Metropolita,<sup>233</sup> et sic chaos, confusio et dismembratio in Religione erat, quisque enim pro suo genio vel Gabrielem, vel Iacobum, vel Benedictum sequebantur. Interim Sancta Sedes cum non posset tam cito praeconizare Metropolitanum Gabrielem, et gratiam ipsi signatam expedire, neutri horum idque ad tempus modicum, hoc est neque Gabrieli neque Iacobo commisit regimen, et munus Protoarchimandritale Religionis, nisi tantum bonae memoriae Michaeli Pociey,<sup>234</sup> Episcopo Vladimiriensi. Sed postquam praeconizatus fuit ab Alexandro VII meus Antecessor Gabriel in Metropolitanus, fuit intimata Congregatio pro alectione Generalis,<sup>235</sup> et fuit electus in talem meus Antecessor Gabriel Metropolitanus in praesentia Eminentissimi Pigniatelli, tunc Nuntii Apostolici. Et notandum, si Religio iuxta Breve SS.mi Urbani habuit ius eligendi Protoarchimandritam sine Metropolitanus, cur Sede Vacante Metropolitanus non elegit sibi Patrem Benedictum in Proto Archimandritam, sed tantum Provinciale, quia nimirum hoc Breve non excludit Metropolitanus ab eligibilitate, sed nec excludit Monachos, dummodo hi sint dependentes, et nihil statuant sine consensu Metropolitanus, multo minus non pertineant ad promotiones Episcopatum, Archimandritarum, et Hegumenatum. In quo palmariter erravit et errat Pater Stephanus, contraveniendo suo iuramento, quod fusissime expressi in meis anterioribus responsis

<sup>230</sup> Anno 1655.

<sup>231</sup> Benedictus Terleckyj, Provincialis, electus anno 1656, et demum reelectus alia vice an. 1661, in Capitulo Torokanensi. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 11-13.

<sup>232</sup> In Capitulo Zyrovicensi an. 1661, diebus 19-27 Decembris.

<sup>233</sup> In Capitulo nullo Suprasliensi (2. II.) an. 1661.

<sup>234</sup> Iohannes Potij, Episcopus Volodimiriensis (1655-1666).

<sup>235</sup> Capitulum Berestense an. 1667, diebus 4-5 Martii, sub praesidentia Nuntii Apostolici, Antonii Pignatelli.

Ill.mo Domino Nuntio Apostolico, Leopoli porrectis; notandum quoque sub litera hac est, quod Pater Benedictus quomodocumque tunc electus in Provinciale, tamen iuramentum pro hoc officio praestitit, et cur Pater Stephanus curabat dispensari Romae (f. 269) ab hoc iuramento, quod iuramentum praestitit Metropolitano in facie Hierarchiae totius Russiae? Cur tunc non reclamavit? statim enim esset a toto Capitulo abrogatus. Cur continuavit quadriennale Regimen stante tali iuramento, a quo dispensari voluit?

Respondetur ad litteram L.

Frustra adducitur haec Congregatio 1658, Zyroviciensis, nec potest obesse ineligibilitati Metropolitani ad munus Protoarchimandritale, quia tunc meus Antecessor Gabriel fuit Administrator tantum, et non Metropolita, cum potuerit designari in Administratorem Metropolitae alius Episcopus. Bene est, quod pro illo tempore turbatissimo et Sede Vacante fuerit ad modicum tempus electus Pater Benedictus in Provinciale, satius enim erat, ut sub aliquo Regimine Religio esset, quam omni careret, sed tamen deberent fateri Patres, quod subsecuto obitu Patris Benedicti Provincialis,<sup>236</sup> Sede Vacante Metropolitana, duo Pseudo Capitula<sup>237</sup> convocata, a Domino Episcopo Chelmensi Iacobo, et Administratore Metropolitae Gabriele, uterque in diversis locis electus in Protoarchimandritam, quod est annullatum Brevi Alexandrino.<sup>238</sup> Non erat ergo mirum, quod talia Sede Vacante contingebant. Mirum est et nunquam auditum in Russia, quod mihi Metropolitano iam undecim annis in hoc throno sedenti in duobus Capitulis Minscensi, et Novogrodensi<sup>239</sup> electo in Protoarchimandritam, tales excogitantur vexationes per aliquot Patres, et procurantur annulationes cum summo scandalo Christi fidelium et Schismaticorum, cum dilapidatione thesauri Beatissimae Virginis Zyroviciensis, ubi aliquot milliones numerabantur auri, argenti, et gemmarum eius Sacrae Iconis; nunc sedendo ad istum thesaurum, subministrant Romam pecunias Patri Georgio,<sup>240</sup> discollissimo et faetidae vitae Religioso, pro litigiis contra Metropolitanum. Quod certe non liceret, ne loco quietis, quam Sancta Sedes Apostolica intendit, et vult plantare in Russia, sequantur detestanda scandala, lucta et collisio, et, avertat Deus, nobis discordibus ne schisma praevaleat, et Episcopus Leopoliensis intus rapax lupus, cum suo Winnicki, palliati uniti, totam plane Unionem Sacram non subruant, et me ipsum (f. 269v) qui hactenus cum decore Sanctae Romanae Ecclesiae restiti schismati, ac Unionem Sanctam auxi, labescere, aut cadere animo non efficiant. Si enim separabitur a dependentia Metropolitani Religio ad instantiam aliquorum Patrum istorum, novitatum amatorum, quae in posterum cura mihi erit, tum animarum, tum conversionis Schismaticorum, tum promotionis Religiosorum Basilianorum ad Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimandrias, Hegumenatus? Cum tamen omnia ista de Jure Regio, Reipublicae, Nobilium spectant ad me.

Respondetur ad litteram M.

Jam abunde respondi quod pro Regimine quali quali Religionis Sede Vacante Metropolitana eligebatur in Provinciale tantum Pater Benedictus,<sup>241</sup> sed non in Protoarchimandritam. Si enim habuit Religio ius Sede Vacante eligere, cur non elegit? Et

<sup>236</sup> Anno 1661.

<sup>237</sup> Agitur de Capitulo Zyrovicensi an. 1661, diebus 19-27 Decembris.

<sup>238</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 582, nr. 530, sub dat. 30. V. 1665

<sup>239</sup> Anno 1683 et 1684.

<sup>240</sup> Georgius Malejevskyj. Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

<sup>241</sup> Benedictus Terleckyj (1656-1661).

quomodo iste purus Monachus quadriennalis vel triennalis, sine consensu, dependentia, et autoritate Metropolitanis visitabit Monasteria Abbatia quaeerent vel Episcopi, vel Abbates, vel Superiores ad vitalitii, nullus enim permittet se visitari et puniri ab impari, nisi suffulto autoritate et consensu Metropolitanis, eiusque brachio assistrice.

Respondetur ad litteram N.

Hoc certissimum et indubitatum est quod mortuo R.ndo Patre Podbereski,<sup>242</sup> Theologo Romano, in Italia, dum rediret in Patriam (quem destinaverat sibi Josephus Rutschius in Coadiutorem Metropoliae, egregius enim erat) non alius potuit et debuit, esse Coadiutor Josephi nisi Raphael Korsak, insignis Theologus et praestantissimi pro Sancta Unione zeli. Tandem Josephus, senio confectus, sciens Raphaelem tantum hunc et non alium suum Coadiutorem pro alleviandis suis hierarchicis laboribus, curavit ut munus Protoarchimandritale (f. 270) susciperet, sicuti et suscepit, et statim brevi factus est Episcopus Pinscensis,<sup>243</sup> et Coadiutor Metropolitae Kiioviensis,<sup>244</sup> atque sine mora post decessum Josephi evasit Metropolitanus,<sup>245</sup> et ad vitae tempora Protoarchimandritam seu Generalem Ordinis egit.<sup>246</sup> Quaeso hic, cur Religio, postquam factus Raphael Coadiutor (qui est idem quod et Coadiutor ratione futurae successionis), non reclamavit statim, nec verbum dixit Josepho viventi, cur nobis violas hanc legem, nempe pateris et permittis ut tuus Successor Archiepiscopus Haliensis Raphael prosequatur et gerat munus Protoarchimandritae, idque contra Breve a semetipso expeditum apud S.S. mum Urbanum VIII? Si enim huius Protoarchimandritae in persona simplicis Monachi fuit Legislato et Conditor Josephus, cur illum probavit, passus est, et vidit in suo Coadiutore Raphael? Qui per omnia et in omnibus subiectissimam parentiam suo Coadiuto Josepho quoad res Religionis testatus est, et demonstravit.

Respondetur ad litteram O.

Ut verum fatear quod in ista Congregatione 1675, praesente Domino Benedicto,<sup>247</sup> Episcopo Vladimiriensi, excluderim me a munere Protoarchimandritae, idque non reperitur hoc verbum: ut perpetuo, hoc est stante tota vita hoc fecerim vel promiserim, sed illam exclusionem meae personae quam feci, coactus feci, et pleno ore dico coactus feci. In hoc rogo audiri, perpendi et exaudiri. Notum est Sacrae Congregationi de Propaganda Fide et Sanctae Sedi Apostolicae quod ego promotus ad Coadiutoriam Metropoliae cum futura successione, quantas et quam ingentes subiverim difficultates et lites cum tribus Dominis Episcopis Russiae, tamque acres obiectiones sustinuerim, ut vix non deventum fuerit ad detrusionem ex Coadiutoria, sed postquam factus Metropolitanus, cum viderem contra me continuari iurgia, imo cum viderem venisse Dominum Episcopum Vladimiriensem Benedictum ad Capitulum electionis (f. 207v) Protoarchimandritae, et quaerere modos, ut praeberem aliquod exemplum turbationum et scissionum in Religione, caepit praedictus Benedictus Episcopus extorquere, ne essem eligibilis in Protoarchimandritam. Adverti quod scirpus quae-rebatur in nodo, et occasio querulandi, et postea Sanctae Sedi meum inquietum

<sup>242</sup> Anno 1624, in Italia septentrionali, dum in patriam iter faciebat.

<sup>243</sup> In Synodo Kobrynsi an. 1626, mense Septembri.

<sup>244</sup> Anno 1631.

<sup>245</sup> Post diem 5 Februarii 1637.

<sup>246</sup> Usque ad annum 1640, quo anno, mense Augusto, Romae obiit.

<sup>247</sup> Benedictus Glinskyj, Episcopus Volodimiriensis (1667-1678).

regimen repraesentandi, annui coactus, et curavi ut eligeretur Pater Pachomius,<sup>248</sup> mihi tunc addictissimus, et toto suo quadriennio pacem mecum et dependentiam colens. Solus ergo iste Pater respectu Monachorum potest vocari Protoarchimandrita, respectu vero mei Vicarius Generalis. Sicut de facto Pater Pachomius sub meo Antecessore Gabriele Protoarchimandrita fuit bis aut ter electus Vicarius Generalis seu Provincialis mei Antecessoris. Interim cur ego coactus, (ut coram Deo testor) debeo excludi a munere Generalatus in duobus Capitulis, Minsci et Novogrodeci electus. Siquidem parendo mandatis Sacrae Congregationis 17 Iulii, anno 1684, latis, accepto illos Patres pro Consultoribus; et si Sancta Sedes habuit respectum Patrum Consultorum (quorum Consilium nullum est sine me) eorumque officiorum et Monasteriorum, quae restituta sunt ipsis, supplicarem Illustrissimo Domino Nuntio, ut longe maior sit respectus honoris mei, mihi a tota Religione bis collati, hoc est Generalatus quadriennalis, ne sequantur dismembrationes et scandala.

Respondetur ad litteram P.

Jam est responsum abunde sub littera G. ad verba illa § ultimo, ubi incipiunt verba: sic habetur ut quid recoquere cramben, hoc tantum addo, quod actus ille Congregationis de Constitutionibus Ruscii in genere confirmandis irrepsit propter concreditas membranas seu blanchetta Patri Secretario Ordinis. Nec SS.mus solet confirmare Constitutiones in genere (f. 271) nec ego potui cum tota Congregatione id attentare, hoc autem factum est a Patre Stephano et Patre Secretario moderno Josepho,<sup>249</sup> quia per ista placentia regimini aliquod Monachorum solipsorum parabatur diminutio auctoritatis Metropolitanae, excussio dependentiae, denegatio recursus oppressis Religiosis ad Metropolitanum, et ab hoc ad Sanctam Sedem Apostolicam, seu potius immediate ad Ill.num Dominum Nuntium.

Respondetur ad litteram Q.

Quicumque illi adfuerunt Congregationi anni 1623, rogo exhibeatur Originale mihi, nam nunquam vidi, et Beatus Josaphat illo anno fuit occisus, unde non entis nullae sunt passiones, et quomodo occisus subscripsit?<sup>250</sup> Verum debent concordari tempora et concordabimus scripturas, deinde miror, quod tam classicae et memorandae Congregationi vix decem et octo se subscripserunt, idque nescio cuius dignitatis, cuius praeeminentiae fuerunt hi Religiosi? est signum manifestum quod res ficta et verba aere sonantia sint.

Ultimo tandem ad Juramentum in illo Capitulo  
praestitum a Patribus Congregatis  
respondentur.

Bene fecerunt illi boni Congregati, quod in asserto illo Capitulo iuraverint observaturos se Ritus, Vota Religionis et Regimen Protoarchimandritae. Hoc ipsum non excludit Metropolitanam a Protoarchimandria, quia Metropolitanus ille est, qui observat et observari curat Ritus, et in hoc verbo: Ritus Graecus, continentur iura Orientalis Ecclesiae, dependentia Monachorum a Metropolitanano, et suis Ordinariis,

<sup>248</sup> Pachomius Ohilevycz (1675-1679).

<sup>249</sup> Josephus Pietkevycz, Procurator in Urbe (1665-1669), dein Secretarius Ordinis (1679-1686), et demum Protoarchimandrita Ordinis (1686-1690).

<sup>250</sup> Revera Capitulum habuit locum mense Julio-Augusto (28. VII - 5. VIII), s. d. Ruthaense; S. Josaphat vero occisus fuit Vitebsci die 12 Novembris 1623. Ergo nulla contradictio invenitur; imo certe scimus Beatum in hoc Capitulo partem habuisse.

hoc totum pro me militat. Quoad Vota Religiosa, ille est Metropolitanus, qui observat et observari curat, et pro violatione illorum publica et notoria hoc anno elapso punivit aliquot, de quo coram Illustrissimo Domino Nuntio secreta habebitur conferentia.

ADDO:

(f. 271v) Quidquid dicant isti aliquot Patres Consultores, hoc certum est, quod ista Religio Sancti Basilii est Seminarium Metropolitanum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Archimandritarum; cur talis ac tantae Religionis non potest esse Generalis Archiepiscopus, unde haec incompatibilitas orta, et per ora vulgi volitat, et Sanctam Sedem Apostolicam male informat, et inquietat. Omnes quotquot fuere in antecessum Metropolitanus Michaël, Hipatius, Josephus, Raphael, Antonius, Gabriel fuere Protoarchimandrita Ordinis Sancti Basilii. Solus ego displicui aliquot istis bonis Patribus (parcat Deus), quia auxi Religionem fortunis, foundationibus, personis, redditibus; DEUS det ipsis meliorem posthac Metropolitanum, quando ego curavi tota vita mea ne sim deterior meis Antecessoribus. Mitto quoque Ill.mo Domino Nuntio Apostolico, Domino meo, librum, cui titulus THESAURUS SAPIENTIAE DIVINAE R.ndi Patris Thomae a JESU,<sup>251</sup> Carmelitani Discalceati, in quo exprimitur accessio Ruthenorum sub Clemente VIII ad eius obedientiam; dignetur legere saltem ubi apposui lineas, incipiendo a pagina 327 usque ad paginam 334. Habeo penes me Originale horum; continetur in hoc libro dependentia Monachorum, Monasteriorum a Metropolitanis. Non nego quod et Religiosus potest eligi in Protoarchimandritam, sed cum iurata dependentia a Metropolitanis. Secus si fiat, quod nimium sit Protoarchimandrita independens et non iuratus, sequitur exemptio Religionis a Metropolitanis, dismembratio etiam scandalosa. Si ergo Metropolitanus liberam electionem concedit, ut possit eligi etiam quandoque Religiosus, cur isti quatuor contra torrentem Religionis nituntur, et nolunt ut Metropolitanus quoque eligatur, sicuti de facto modernus fuit bis electus. In quorum omnium fidem manu propria subscribo.

Datur Torokaniis, 23 Febr. 1685.

F. CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae (mpr).

## 69.

*Torokanie, 24 . IV . 1685.*

*Explicat causam aversionis Georgii Maleievskij, quem olim beneficiis cumulavit, petitque pro conservatione iurisdictionis in monachos.*

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6647, fol. 119-120v.

Eminentissime et Reverendissime Princeps ac Domine, Domine, Patrone et Protector Regni Colendissime.

Obsequium meum devotissimum erga Sanctam Sedem Apostolicam, et Sacram Congregationem de Propaganda Fide non semel testatus sum, etiam periculis vitam et fortunas meas committendo, dummodo schisma non proficeret, uti Divina Maiestate favente sub mea Metropolia non profecit, quod et Episcopi schismatici extincti in Russia, et plebs Roxolana infecta erroribus Photianis non saeviat iam ita contra Sanctam

<sup>251</sup> Editum fuit opus hoc Anteverpiis an. 1613.



Romanam Ecclesiam, Dominam et Nutricem meam charissimam. Sola gratia Sanctitatis Suae, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, et Eminentiae Vestrae, uti Regni huius protectoris, desideratur mihi, quando aliquot monachis, duobus vel tribus praecipue, adhibetur fides, qui volunt perniciosissimas Ritui Orientali introducere novitates, dependentiam a suo Archiepiscopo excutere, et cum sint omnes in mea Dioecesi Curati, nolunt visitari, nec venire ad Sinodos Dioecesanarum. Jus patronatus Serenissimae ac Invictissimae Maiestatis, Domini mei et Regis Clementissimi (fundatum alias in sacris et oecumenicis Conciliis, et novissime in Tridentino) non modo oblivioni reddere, sed violare, et tollere, ipsis votum est. Sicuti Eminentiae Vestrae, suo decreto decima septima Iulii 1684 lato, Patri Simeoni<sup>252</sup> iusserunt restituere monasterium Minscense, quod est Archimandritale, et tenet illud sine privilegio principis, unde non potest in praeiudicium Sacrae Regiae Maiestatis, eiusque praesentationis subsistere in praefato Abbatiali monasterio. Isti iidem duo tresve monachi Ritum Latinum, contra mentem Sanctae Sedis Apostolicae, contendunt introducere per monasteria meae Dioecesis. Parui equidem mandato Eminentiarum Vestrarum, et comparui coram Illustrissimo Domino Nuntio Apostolico, dilui obiecta, legitimitatem congregati Capituli Novogrodecii deduxi,<sup>253</sup> Patres illos acceptavi pro Consultoribus de mandato Eminentiarum Vestrarum. (f. 119v) Superest, ut Eminentia Vestra, inclytus protector Regni huius, respicere dignetur, an hoc conducet iterato electum detrudi honore Generalatus Metropolitanum, et Capitulum iterum atque iterum annullari, novumque indicium cum exterminio pauperum Religiosorum, et stante belli turcici mole, et contributionibus hybernis militaribus, quod totum sanciretur propter duos aut tres inquietos, quibus nihil potest nocere, nisi mea nimia familiaritas, bonitas, et effusa in ipsos ac Religionem charitas; sicuti Pater Georgius,<sup>254</sup> qui est Romae, expertus palpabiliter, quod per meam gratiam et promotionem decoratus fuit in hoc Ordine, uno quidem superioratu Zuroviciensi, alio superioratu Czereiensi, et consultoratu Religionis Basilianae. Exarsit contra me eo, quod ad instantiam multorum extradiderim citationem contra ipsum, in materia gravissima, idque non semel violationis votorum, quod ipsum, hisce cognitis, paratissimi erant deponere, tacto pectore coram Illustrissimo Domino Nuntio, viri magnae notae, sicut aliqui deposuerunt et si opus erit ad oculum in reditu Patris Georgii deponent. Ut quid vapulo pro bono opere, quia nimirum zelo offensam Dei exstirpari? Tres quoque monachos hac hyeme punivi pro publica et notoria violatione votorum, sed levissima inflicta poena, nempe tonsione capillorum et barbae, ut saltem eos paeniteat peccasse. Supplico itaque Eminentiae Vestrae, ut bene consideratis Sacrae Regiae Maiestatis epistolis, censeat illas in corde et animo suo principe, non esse emendicatas, verum rationibus Suae Maiestatis, huius Reipublicae consonantes, (f. 120) iura metropolitana, cum quibus ad gremium Sanctae Romanae Ecclesiae accessimus, promoventes et conservantes. Jura porro illa et dependentia monachorum ab Episcopis facile possunt videri in libro Reverendi Patris Thomae a Jesu, Carmelitani Discalceati, cui titulus: *Thesaurus sapientiae divinae*, incipiendo a pagina 327, usque ad paginam 334. Si haec indulta a Sanctissimo Clemente VIII nobis violabuntur, actum erit de Unione Sancta in Russia. Ego quidem in omnia flagella paratus, sed Clerus amplissimus cum tot millibus ecclesiarum, cum

<sup>252</sup> Symeon Cyprianovycz, Consultor Ordinis, et Superior Minscensis.

<sup>253</sup> Anno 1684, diebus 11-12 Martii.

<sup>254</sup> Georgius Malejevskyj, Consultor Ordinis et Superior Czereiensis; ab anno 1690 Archiepiscopus Smolencensis.

tot millionibus animarum, tot monasteria abhorrentia istos tres monachos inquietos, certo certius scandalisarentur cum evidenti periculo (avertant Superi) recessus ab obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae; mallet millies mori, quam videre hoc diebus meis. Haec pro mea sinceritate, et submississima erga Eminentiam Vestram veneratione, proponens, et supplicans exaudiri una cum Dominis Episcopis meis confratribus idem sentientibus, et Religione tota mihi adhaerenti, sacram purpuram Eminentiae Vostrae humillimo colo osculo maneoque quoad vita superior sum

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae  
humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus e Schiavo

✠ CYPRIANUS ZOCHOWSKI

Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis (m. p.)

Torocaniis, 24 Aprilis 1685.

70.

*Varsavia, 1 . IV 1685.*

*Episcopi de monachis Basilianis conqueruntur et ut malis remedium daretur petunt.*

ASV, Litt. *Episcoporum*, vol. 68, fol. 43.

Eminentissimi et R.mi Principes ac D.ni, D.ni, et Patroni Colend.mi.

Post tot iurgia et tricas aliquorum Patrum Ordinis S. Basilii contra Ill.mum D.num Metropolitanum Romae coram Eminentissimis Vestris excitatas, gliscentes et auctas ingemiscimus omnes, quod mala haec non supprimantur, et ad quietem desideratam non modo non reducantur, sed per nova et nova in dies molimina iura Metropolitana a Sancta Sede Apostolica, et a Ser.mis Maiestatibus Regum Poloniae et Reipublicae sacrosancte approbata convellantur, non sine enormi scandalo Christi, et Sanctitatis Suae, fidelium Unitorum ac durae cervicis Schismaticorum. Produximus his diebus omnia iura Sanctae Sedis Pontificia, Regalia, et huius Reipublicae coram deputatis Patribus duobus Religiosis, Capuccino et Jesuita, exorantes Ill.mum Dominum Nuntium, ut conservet nos, imo gerat se protectorem Rituum Orientalium, item iurium, Rescriptorum, Decretorum, Bullarum Sanctae Sedis, necnon privilegiorum, constitutionum et legum huius Reipublicae in favorem Metropolitanum Russiae et Episcoporum unitorum. Cum his enim accessimus ad gremium Sanctae Romanae Ecclesiae, his stat Unio Sancta, et tanquam clypeum opponit feritati Schismaticorum. Et quid novitatum amatores tentant Sanctam Sedem, quae semper tenacissima fuit et zelabat pro conservatione Rituum? Omnes monachi Basiliani, eorumque monasteria sunt curata, ac proinde omnibus titulis dependent a suo Metropolitano et E.pis, in quorum dioecesisibus habet nidum Ordo praedictus Sancti Basilii, et quorum auctoritate fovetur et augetur. Nullum est miraculum, nec ulla incompatibilitas Proto-Archimandriae seu Generalatus cum gradu Archiepiscopali Metropoliae. Semper non tot, quin plures fuere Metropolitanum Proto-Archimandritae Ordinis. Cur aliter repraesentatur Vestris Eminentissimis? Et cur haec quadriennalis Proto-Archimandria in personam Ill.mi Domini Metropolitanum facta, tantum facessit negocium? Rogamus proinde humillime Eminentias Vestras et Sanctam Sedem, ut nihil hac in parte innovetur. Ad aeviternum constantes quod simus

E.marum et R.marum Dominationum Vestrarum  
humillimi, devotissimi et obedientissimi Servi

CYPRIANUS, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis (mpp.)

LEO ZALESKI, Prothotronius Metropoliæ Kioviensis et Haliciensis,  
Vladimiriensis et Brestensis Episcopus (mpp.)

IACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmensis.

MARTIANUS BIALOZOR, Episcopus Pincensis, Praepositus Domus  
professae Vilmensis.

Prima Aprilis 1685, Varsaviae.

## 71.

Vilna, 16 . II . 1686.

*De novo Capitulo congregando Basilianorum deque praesidentia in eo Thomae Viejski.*

APF, *Scrirt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 251rv.

Ill.me et R.ndissime Domine. Domine et Patrone Colendissime.

Ultimis Januarii prope Polociam, in meo Archiepiscopatu, accepi desideratissimas Ill.mae Dominationis Vestrae, quas consignaverat meo P. Auditori Leopoli, statimque me accinxi Vilnam, et curavi reddi epistolam Ill.mae D. V. Rev.mo in Christo Patri Thomae Vieyski,<sup>255</sup> Societatis Jesu, Domus Professae Vilmensis Praeposito, laudavique Dominum Deum quod Ill.ma V. D. non sine afflatu divino delegaverit eundem Capitulo nostri Ordinis Praesidentem, olim Praesulem, Senatorem, et consumatae prudentiae ac pietatis Virum. Proinde reverendissima erga S. Sedem ac Ill.mam D. V. submissione (quam semper ore cordeque gero et colo) talem ac tantum Delegationem accepto, eiusque Praesidentiae Apostolicae morem geram, et spero in Domino, omnia feliciter cessura, ad votum Matris meae Religionis, et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, cuius mandata tanquam salutis meae aeternae rationes exosculor. Sola difficultas temporis, ac loci pro convocando Capitulo futuro<sup>256</sup> manet superanda, (f. 251v) eaque consistit in tribus Mensibus, qui actum convocandi Capituli necessario praecedere debent, quod neququam fieri poterit, nisi ultimis Junii, quibus commoditates omnes adunandis Ill.mis Dominis Episcopis, Archimandritis, Consultoribus ac Patribus Ordinis Vocalibus praestari possunt, desiderarem, et supplicarem, ut Vilnae celebretur hic Actus, propter multa et gravissima, quibus et hoc non pessimum accedit, quod R.ssimus Pater Thomas Vieyski, ob venerandum senium, hac commoditate loci frueretur, quod ubi nimirum agit Praepositum, Praesidentis quoque officium adimpleret. Caeterum tam cito convocari Capitulum, stantibus Regni calamitatibus, quas a militibus patimur (horrendas enim hic lithuanicus miles devastationes nostris intulit bonis) erit impossibile. Haec omnia arbitrio Ill.mae D. Vestrae trutinanda, et moderanda subiiciens nostra, totum gratiae Ill.mae D. V. impensis commendando precibus, eiusque sacram purpuram devotissimo veneror basio, sum etenim

Ill.mae et R.mae D. Vestrae.

humillimus, devot. mus et oblig. mus Servus

CYPRIANUS, Archiepiscopus t. Russiae et Polocen. (mp.)

Vilna, die 16 Februarii, 1686 Anno.

<sup>255</sup> Superior tunc temporis monasterii Societatis Jesu Vilmensis, Antea ad annum 1677 Episcopus Kioviensis Latinorum.

<sup>256</sup> Capitulum locum habuit Novogrodeci, diebus 1-10. VIII. 1686.

## 72.

*Zyrovyczi, 30 . VIII . 1686.**Refert de actis Capituli Novogrodecensis.*APF, *Congregationi Particolari*, vol. 29, fol. 316.Eminentissimi et Rnd.mi Principes, S. R. E. et Sac. Congr. de Prop. Fide Cardinales,  
Domini, Domini et Patroni Colend.mi.

Cum nihil in vita mea optabilius habeam, quam mandatis Eminentiarum Vestrarum obedire, atque earumdem menti conformari, hinc est quod in proxime praeterito Capitulo Ordinis mei Novogrodec<sup>257</sup> ita me gesserim, ut voluntates Eminentiarum Vestrarum adimplere curaverim, et auctum Religionis meae, Nutricis charissimae, zelaverim. Idque totum adscribendum non tam meae tenuitati (quid enim sum in conspectu Eminentiarum Vestrarum) quam pietati et consumatae prudentiae Religiosissimi ac Rnd.mi Patris Thomae Vieyski,<sup>258</sup> Soc. Jesu, Praepositi Domus Professae Vilmensis, eiusque socii in Secretarium ad hunc actum assumpti, Admodum Rn.di Patris Joannis Berentt, Ex-provincialis Lithuaniae Societatis Jesu Provinciae. Cedant omnia ad incrementum Unionis Sanctae et Religionis Basilianae. Mihi non restat aliud quam ut ista omnia, quae mittuntur a Rnd.ssimo Patre Praesidente subdelegato, eiusque manu signata, per Eminentias Vestras, ac Ill.mum Dominum Cibo, Sac. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium,<sup>259</sup> suprema autoritate et benedictione Sanctissimi Domini mei firmentur et confirmentur. Sacras interim purpuras Eminentiarum Vestrarum devotissimo veneror osculo, earumque gratiae instantissime commendans, maneo scriborque

Eminentissimarum et Reverendissimarum Dominat. VV.m  
humill.mus, devot. et oblig.mus

F. CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiep. Metrop. tot. Russiae  
Zyroviciis, die 30 Augusti, Anno 1686.

## 73.

*Torokanie, 3 . IX . 1686.**Petit pro confirmatione Actorum Capituli nec non commendat Procuratorem in Urbe.*BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6647, fol. 121.

Eminentissime et Reverendissime Princeps ac Domine,  
Domine, Patrone et Protector Regni Colendissime.

Venio ad Eminentiam Vestram, gaudium coalescentiae Religionis Basilianae mecum, et mei cum illa significans. Brevi mittentur acta Capituli Novogrodensis,<sup>260</sup> per

<sup>257</sup> Diebus 1-10 Augusti.<sup>258</sup> Cfr. notam 255.<sup>259</sup> Eduardus Cybo (1680-1695).<sup>260</sup> Anno 1686, diebus 1-10 Augusti.

Illustrissimum Dominum Nuntium Apostolicum,<sup>261</sup> quae porro confirmari a Sancta Sede Apostolica (est enim perpetuitatis opus, norma et scopus vivendi) humillime Eminentiae Vestrae supplico; summis etenim studiis, et maturis deliberationibus omnia discussa et ab electo Protoarchimandrita, Reverendissimo Patre Josepho Pietkiewicz,<sup>262</sup> ex-Secretario Ordinis, iuramento corporali, in facie Ecclesiae, et Reverendissimi Patris Praesidentis subdelegati (vere consummatae prudentiae, sanctitatis, et dexteritatis viri) coram me, Metropolitano, roborata. Sit ergo pax, redeat charitas, reflorescat observantia, cessent affectus, cessent respectus, maneat Christus, et idem crucifixus in nobis. Haec bona nuntia fero Eminentiae Vestrae, uti inclyto et excelso Regni nostri protectori, ac Religionis meae in Urbe, per Eminentissimum quondam (pietissimae memoriae) Cardinalem S. Onuphrii Barberinum,<sup>263</sup> fundatorem. Rogans quoque enixis precibus, ut R. P. Josephum de Camillis, Procuratorem generalem et Superiorem Sanctorum Sergii et Bacchi,<sup>264</sup> (confirmatum capitulariter ad quadriennium) sua singulari gratia et dignationibus cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide prosequi et fovere non cesset. Me vero, qui mandata Eminentiae Vestrae et Sacrae Congregationis devotissima et iurata fide colui et colo, eiusdem gratiae Eminentiae Vestrae commendans, sacram purpuram devotissimis basiis osculor scriborque

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae  
humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus

✠ CYPRIANUS ZOCHOWSKI.

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae et Polocensis (m. p.)  
Datum Torocaniis, die 3 Septembris, 1686 Anno.

## 74.

*Torokanie, 30 . VIII . 1687.*

*Commendat novum Alumnum ad Collegium Graecorum missum.*

TABULAR. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. 7, fol. 282, 285v.

Venerabilis et Admodum Reverende Pater, Rector Collegii Graecorum.  
Frater et Patrone Observantissime.

Tot inter curas Ecclesiarum et praesertim in hac vastitate Archidioecesis Russiae, non postrema me angit sollicitudo, ut nobis deficientibus et iam attritis succedant digni Operarii, Ordinis nostri Basiliani monachi. Et quia de mandato Reverendissimi Patris Generalis nostrae Religionis redit ad gremium matris suae R. P. Iosaphat Hutorowicz,<sup>265</sup> proinde in locum eius R. P. Meletium Doroszkowski,<sup>266</sup> Ordinis S. ti Basilii

<sup>261</sup> Tunc temporis erat adhuc Opitius Pallavicini (1680-1688).

<sup>262</sup> Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

<sup>263</sup> Antonius Barberini, Card. tit. S. Onuphrii, qui anno 1640-1641 Basilianis Romae concessit ecclesiam et aedes sic d. Hospitii SS. Sergii et Bacchi, Obiit an. 1646.

<sup>264</sup> Ann. 1674-1689.

<sup>265</sup> Alumnum Collegii Graecorum de Urbe (1685-1687). Studuit theologiae, venit vero iam doctor in philosophia. Anno 1797 nominatus Archiepiscopus Smolenscensis.

<sup>266</sup> P. Meletius Doroszkovskyj, Alumnum Collegii Graecorum de Urbe, ingressus an. 1687; studuit theologiae an. tertio et quarto; sacerdos; natus die 29 Septembris 1663.

Magni Professum Presbyterum, biennem iam Theologum, Paternitati Vestrae apprime commendo, ac recipi quantocius ad illud inclytum Collegium (ubi quonodam sub suavissimo Sanctissimae Societatis regimine septenne curriculum Philosophiae ac Theologiae gloriolae meae peregrinasse) supplico. Respondebit ille et voto Collegii, quod fuit Nutrix mea charissima, et observabit nutus Paternitatis Vestrae, quam Dominus Deus servet incolumem educandae et excolendae florentissimae iuventutis Sacrae Orientalis Ecclesiae. Modo vero me totum quantum gratiae Paternitatis Vestrae impensis devoveo studiis maneoque

multum Venerabilis et Adm. Rev.dae Paternitatis Vestrae  
observantissimus ac devotissimus Servus et Frater

CYPRIANUS ZOCHOWSKI

Archiepiscopus totius Russiae et Polocen.

Torokaniis, 30 Augusti 1687.

fol. 235v: Admodum Rev.do in Cristo Patri GEORGIO SENEPÀ, Soc.tis Jesu.  
Rectori Collegii Graecorum. Romae

## 75.

*Torokanie, 30 . VIII . 1687.*

*Commendatur Antonius Zolkevskij, ut recipiatur in Collegio Urbano.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 322.

Illustrissime et Reverendissime Domine,  
Domine, et Patrone Colendissime.

Supplicaveram non ita pridem pro recipiendis duobus Religionis meae Basilianae Alumnis ad Sacrum de Propaganda Fide Collegium; facessebat negotium iam pie functus Rnd.ssimus Dominus Jacobus Susza Episcopus Chelmensis,<sup>267</sup> eo quod impetraverit pro duobus suae dioecesis Monachis locum in Propaganda. Modo vero cum non adsint talia subiecta, et necessitas operariorum eadem manet in mea Dioecesi Archiepiscopali, supplico Ill.mae Dominationi Vestrae, et per eandem toti Sacro Collegio Eminentissimorum Purpuratorum Dominorum meorum, ut R. P. Antoninus Zolkiewski,<sup>268</sup> Professus et Presbyter Ordinis nostri Basiliani, alias Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri Clementissimi, hodie feliciter regnantis, Nepos, in eodem Sacro de Propaganda Fide Collegio pro theologicis recipiatur studiis. Quod enixis precibus apud Ill.mam Dominationem Vestram exorans, me gratiae eiusdem instantissime commendo, scriborque

Ill.mae et Rev.mae Dominat. Vestrae

Supplico ancor a V. Signoria Ill.ma, Nostro Signore, per la conferma del nostro Capitolo che habbiam fatto a Novogrado, e già che siam tutti d'accordo, (il che vo-

<sup>267</sup> Obiit verosimiliter anno 1686.

<sup>268</sup> Alumnus romanus, dein vero Episcopus Pinscensis (1697-1702). Proveniebat ex Galicia, seu Ucraina Occidentali, unde etiam Rex Poloniae, Joannes Sobieski, ortum suum habuit, ubique familia eius bona haereditaria possidebat. Inde eius consanguinitas cum Rege.

leva la Santa Sede Apostolica e la Sacra Congregazione della Propaganda Fide) stimarei, che meritiamo d'ottenere la confermazione desiderata, degl'atti Capitulari, mandati un pezzo dall'Eminentissimo Sig. Card. Nunzio di Polonia.

humillimus, devotus et obligatus Servus et Schiavo

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Arch. Metr. totius Russiae.

Torokaniis, 30 Augusti 1687.

## 76.

*Novogrodek, 23 . III . 1690.*

*Joanni Pastricio commendat novum Procuratorem in Urbe, nec non certiorat de proxima editione Missalis sclavonici.*

BIBL. APOST. VAT., *Borg. lat.*, vol. 503, fol. 331rv.

Perillustris et Reverende Domine,  
Domine, Frater et Patrone Colendissime.

Veneror Perillustrem Dominationem Vestram hac felici et multum certa occasione per A. R. Patrem Polycarpum Filipowicz,<sup>269</sup> destinatum in Procuratorem Generalem Ordinis S. Patris nostri Basilii Magni, quem patrem ex meo brachio, ut dignissimum, commendo Perillustri Dominationi Vestrae, et ab eadem comendatum volo. Vellem fieri certus, utrum Lexicon sclavonicum,<sup>270</sup> exoptatum toties a Perillustri Dominatione Vestra et a me missum, ad manus suas pervenerit. Modo totus desudo in erigendo Missali sclavonico,<sup>271</sup> nunc in typo existenti, quod conformiter et ad normam Missalis graeci, approbati et confirmati ab Urbe, Deo adiuvante, imprimetur.

Interim vale dilectissime et individue frater et licet toto orbe divisum corpore, animo tamen praesentem, ac redamantem ama (f. 331v). Cuius gratia et affectu frui voluntas mihi et animus est scriborque

Paternitatis Vestrae ac Dominationis Perillustri Excellentissimae  
humillimus et obligatissimus Servus

✠ CYPRIANUS Z.,

Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis (m. p.)

Novogrodeci, 23 Martii 1690.

(f. 332v): Perillustri et Reverendo Domino, Don Joanni Pastricio, Sacrae Theologiae Doctori, et in Propaganda Fide Polemicae Professori, Fratri et Patrono Colendissimo.

Romae.

<sup>269</sup> Procurator in Urbe (1690-1701).

<sup>270</sup> Fortasse agitur de Lexico, auctore Pambo Berynda, ex anno 1627 (Kioviae), vel eius secunda editio ex anno 1653.

<sup>271</sup> Missale hoc editum fuit Vilnae an. 1692, suaeque forma externa et compositione textuum novum quid erat.

## 77.

*Novogrodek, 30 . III . 1690.**Cardinali Barberino novum Procuratorem in Urbe commendat.*

BIBL. APOST. VAT., Barb. lat., vol. 6647, fol. 122rv.

Eminentissime et Reverendissime Princeps ac Domine,  
Domine, Patrone et Protector Regni Colendissime.

Per ascensum non ita pridem ad Episcopatum Sebastiae<sup>272</sup> Superioris loci SS. Sergii et Bacchi, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Josephi de Camillis, ne illud monasterium ab excelsa et inclyta domo Eminentiae Vestrae erectum et receptaculo Russiae Unitae Basilianis donatum vacet, vel destituatur Superiore Ordinis, electum hic a me A. R. Patrem Policarpum Philipowicz, S. Th. Doctorem, huic muneris sustinendo amplissimum, addito ipsi socio monacho professo,<sup>273</sup> expedivi Romanam, et iniunxi eidem R. Patri, ut mea demississima obsequia et profundissimam venerationem Eminentiae Vestrae meo nomine praestet, ad cuius protectionis sanum totum hoc Regnum esse gloriatur. Glorietur iste re commendatus a me protectione, munificentia (f. 122v) Eminentiae Vestrae, quatenus una cum socio et necessitatibus Ecclesiae Barberinae Sanctorum Sergii et Bacchi possit et valeat honeste subsistere. Meum interim devotissimum osculum sacrae fimbriae Vaticani ostii imprimens gratiae Eminentiae Vestrae impensissime commendans scribor

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae  
humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus et Schiavo

✠ CYPRIANUS ZOCHOWSKI,

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae et Polocensis (m. p.)  
Novogrodeci, 30 Martii 1690.

## 78.

*Novogrodek, 30 . III . 1690.**Commendatur novus Procurator Ecclesiae unitae in Urbe.*

APF, Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni, vol. 2, fol. 297-298.

Eminentissimi et Rnd.mi Principes. Domini,  
Domini et Patroni Colendissimi.

Non ita pridem, sic disponente oraculo Vaticano Sanctissimi ac Clementissimi Domini mei Alexandri VIII, feliciter regnantis,<sup>274</sup> et accedente assensu Eminentissimarum Vestrarum Dominationum mearum promotus fuit ad Episcopatum Sebastiae Ill.mus et R.mus D.nus Josephus de Camillis, Superior SS.torum Sergii et Bacchi et Procurator Generalis totius Russiae, cui Socius per Hungariam Illiricasque gentes desi-

<sup>272</sup> Josephus De Camillis, Procurator Ecclesiae Unitae in Urbe (1674-1689), nominatus fuit Episcopus seu Vicarius Apostolicus Munkasciensis cum titulo Episcopi Sebasteni (1689-1706).

<sup>273</sup> De quonam socio agitur, non nobis constat.

<sup>274</sup> Alexander PP. VIII, electus et coronatus diebus 6, 16 Octobris 1689. Obiit die 1 Februarii 1691.



gnatus fuit pariter per Eminentias Vestras, instante Eminentissimo Cardinali Kolonitz,<sup>275</sup> Pater Adrianus Kosakowski, Ordinis nostri Basiliani Monachus.<sup>276</sup> Ne igitur vacet et destituatur Basiliano Superiore locus SS. Sergii et Bacchi prae auro et topasio mihi totique Sanctae cum S. R. E. Unioni dilectus (de quo gloriamur quod ad ubera Matris verae et Oecumenicae Ecclesiae indigni admittimur filii) expedio muneri huic aptissimum, a doctrina et probitate constanti mihi semper commendatissimum A. R. Patrem Policarpum Philipowicz, adiuncto ipsi Socio Basiliano (f. 297v) professo.

Dignentur Eminentiae Vestrae locum hunc et missum a me A. R. Patrem Superiorem SS. Sergii et Bacchi, ac Procuratorem generalem totius Russiae incluta et suprema protectione sua et miseratione (ut Socius possit religiose et honeste sustentari) fovere, ac viscera paterna, quibus totus Orbis Missionariorum et Seminariorum S. R. E. per Eminentias Vestras vivit et alitur, aperire. Et dum haec scribo dignentur recordari Eminentiae Vestrae laborum meorum et attritarum virium, ac providere de Successore et Coadiutore quam optimo,<sup>277</sup> et qui videbitur Eminentissimis Vestris. Ego vero olim decennio peracto Romae<sup>278</sup> vellem redire ad Eminentias Vestras et lambere pedes Sanctissimi Domini mei, ac Eminentiarum Vestrarum. R. P. Antoninum Zolkiewski Sacrae Congregationis EE. VV. de Propaganda Alumnum,<sup>279</sup> cui ultimus terminus de Theologia instat annus, supplico EE. VV., ut pro munificentia sua, et dignitate natalium ipsius (est enim Nepos Sacrae R. Maiestatis nunc feliciter regnantis) expedire et ad me redire faciant, ac dignentur. Interim sacrae EE. VV. fimbriae purpuras devotissime exosculans, earundem (f. 298) gratiae et protectioni me, totamque Russiam ac Religionem Basilianam instantissime commendans scribor

Eminentissimarum et R.marum DD. VV.

humillimus, devotus et obligatus Servus

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Metropolitanus totius Russiae et Polonicensis (mp.)

Novogrodeci, die 30 Martii 1690.

## 79.

*Novogrodek, 30 . III . 1690.*

*Commendat novum Procuratorem in Urbe.*

APF, *Schrift. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 296.

Illustrissime et Reverendissime Domine. Domine et Patrone Colendissime.<sup>280</sup> Admodum Reverendus Pater Policarpus Philipowicz, a multis meritis in Religione mea Basiliiana commendatissimus, ex Superioratu Komscensi pergit ad Superioratum

<sup>275</sup> Leopoldus Carolus von Kollonitsch, Germanus, Ep. Neostadiensis, nom. Cardinalis die 2 Septembris 1686, tit. S. Hieronymi Illyricorum. Obiit an. 1707, die 20 Januarii. Cfr. *Hierarchia catholica*, vol. V, pag. 13, nr. 26.

<sup>276</sup> Adrianus Kossakovskij, Alumnus Collegii Graecorum de Urbe (1683-1690). Sacerdos ordinatus die 5 IX. 1685. Doctor philosophiae et theologiae de 11. IX. 1689. Discessit cum Josepho De Camillis in Ucrainam Carpathicam.

<sup>277</sup> Coadiutorem hunc nunquam obtinuit, et obiit an. 1693.

<sup>278</sup> Ann. 1657/8 - 1666. Cfr. nostram biographiam.

<sup>279</sup> Cfr. supra, nota 268.

<sup>280</sup> Fortasse igitur de Praefecto S. Congr. de Prop. Fide, Paoluzzo Altieri (1671-1698).

Sanctorum Sergii et Bacchi de Urbe, una cum Socio Religioso professo. Munere quoque Procuratoris Generalis Russiae ibidem fungetur et quia locus iste crevit semper gratis et protectione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, humillime supplico Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut missum a me Reverendum Patrem Policarpum dignetur gratis et beneficentiis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, de quibus totus gloriatur Orbis, cumulare; quatenus ipse cum Socio suo pro honestate religiosa sustentari possit. Ad ea vero, quae scribo ad Sacrum Eminentissimorum de Propaganda Fide Collegium, dignetur Ill. mam Dominationem V. respicere et reflectere, meque uti fidelem servum et ministrum S. Sedis Apostolicae gratia sua, quam votis, ore cordeque reposco, fovere, cuius et apostolicam manum devotissime exosculor maneoque

Illustrissimae et R. mae Dominationis Vestrae

humillimus, devot. mus et oblig. mus Servus

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae et Pol. (mp).

Novogrodeci, 30 Martii 1690.

80.

*Cholm, 22. VIII. 1691.*

*Excusat se coram Joanne Pastricio de Lexicon slavonico nondum transmisso certioratque de proxima publicatione Missalis slavonici.*

BIBL. APOST. VAT., *Borg. lat.*, vol. 503, fol. 333.

Perillustris et Reverendissime Domine, Domine,  
Frater et Patrone Colendissime.

Excusatum me sua Perillustris et Reverendissima Dominatio habebit, eo quod non saepe mecum eidem dem literam; nam multa sunt mihi facienda, pro quibus dies hi non sufficiunt, et in continuis laboribus, qui me debilitarunt, totum hoc pro gloria Dei, et Unionis Sanctae incremento subire mearum duco partium. Miseram Perillustri Dominationi Vestrae Lexicon nostrum slavonicum, per quendam Patrem Carmelitam Discalceatum, qui per viam mortuus; rediit quidem ad me idem liber, sed quia in has partes in sperate post mortem Illustrissimi Domini Episcopi Chelmen-<sup>281</sup> descendere debui, oblitus sum eum mecum portare; nihilominus procurabo quamprimum transmittere Perillustri Dominationi Vestrae. Missale nostrum slavonicum, (quod meis magnis sumptibus constat), adhuc in orbe non visum, brevi coronidem accipiet; erit tam magnum sicut Missale Nerlianum, cum eodem pulchro ordine; eliminavi ex eo SS. qui non sunt declarati pro talibus a Sancta Sede, exceptis classicis, uti S. Rochus in S. Romana Ecclesia, et uti continentur in certo libro, qui vocatur: Miscelanea, opera R. P. Koialowicz Soc. Jesu.<sup>282</sup> Imposui B. Martyrem Josaphat.<sup>283</sup>

<sup>281</sup> Alexander Lodziata, Episcopus Chelmenensis (1686-1691).

<sup>282</sup> Cfr. KOJALOWICZ ALBERT WIJUK, S. J., *Miscellanea rerum ad statum ecclesiasticum in Magno Ducatu Lithuaniae pertinentium*, Vilna 1650.

<sup>283</sup> Beatus ab anno 1643. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 521, nr. 459, sub dat. 16. V. 1643.

Pristino me Perillustris Dominationis Vestrae commendo affectui, maneoque quoad vixero

Perillustris et Reverendissimae Dominationis Vestrae  
humillimus Servus et Frater

✠ CYPRIANUS DE Z. ZOCHOWSKI,

Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis, Vitepscensis (m. p.)  
Chelmae, 22 Augusti 1691.  
Ad Dominum Pastricium.

## 81.

*Cholm, 22. VIII. 1691.*

*Varia commendantur negotia Secretario S. C. de Prop. Fide.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 830.

Ill.me et Rnd.ssime Domine,  
Domine, et Patrone Colendissime.

Accepta occasione per latores praesentium, Monachos nostros Basilianos, (quorum uterque ad Collegium Graecum ordinatus) veneror Ill.mam et Rnd.mam Dominationem Vestram, cuius gratiae me, Religionem meam Basilianam, et istos duos Patres, quam instantissime commendo. Brevi, Deo adiuvante, prodibit in lucem Missale nostrum sclavonicum,<sup>284</sup> nondum adhuc visum, ad instar Missalis Graeci, dicati magno nomini Eminentissimi Cardinalis Nerlij, pro quo opere grandem exbur-savi summam. Peto obnixae suam Ill.mam Dominationem, insimul cum ista nostra Religione, ut Nexus inter me, et Religionem meam factus (qui inviolabiliter ab utrinque conservatur) quantocius confirmetur, ac robur accipiat. Ad Collegium de Propaganda Fide brevi mittentur duo nostri Monachi, quos gratia Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae tanquam filios protegere non recusabit. Mea interim obsequia nutibus Ill.mae D.nis Vestrae subiiciens, gratia eiusdem ac Sacrae Congr. de Propaganda, Dominae meae, foveri instantissime rogans scribor

Illustrissimae et R.mae D.nis Vestrae  
hum.mus dev.mus et oblig.mus Servitor

F. CYPRIANUS de Z. ZOCHOWSKI, Arch. t. Russiae

Chelmae, 22 Aug. 1691

Ill.mo et R.mo D. Patriarchae Constantinop.  
Sac. Congreg. de Prop. Secretario.

## 82.

*Varsavia, 13. X. 1691.*

*Deputatio Fiscalis ad solvendam causam Abbatiae Suprasliensis.*

ASV, *Acta Congreg. Consistorialis*, vol. an. 1694, fol. 434.

<sup>284</sup> Prodiit revera Vilnae an. 1692, s. d. Liturgicum Zochovskianum.

Cyprianus de Magnis et Parvis Zochis Zochowski, Dei et Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis, Halitiensis et totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis et Mohyloviensis Episcopus, Dermanensis, Dubnensis Archimandrita. Universis et singulis quorum interest aut interesse poterit, praesentes nostras visuris et lecturis significamus, quod cum antehac Generosum Dominum, Dominicum Hryniewicz, Domesticum et Familiarem nostrum in Fiscalem seu Instigatorem Curiae nostrae Metropolitanae instituerimus, eiusmodi Officio Fiscalatus praefecimus, ita et ad praesens eundem Generosum Dominum Hryniewicz uti verum et legitimum Fiscalem circa Officium eiusmodi Fiscalatus confirmamus, et manutenemus, ipsumque pro vero ac legitimo Fiscali et Instigatore Curiae nostrae haberi volumus et declaramus, simulque Causas Curiam nostram concernentes tractare, promovere, et defendere, omniaque officia, munia Officium Fiscalatus concernentia tractare, in locum sui Procuratores et Mandatarios constituere, ac per ipsos Causas quaslibet inchoare, continuare, promovere, et si aliquando citatus fuerit defendere, appellationes iustificare, vel impugnare, sententias nostras tueri, exequi procurare, omniaque necessaria pro exigentia Officii Fiscalatus peragere committimus et demandamus. In quorum fidem praesentes manu nostra subscriptas sigillo nostro communiri fecimus.

Datum Varsaviae, die decima tertia mensis Octobris, Millesimo sexcentesimo nonagesimo primo Anno.

(L. S.)

✠ CYPRIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae et Polocensis (m. p.)

### 83.

*Torokanie, 3. XI. 1691.*

*Declaratio facultatis datae Fiscali Curiae Metropolitanae ad defendendam Causam Abbatiae Suprasliensis.*

ASV, *Acta Congreg. Consistorialis*, vol. an. 1694, fol. 436.

Cyprianus de Magnis et Parvis Zochis Zochowski, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis etc. etc. (*ut sub data 13. X. 1691*).

Universis et singulis etc. significamus. Quomodo dedimus declarationem et Patentiales nostras Generoso Domino Dominico Hryniewicz, Fiscali, Domestico et Familiari nostro, sub datum Varsaviae die 13 Mensis Octobris anni nunc currentis super Officio ipsius Fiscalatus simulque commiserimus et demandaverimus Causas omnes Officium Fiscalatus concernentes promovendi, defendendi, appellationes iustificandi, vel impugnandi aliaque Officium Fiscalis concernentia exercendi, prout fuis ibidem continetur, quae declaratio et attestatum nostrum dum in Tribunali Ill.mae ac Rev.mae Nuntiaturae Apostolicae sub die 24 mensis Octobris anni nunc currentis productum fuerat, ex quo nulla mentio Causae Suprasliensis in eodem continetur, sufficientiorem declarationem intuitu eiusdem, mediante Decreto eiusdem Iudicii praesentare demandatum, proinde persistendo circa praedictas Patentiales nostras Varsaviae datas in supplementum eidem Generoso Hryniewicz, Fiscali Curiae nostrae Metropolitanae ipsiusque Procuratori per ipsum iam alias coram Actis Tribunalis Nuntiaturae Apostolicae constituto in eadem Causa Suprasliensi occasione quasi denegatae confirmationis cuiusdam electionis Archimandritae ibidem pendenti, comparandi, ap-

pellationem praetensam si aliqua est interposita tam ab Adm. Rev.do Padre Symeone Cyprianowicz, Superiore Zyroviciensis, quam Monachis monasterii Suprasliensis impugnandi, Causam ad Tribunal Metropolitanum uti Iudicium primae instantiae remitti petendi, appellandi, provocandi, protestandi, de gravamine dicendi, Causam et Causas praedictas tuendi, iustificandi, documenta producta et producenda impugnandi, pro se vero producta admitti, et sententias quasvis, interlocutorias et definitivas pro Curia Metropolitana et iurisdictione ipsius et pro Iuris ac iustitiae exigentia ferri petendi, instandi, iterum appellandi, appellationes prosequendi, continuandi, et omnia necessaria ac opportuna tam in Causa eadem Suprasliensi, quam in aliis quibusvis Curiam nostram Metropolitanam concernentibus agendi et continuandi. In quorum fidem etc.

Datum in Residentia nostra Torokaniis, die 3 Novembris, 1691 Anno.

(L. S.)

✠ CYPRIANUS de ZOCHY ZOCHOWSKI, Archiepiscopus  
Metropolitanus Chioviensis, Halicensis et totius Russiae  
ac Polocensis, Vitebscensis (m. p.)

## 84.

*Vilna, 12. III. 1692.*

*Supplicat Metropolita pro collatione sibi Archimandriae Suprasliensis. Littera ad Col-  
latricem.*

ASV, Acta Congreg. Consistorialis, vol. an. 1694, fol. 448-49.

Ill.ma Domina, Mater et Benefactrix, Domina  
Capitanea Mosyrscensis.

Quamvis non receperim ad meam epistolam ex Russia scriptam responsum, tamen et modo venerationem meam ad pedes maternas sterno, supplicando pro hac gratia, super quam iam concordarunt utrique Ill.mi Domini Tutores. Collationem prout nolui debilitare ita et modo non cogito, imo dum rogo concessionem Praesentationis, tunc firmo Collationem Chodkiewiczianam. Discendo cum Ill.mo Principe Polociam, revertemur Hovinium, et modo exoro et supplico pro hac gratia, insimul me maternae recommendando gratiae. Scribo quod sim

Matris et Benefactricis humillimus servus  
CYPRIANUS ZOCHOWSKI, M. Ch., Halicien., Polocen.

12 Martii 1692.

Vilnae Polociam discedendo.

P. S. Quamvis semper sit doloris renovatio, tamen rogo iubeat Supraslum devehere Corpus s. memoriae Benefactoris mei, Ill.mi Domini Metatoris Castrorum, probabit Benefactrix quod inserviam tamquam filius relictus, et fidelis pro semper.

## 85.

*Vilna, 12. III. 1692.*

*Alia littera, qua Metropolita instat penes Collatores pro concessione sibi Archimandriae Suprasliensis.*

ASV, Acta Congreg. Consistorialis, vol. an. 1694, fol. 449.

Ill.ma Domina Metatrix Magni Ducatus Lithuaniae,  
Benefactrix mea et Callatrix.

Existens hic penes Ill.mum Ducem, Benefactorem meum, et discedens cum ipso Polociam, non obliviscar Ill.mae D. V.ae apud tumultum S. Josaphat insimul Matri et Benefactrici omnes felicitates apprecando. Meam etiam supplicationem ratione Suprasliensis Archimandriae renovo, et in hoc protestor, quod in nullo Collationem laedere intendam, imo dum insto pro concedenda Praesentatione, tunc plenam potestatem reservo penes meam Benefactricem et derelictum, magnum Successorem Joannem meum dilectum, et Ill.mos Avunculos et Tutores eius. Mitto et Potentiales ad subscribendum et ipse revertar ad Districtum Slonimensem cum Ill.mo Duce Benefactore. Nam in declivio dierum vitae meae pro hac gratia supplico, et quod Antecessor meus tenuerit, tunc sine electione, sed tantum ex gratia Collatorum habuit, quomodo ego deberem debilitare hanc Collationem, quam integram facio his meis petitis, instando pro concessione Praesentationis. Et Rev.dum Doroschowski, fratrem meum, accomodo alibi, ipse vero cum omni pulso gratitudine recommendando me gratiae Benefactricis meae manens

Ill.mae Dominationis Vestrae Benefactricis et Collatricis

humillimus servitor et exorator

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Metropolita totius Russiae,  
Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis etc. (m. p.)

12 Martii 1692, Vilnae.

86.

*Berestj, 28 . VI . 1692.*

*Refert de calamitatibus suae Ecclesiae et Causam Pinscensem commendat.*

APF, *Scr. rif.n. Congreg., Gen.*, vol. 514, fol. 282rv.

Eminentissime et Rev.me Princeps ac Domine,  
Domine, Patrone et Protector Russiae Colendissime.

Muta fuerunt quidem labia mea hactenus, ob multas Ecclesiarum et meas domesticas afflictiones. Tartarorum enim frequentatissima et recentissima incursio depasta est Archimandrias meas Volhynienses, quae subministrabant non contemnendos redditus mensae meae Archiepiscopali. Bona vero Episcopalia Confratrum meorum, Dominorum Episcoporum, idem subierunt damnum. Lachrymosam diem denuntio Eminentiae Vestrae, Domino meo et Protectori inclyto, supplicans exaudiri per Internuntium meum Perillustrem ac Rnd.mum Dominum Christophorum Bialozor, Canonicum Smolenscensem, magna Prosapia clarum, et mihi sanguine iunctum, scribo ad Sanctitatem Suam Dominum meum Clementissimum, supplico Eminentiae Vestrae dignetur mea postulata considerare, et apud Sanctissimum Dominum nostrum praepotenti (f. 282v) patrocinio suo promovere ac expressas in literis Sanctitatis Suae meas binas supplicationes in iure et clementia Sanctitatis Suae fundatas felici faustoque exitu coronare; copia vero Litterarum ad Sanctitatem Suam ea est quam includo litteris Eminentiae Vestrae, Domini mei. Rogans instantissime, ut meus Confrater, Ill.mus D. Episcopus Pinscen. tam criminaliter et praecociter, cum scandalo Christi fidelium, totiusque districtus Pinscensis Magnatum et Nobilium, a Perill.mo Domino Bentino Auditore iudicatus, per Sacrum Signaturae Iustitiae (ubi iam recursus factus) Subsellium remittatur ad Consistorios, quos requirit et requiret Ill.mus D. Episcopus Pinscen. Interim dignetur Emi-

nentia Vestra ad Ill.mum D. Nuntium Apostolicum scribere, ut aliter tractetur mea auctoritas, et Confratrum meorum DD. Episcoporum. Quia neoaccedentes Premysliensis, Leopoliensis, et Luceorien. Episcopi<sup>285</sup> scandalizabuntur, et vacillare in suis propositis incipient. Ego vero pono animam suam, et quidquid substantiae et fortunarum habuerim posui et exposui pro conversione illorum. Silenter rem a saeculo desideratam tracto, et confidenter Eminentiae Vestrae Domino meo denuntio. Omnia apparebunt, et fluent ex voto S. Sedis Apostolicae in Comitibus. Et si supervivam totum quantum me exeram pro hoc divinorum omnium divinissimo salutis animarum negotio; me totum quantum commendo gratiae protectioni Eminentiae Vestrae; purpuram nullis venerans oculis scriborque quoad vixero

humillimus, devot., oblig. Servus et Schiavo

F. CYPRIANUS de Z. ZOCHOWSKI, Archiepiscopus  
totius Russiae etc. etc....

Datum Brestae, die 28 Iunii, 1692 anno

87.

*Beresj 28 . VI . 1692.*

*Commendat causam Pinscensem, et supplicat pro concedenda sibi Archimandria Suprasliensi.*

APF, *Scritt. rif.n. Congreg. Gen.*, vol. 514, f. 292rv.

Sanctissime ac Beatissime Pater. Domine, Domine Clementissime.

Oecumenicam potestatem ac Thronum Apostolicum Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi, una cum Confratribus meis Dominis Episcopis totius Russiae ac Neoaccedentibus<sup>286</sup> cernuus adoro. Et ut Maiestas Suprema Sanctitatis Vestrae cum omni affluentia salubritatis et diuturnitatis perennet votis meis quam ardentissimis Divinam Maiestatem imploro. Et cum sim pulvis, cinis et nihil in conspectu Sanctitatis Vestrae, Urbis et Orbis vice Dei, ac Domini mei Clementissimi, supplico humillime et ad primam post Deum recurro Sedem, ut nimirum Causae omnes non ventilatae nec discussae coram Iudicio totius Russiae Metropolitanano remittantur ad idem subsellium primae Instantiae Metropolitanum, siquidem nescio qua infelicitate mea Dominus Bentinus, Auditor et Iudex Generalis Nunciaturae Apostolicae, eam fundavit iurisdictionem supra Confratrem meum, Dominum Martianum Bialozor, Episcopum Pinscensem, ut postposito meo primae instantiae Iudicio, nec admissis ad Sanctitatem Vestram appellationibus urgeat et continuo prosequatur Causam criminalem nulliter obiectam post intestatum Presbiterum Dioecesis suae Pinscensis.

Alterum est quod supplex rogo Sanctitatem Vestram, Dominum meum Clementissimum, ut mihi vacantem Archimandriam Suprasliensem institutione sua Apostolica donare dignetur, stantibus hisce necessitatibus et rationibus; quod praefata Archimandria seu Abbatia Suprasliensis collata mihi fuerit per binas Praesentationes Illustrissimorum Tutorum Casimiri et Benedicti Sapieharum, unius quidem Palatini Vilenensis et Magni Ducis Lithuaniae exercituum, alterius vero Thesaurarii Magni Ducatus Li-

<sup>285</sup> Josephus Szumlanskyj, Innocentius Vynnyckyj, et Athanasius Szumlanskyj.

<sup>286</sup> Cfr. notam praecedentem.

thuaniae, derelicti pupilli Domini Stanislai Chodkiewicz filii Caroli Georgii Chodkiewicz, magni Ducatus Lithuaniae Castrametatoris. Hunc panem dare mihi a Sanctitate Vestra supplico (*textus corruptus*) eo, quod recentissimo mense elapso incursio Tartarorum Abbatias meas (f. 292v) Dermanensem et Dubnen una cum Religione Basiliana ad nihilominus redegerit. Me interim totamque Russiam pedibus Sanctitatis Vestrae substernens et benedici a Sanctitate Vestra exorans, scribor quoad vixero

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus  
et Filius ad pedes ac scabellum pedum

F. CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae  
et Polocensis.

Datum Brestae, die 28 Junii, 1692 Anno.

## 88.

*Torokanie, 20 . VII . 1692.*

*Explicat officiose statum facti et iuris in causa Pinscensi.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 514, f. 265rv.

Nos infrascripti notum facimus hisce literis nostris testimonialibus, quod ab Anno 1687, a Mense Augusto et subsequentibus annis et mensibus diebusque usque ad hunc praesentem annum 1692, a multis Admodum Rn. dis Parochis, Praesbiteris, Archipresbiteris Dioecesis Pinscen. nec non et a plerisque saecularibus Nobilibus et viris fide dignissimis exceperimus testimonia iurata etiam in his specialiter punctis.

Quia Catharina Szemetylowa, uxor pie defuncti Michaelis Szemetylo, Parochi Pohosten. intestati, cum filiis suis Gregorio, Martino et Petro et caeteris Adiutoribus Rndos Patres Dionisium Ilnatowicz et Basilium Jachymowicz, Presbiteros Capituli Pinscen. expeditos ab Officio Episcopatus Pinscen. Commissarios pro conscribendis rebus ecclesiasticis et derelictis post intestatum, resistendo potestati et ordinationibus Loci Ordinarii, Domini Martiani Bialozor, Episcopi Pinscen., ac Statutis Ecclesiasticis, ex Parochia Pohosten. expulerint, concusserint et vulnerarint anno 1687, Augusti secunda. Et nisi ad sonum campanarum a praedicta Catharina et filiis eius sonantium pro tumultu concitando in vitam et necem praefatorum Commissariorum ex campis accurrissent Seniores oppidi Pohosten. ac a tumultu coherevissent certo certius mansissent occisi.

Item Anno 1688, Mense Februarii, ab eadem Catharina et filiis eius Pater Dionisius Ilnatowicz, Administrator institutus a suo Episcopo praefato ad Ecclesiam Pohosten., quod reiectum argentum ecclesiasticum prius absconditum et ex Ecclesia per eosdem ablatum praesentandi ergo veheret ad Officium Episcopale Pinscense, concussus, vulneratus gravissime et scandalosissime fuit hiemali tempore in medio itineris inter Pinscum et Pohostum.

Item Anno 1690, Maij 15, alter Pater Basilius Kazikalowicz, Archidiaconus Cathedralae Pinscen., institutus itidem Administrator ab Episcopo praefato cum fuisset, itidem instruxerunt personas missas ex oppido Staroconensi, ut pulsarent campanas ad concitandum tumultum in vitam et necem praefati Administratoris, ab Episcopo instituti.

Anno 1690, Junii 30, Catharina cum filiis suis Paulo, Martino et Petro, consensu etiam facto cum Gregorio filio suo, et cum caeteris Adiutoribus (f. 265v) invaserunt Ecclesiam et Parochiam, Presbiterum Administratorem eiecerunt, claves receperunt,



Ecclesiam ocluserunt, ne fieret administratio Sacramentorum nec potuerunt administrari, renitente Catharina cum filiis, per semiduos annos cum summa iniuria et damnis animarum.

Custodes relictos ab Episcopo in Parochia ad custodiendum derelicta post Intestatum gravissime percusserunt, Dominum Tomkiewicz, Nobilem, gravissime concussum, vulneratum, vinctum incarcerarunt in Arce Pinscensi. Alterum Cosmum catenis gravissimis afflixerunt per multos menses et hucusque in Villis Re.ndissimi Domini Pac, Equitis Melitensis, conservant. Parochiam occupatam cum Bonis hucusque retinent scandalosissime, violentissime nec permittunt Parochum ut gaudeat Bonis Ecclesiae in usus suos saeculares convertendo.

Paulus et Martinus, filii Catharinae, Anno 1691, Sbris 17, Patrem Hieroteum, Administratorem itidem Pohostensis Parochiae, cum administraret Sacramentum Baptismi in quadam Villa adiacente Pohosto, gravissime concusserunt et vulnerarunt.

Novissimus diebus ante Commisionem Nuntiaturae peractam per Dominum Fioravanti et Religiosum Cyprianowicz studio Parochiam ruinarunt Catharina et filii eiusdem praefati Gregorius, Paulus, Martinus et Petrus, ut coram Commissariis praesentarent quasi ab Episcopo ruinatam.

In quorum omnium indubitata fides et non concussum robur manu propria, sigillis nostris appositis, subscribimus.

Dabantur Torocanis, die 20 Iulii, Anno Millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo.

F. CYPRIANUS de ZOCHY ZOCHOWSKI, Metropolitanus totius  
Russiae, Archiepiscopus Polocen. Vitepscen.  
GEORGIUS MALEIEWSKI, Archiepiscopus Smolenscen. et  
Severien. (manu propria).

## 89.

Grodno, 28 . VIII . 1692.

*Interdictum locale a Metropolita indictum.*

ASV, *Acta Congreg. Consistorialis*, vol. an. 1694, fol. 454rv.

Cyprianus in Zochis Zochowski, Dei et Apostolicae Sedis gratia etc.

Rev.mo in Cristo Patri Meletio Doroskowski, Ordinis S. Basilii Magni, S. Theologiae Doctori, Administratori in spiritualibus et temporolibus Archimadriae Supraslensis, Auditori nostro Metropolitano, tum Rev.do in Cristo Patri Bartholomaeo Miniewski, eiusdem monasterii Vicario, pacem in Domino et benedictionem nostram archiepiscopalem.

Significamus, quod post profanatum Monasterium, Caemiterium, Refectorium Supraslien., post obsanguinolationem Curiae nostrae, post protrusionem Personae nostrae pastoralis, dum genu flectebamus super libertate et potestate Apostolica nobis concessa, praesertim super eodem monasterio Suprasliensi servien. et libenter caput nostrum mucroni Perillustris et Magnifici Domini Hieronymi Locki, Succamerarii Ducatus Samogitiensis, supponebamus, Praesbyteri vero nostri in Refectorio protrusi et percussi a Rev.do Patre Szpicul, Dominicano, notae vitae homine, patienter pro pastorali potestate collaphisationes, crinum ex barba et capite exulsiones sufferent, et alias innumeras per potentiam saecularem factas et commissas violentias tolerarent, prout de praemisso tam maximo et nunquam audito in Republica sanguineo casu,

in Instrumento et Protestatione Grodnae facta mensis Augusti die 23, Anno Domini 1692, sufficienter constat et est expressum, dum evidentiter stetimus una cum Ill.mo Domino Martino Bialozor, Episcopo Pinscensi et Turoviensi, coram Perillustri D. Joanne Woronowicz, Prothonotario Apostolico, Cancellario Dioecesis Wilnensis, et eidem hanc nostram pastoraalem detulimus oppressionem, quod Instrumentum est publicatum et ad S. Sedem Apostolicam transmissum. Et interim, dum Deus omnipotens nos utrosque Pastores et Curiam nostram et Praesbiteros nobis faventes tum Rev.dum Vicarium post discessum nostrum confusum in vivis reliquit et nos Pastores a morte liberavit, in libero iam loco constituti, in residentia nostra Grodnensi, ita decidimus et ad executionem hanc voluntatem nostram supraspecificatis personis, hoc est Rev.do Administratori et Rev.do Patri Vicario sub excommunicatione ipso facto incurrenda mandamus. Et insuper, prout nobis delatum, quod sub tempus profanationum Refectorii et Capellae S. Joannis Evangelistae, Deo et Ministerio Dei dicatae, introducta erat Generosa Domina Lyszczynska, mulier juvenis, et ibidem ex mandato potentiae saecularis prandebat, absque voluntate et licentia nostra pastorali, pro istis itaque tam magnis, et notabilibus offensionibus Dei debet esse ecclesia oclusa et in lucto aut alio lugubri statu manere hucusque, donec sufficiens satisfactio confusionis uniusque nostri Pastorum, Curiae nostrae spiritualium personarum, et Sacerdotum confusorum a Principalibus et Complicibus tum Religiosis Fratre Sigismundo Michniewicz Professo, Theophane Iuniosyc Presbytero et Pantaleone Presbytero aliisque Adhaerentibus, bene notis iisdem Principalibus, qui potestate saeculari utebantur et Religiosum Szpicul ad percussorem ordinabant, non fiet. Hoc etiam significamus, quod pro conventiculis, factis per praedictos Principales apud saeculares personas contra Pastorem et ipsius Curiam, eo ipso tres Principales et Machinatores in vitam nostram in excommunicatione manent, et propterea repulsis a Refectorio in Cellis tantummodo sessio demandatur, et personarum saecularium admissio illorumque visitatio interdicitur. Horum omnium prout aperitionis ecclesiae ita absolutionis ab excommunicatione nobis tantummodo reservamus. In quorum fidem maiorem praesentes manu nostra subscribimus, et sigillo communiri mandamus.

Datum Grodnae, in Residentia nostra, die 28 Augusti 1692 Anno.

(L. S.)

CYPRIANUS, Metropolitae totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis  
 MATTHAEUS JOSAPHAT SIEMIENOWICZ  
 Notarius Cancellariae Metropolitanæ

90.

Grodno, 12 . I . 1693.

*Gratias agit<sup>s</sup> pro obtenta Archimandria Suprasliensi.*

APF, *Scrutt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 415rv.

Eminentissime ac Reverendissime Princeps, ac Domine,  
 Domine, Patrone et Protector Russiae Colendissime.

Venerabundus adoro supra meam personam Eminentiae Vestrae praevalidam protectionem, idque in obtinenda Archimandria Suprasliensis apud Sanctitatem Suam gratia. Quam licet retardaverit R.ndus Pater Polycarpus Filipowicz, Sanctorum Sergii

et Bacchi Superior,<sup>287</sup> porrecto supplici ad Suam Sanctitatem libello, nullo tamen meo demerito id factum, siquidem mittitur plenissima fides, omni exceptione dignorum attestantium, qua stante, potui et debui recurrere ad Sanctitatem Suam pro impetratione praefatae Archimandriae Suprasliensis apud Sanctissimum, et Oecumenicum Dominum Clementissimum. Possum enim per Datariam Apostolicam, Metropolitanis Russiae concessam, (f. 415v) aliis dare Archiepiscopatus, Episcopatus (f. 415v), Archimandrias, mihi vero pro Sancta Unione, et Ecclesiis exhausto neutiquam possum aliquid conferre Beneficium. Ideoque oro supplicissime Eminentiam Vestram, quatenus iam signatam Sanctitatis Suae gratiam per Secretariam Brevium expedire dignetur. Ordinavi quoque sumptus ad id necessarios Magnifico Domino Ruiter, Sacrae Regiae Poloniae Maiestatis in Curia Romana Agenti. Hac per Eminentiam Vestram obtenta Archimandria Suprasliensi, accelerabo ad osculum pedum Sanctitatis Suae, ac Sacrae Vaticani Ostri fimbriae Eminentiae Vestrae. Interim hocce negotium honoris, et fortunarum mearum calamitoso hoc tempore Reipublicae valde attritarum instantissime comendans protectioni Eminentiae Vestrae, et quoad vixero, scribor

Eminentissimae et R.mae Celsitudinis Vestrae

humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus et Schiavo

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus totius Russiae et Polocensis.

Latorem praesentium, Perillustrum D. Christophorum Bialozor, Canonicum Smolenscensem, uti fidissimum et ex sanguine meo, enixissimis praecibus commendo Eminentiae Vestrae.

Grodnae, in Comitibus Generalibus, 12 Januarii 1693.

## 91.

*Grodno, 14 . III . 1693.*

*De confirmatione apostolica foundationis monasterii Vitebscensis.*

APF, *Scritt, rif.n. Congreg. Gen.*, vol. 515, f. 260rv.

Eminentissimi et Rev.mi Principes ac Domini,  
Domini et Patroni Colendissimi.

In Civitate magna et vasta Vitebsco, ubi Divus Martyr Josaphat Polocensis et Vitebscensis Archiepiscopus pro Sede Petri et Unione Sancta occubuit, excitavit Dominus spiritum et zelum Eliae in Perillustri et Magnifico Domino Adamo de Brusilow Kiesel, Vexillifero Palatinatus Vitebscensis, ut ad Cathedralem meam Vitebscensem Basilicam erigeret, et dotaret Monasterium Religionis meae Basilianae, idque in area Archiepiscopali prope Ecclesiam. Et quia praedicta area cessit in possessionem meorum Patrum Basilianorum (egregiorum in illa Civitate, et vicinia Moschoviae, Operariorum) et commutatio alterius aequivalentis areae est data mihi et meis Successoribus ab eodem Perillustri Domino Fundatore, hinc supplico Eminentissimis Vestris, Dominis meis, ut talem commutationem per Sanctissimi Domini mei Oecumenici et Clementissimi beneplacitum approbare dignentur. Est enim satis opulenta fundatio, et Civitas Vitebscensis cum sit tota unita, habet tamen uno milliari polonico distans Monasterium Schismaticum, Marcoviense, ab illo nequam Marco (f. 260v) Ephesino nuncupatum.<sup>288</sup> Spero per meos Basilianos Vitebscenses, uti fideles Sacrae Romanae

<sup>287</sup> Ann. 1690-1701.

<sup>288</sup> Marcus Metropolita Ephesinus, notus sua oppositione in Concilio Oecumenico Florentino, quam subscribere renuit quamque acriter impugnabat.

Ecclesiae Missionarios, hoc quoque Monasterium convertendum. Addo in super pro informatione Eminentiarum Vestrarum, quod fundatio Basilianorum Vitebscensium iam est firmata Lege Publica Comitiorum Regni, quae Varsaviae ante Grodnensia celebrata sunt. Ne cadat ergo animo Perillustris Dominus, et praeclarus noster Fundator, immo ut augeat pietatem et largitatem suam erga nostrum Sacrum Ordinem Basilianum (quod est brachium meum et pupilla oculi mei), enixis precibus supplico Eminentissimis Vestris, ut approbationem commutationis a me expetitam, dignentur per Ill.mum Dominum Nuntium transmittere. Sacras interim purpuras Eminentiarum Vestrarum devotissime exosculans, me gratiae EE. VV. impensis commendo studiis scriborque

Eminentiarum VV. Dominorum meorum  
humillimus, devotissimus et obligatus Servus et Schiavo  
CYPRIANUS de Z. ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae, et Polocen (mp).

Grodnae, 14 Martii 1693.

## 92.

*Suprasl, 25 . III . 1693.*

*Exceptiones Metropolitanae quoad approbationem Constitutionum Ordinis Basiliani.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 426-427.

Eminentissimo Rev.mo et Principe, mio Signore,  
Padrone e Protettore della Russia Col.mo.

Nell'ultima che mi scrisse Vostra Eminenza ho ricevuto gran comandi della Sagra Congregazione de Propaganda Fide circa l'approvazione del Capitolo celebrato a Novogrado,<sup>289</sup> sotto la Presidenza del R.mo Padre Thomasso Vieyschi, Preposito di Vilna, della Compagnia di Gesù. Veramente desidero con tutto l'animo e cuore che sii approvata quella Congregazione, eccetto tre ponti a me pregiudiziosi, sopra i quali ho dato il mio consenso tutto all'ora coatto. E primieramente che solo Protoarchimandrita ha da visitare le Chiese Parochiali de Monaci e render il conto al Metropolitanus, e mi parrebbe che io possa delegare anche un altro Basiliano, che gli visiti. Così sentiranno anche i miei Monsignori Vescovi. 2-o. Il Monastero di Bythenio (sta pur questa cosa nel Nesso, e pazzioni fatte in quel Capitolo Novogrodense) ch'appartenga alla disposizione del nostro R.mo Provinciale alias Protoarchimandrita, et io trovo che dipende il sudetto Monastero da solo Metropolitanus (così vuol il testamento del Signor Trizna, Gran Tesoriere del Gran Ducato di (f. 426v) Lithuania) e che lui faccia l'Abbate e consagri a quel luogo, come fu praticato dal mio Predecessore Antonio Sielawa, Arcivescovo della Russia,<sup>290</sup> il quale consagrò l'Archimandrita il Padre Symeone Jackiewicz, Maestro all'ora de Novizii, nelle virtù e santità celebre Basiliano. 3-o. Monastero di Berezvecz, secondo il testamento del Fondatore Giuseppe Korsak, Palatino di Mscislavia, ha da dipender dal solo Metropolitanus, e che lui è obligato instituire l'Hegumeno advitalizio cioè il Superiore del

<sup>289</sup> Anno 1686. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 17-18.

<sup>290</sup> Antonius Sielawa, Metropolitanus Kioviensis (1641-1655). Cfr. eius epistolas in volumine secundo *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, Romae 1956.

nominato Monastero. Onde questi tre ponti quando saranno pacificati, pregarò che si confermi la Congregazione di Novogrado. Supplico a Vostra Eminenza, mio Padrone e Prencipe, che in questi tre ponti nihil transeat.

Già i Messali miei schiavonici, ad normam del Messale di Sua Eminenza,<sup>291</sup> son compti e finiti; procurarò che arrivino alla mano di Sua Eminenza, a Sua Santità, et alla Sacra Congregazione de Propaganda. Non mai visto Liturgicon nella Russia, e perciò Sua Maestà vole che si mandi a Gran Duchi di Moschovia, all' Imperadore,<sup>292</sup> et all' Eminentissimo Signor Cardinal Colonitz,<sup>293</sup> acciò si stampino similmente per i Serbi, Rasciani, Bolgari, Croati, Dalmati (f. 427) e di Bosnia, ch'osservano il Rito Orientale. Gran plauso fece questo Messale appresso Uniti e Scismatici. Mi creda Vostra Eminenza che mi costò assai, tanto lavoratori da Moschovia, da Leopoli condotti, quanto la stampa, torculari o preli, e la carta cercata nell' Holanda. Sia Dio benedetto che sotto la felicissima protezione di Vostra Eminenza habbia il fine questa grand'opera. Quanto prima farò stampare l'agende, necessarissime per i Preti della Russia, e poi di nuovo i Messali si ristamperanno per la vastità delle diocesi della Russia. Aspetto la grazia di Sua Santità, mio Signore Oecumenico e Clementissimo, per l'Archimandria di Supraslio. Già io son ricevuto da Padri, aggiustate tutte le cose ho perdonato a tutti come soglio fare; non resta altro che la grazia segnata da Sua Santità mi sia mandata e spedita per Secreteriam Brevium.<sup>294</sup> Perche hoggidì resto in Supraslio come Amministratore e Nominato eletto, ma ci vol la grazia di Sua Santità che mi faccia Archimandrita o Abbate, e qui per fine bacio la Sagra Porpora di Vostra Eminenza e mi raccomando con ogni dovuta sommissione alla grazia e protezione di Vostra Eminenza, mentre sono e sarò affinché vivo di Vostra Eminenza

humilissimo, divot.mo et oblig.mo Servidor e Schiavo

CYPRIANO ZOCHOWSKI, Arcivescovo di tutte le Russie

Supraslio, 25 di Marzo 1693.

### 93.

*Suprasl, 9 . IV . 1693.*

*Refert Metropolita de querelis Czari Moscoviae contra ipsum et Episcopum Peremy-sliensem.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 599rv.

Eminentissimo et Reverendissimo Principe e Signore mio,  
Padrone unico e Protettore della Russia Colend.mo.

Facendo un humilissimo inchino, e ringraziando a Vostra Eminenza per la protezione, che tiene della mia persona indegna, ne fo noto a Vostra Eminenza, come

<sup>291</sup> Francisci Nerlii, olim Nuntii Varsaviensis (1670-1671).

<sup>292</sup> Imperator Sacri Romani Imperii, qui Viennae residebat; tunc temporis erat Leopoldus I (1657-1705). Hic, uti Rex Hungariae, habuit sub se etiam s. d. Ucrainam Carpathicam, cum Eparchia Munkasciensi, nec non alias partes, quae a populis slavonicis incolabantur.

<sup>293</sup> Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

<sup>294</sup> Brevia habentur sub dat. 20. IX. 1692; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 664 sq., nr. 617-619.

i Gran Duchi di Moscovia<sup>295</sup> hanno scritto a Sua Maestà del nostro Re<sup>296</sup> una sua lettera, che si chiama Hramota, lamentandosi contro di me, et il Monsignor Innocenzo Winnizchi,<sup>297</sup> Vescovo di Premyslia, quasi noi ambedui per forza convertiamo i Scismatici all'ubbidienza di Sua Santità. È verissimo che in questa materia val quello: Compelle intrare, nondimeno per la grazia di Dio a tempi miei più di duecento Chiese si convertirono, e si convertono. Sua Maestà dunque al Residente di Moscovia rispose, con un'animo da Re potentissimo ch'è: I Gran Duchi di Moscovia non è conveniente che c'entrino nel Governo del mio Regno, si come noi non s'intrighiamo nel governo della Moscovia, ma se i sudditi nostri hanno qualche aggravio dal Monsignor Metropolita, e dal Monsignor Winnizchi, supplicano a noi, e faremo la giustizia; e così restò confuso il Residente di Moscovia, e non replicò altro, che i miei Principi instano solamente. Ordina V. Eminenza che si spedisca il Breve di Sua Santità facendo una dimostrazione, che Sua Santità ha caro questo zelo di Sua Maestà, e che nella Dietta prossima si degni Sua Maestà ridurre alla pubblicazione nel esser unito Vescovo di Leopoli Giuseppe Szumlanski, et il suo fratello Vescovo di Luceoria, Atanasio Szumlanski,<sup>298</sup> tutti due giurati segretamente avanti Sua Maestà, professarono la Santa Unione, facilmente potrei buscargli.

Il Messale Greco già un pezzo fa mandatomi da Vostra Eminenza mi fece un gran motivo nel mio cuore, che feci stampar un altro simile nella lingua schiavonica; questa posta mando all'Ill.mo Monsignor Nunzio, e procurarò ch'arrivi nelle mani di Vostra Eminenza, e per Vostra Eminenza a Sua Santità et alla Sagra Congregazione de Propaganda Fede. Mandarò anche all'Eminentissimo Signor Cardinal Colonitz, che si ristampino per quelle genti Schiavoni, Serbi, Bulgari, Ungari, Dalmati. Veramente Vostra Eminenza, mio Signore e Padrone, fece stampar questo (*textus corruptus*) Sacrificio di Nostro Signore Giesu Christo, come fecero i Santi Cirillo e Metodio, mentre tutti i libri greci travoltarono in schiavone e portarono a Roma per confermarli. Seguitai dunque l'idea et intenzione di Vostra Eminenza. La Maestà del nostro Re vuol onninamente mandar questo Messale schiavono ai Gran Duchi di Moschovia, il Martirologio, tutto conforme a Vostra Eminenza, ho messo dentro il B. Giosafat nostro Martire, e poi quel articolo della fede: Qui a Patre Filioque procedit; questi due ponti dispiaceranno a i Scismatici. Ma vederanno pure un bel e non mai visto ordine di questo Messale, come Vostra Eminenza il suo ha ordinato in Roma.<sup>299</sup>

Alcune cose che scrisse il P. Superiore di SS. Sergio e Baccho a i nostri PP. Consultori Basiliani, et al R. P. Protoarchimandrita,<sup>300</sup> riferirà a Vostra Eminenza il Signor Christoforo Bialozor, Canonico di Smolensco, mio sangue. Veramente questo Padre tanto beneficato da me se nè scordò del tutto, e quel che m'affligge assai, non perdonò al nome sagrosanto di Vostra Eminenza, mio Unico Padrone e Protettore. Supplico per tanto Vostra Eminenza, che non si confermi il Capitolo di Novogrado<sup>301</sup> affinché non sii udito il Metropolita con le sue ragioni che replicarà alle dimande

<sup>295</sup> Ivan V (1682-1696) et Petrus I (1682-1725).

<sup>296</sup> Joannes III Sobieski (1674-1696).

<sup>297</sup> Episcopus Peremyshliensis (1680-1700), qui anno 1692 simul cum tota Eparchia unionem cum Ecclesia Romana promulgavit.

<sup>298</sup> Athanasius Szumlanskyj (1688-1695).

<sup>299</sup> Franciscus Nerli, olim Nuntius Varsaviensis (1670-1671).

<sup>300</sup> Simeon Ohurcevyz (1690-1698).

<sup>301</sup> Anno 1686.

che proporrà il Padre Policarpo Filipovicz, Superiore di Roma, alla Sacra Congregazione. Scrive il medesimo Padre ch'ha spedito una inibizione contro di me (come si possono far queste cose senza Vostra Eminenza) acciò io non pretenda il lus che ho sopra il Monastero di Bythenio, caso che morisse la Signora Isabella Lacka, Capitana di Mozyr, che tiene i beni del sudetto Monastero, già più di cinquanta anni. Prego Vostra Eminenza che si rivochi quest'inibizione pregiudiziosa assai al mio honore et innocenza. Non so in qual Tribunale l'ha ottenuto il Padre Superiore nostro Basiliano. Veramente un bel Procuratore della Russia. E qui per fine con la profondissima riverenza bacio la Sacra Porpora di Vostra Eminenza, raccomandandomi sempre e sempre alla grazia e protezione di Vostra Eminenza, mentre mi sottoscrivo affinche vivo et viverò

di Vostra Eminenza, mio Signor Principe  
humilissimo, divotissimo et oblig.mo Servitore e Schiavo.

CYPRIANO de Z. ZOCHOWSKI, Arcivescovo di tutta la Russia et Polozia (mp).  
Sopraslio, 9 d'Aprile 1693.

## 94.

*Suprasl, 16. IV. 1693*

*Gratias agit de concessione Archimandriae Suprasliensis, et exceptiones quasdam movet de approbatione Constitutionum Ordinis Basiliani.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 428rv

Eminentissimo et Rev.mo Principe, mio Signore,  
Padrone et Protettore della Russia Colendissimo.

Non cesso di ringraziarne abbastanza a Vostra Eminenza, mio Signore et unico all'Archimandria di Supraslio Promotore, per questa ottenuta grazia da Sua Santità mio Oecumenico Principe; onde havendo io ricevuto in vita mia innumerabili grazie, difese della mia persona, ben si rimango attonito perchè mai degno, ma giurato e grato per sempre a Vostra Eminenza, a cui Signore Iddio anche de meis addat annis, e che una volta possa baciare la Sagra Porpora di Vostra Eminenza e i piedi di Sua Santità, e le Sagre Porpore degl'Eminentissimi Signori miei Cardinali della Sagra Congregazione di Propaganda.

E perchè la S. Congregazione ha commesso a Vostra Eminenza la discernenza del Capitolo Basiliano di Novogrado,<sup>302</sup> o si deve confermarsi o nò, benchè già io sappia come i Padri nostri Protoarchimandrita e Consultori scrissero e risposero all'Interrogatori della Sagra Congregazione, nondimeno io, vedendo esser assai aggravato in quel Capitolo, rappresento questa posta piena informazione a Vostra Eminenza in che io co'i miei Monsignori Vescovi son gravato e per dir così coatto. Giuro avanti Vostra Eminenza tutto quel che feci in quel Capitolo ho fatto con pregiudizio de miei Successori e per riverenza dell'Eminentissimo Signor Cardinal Pallavicino, all'ora Nunzio Apostolico,<sup>303</sup> il quale al suo R.mo Padre Delegato, Thoma Vieyski, della Compagnia di Giesu,<sup>304</sup> comandò (f. 428v) ch'io fossi escluso dalla Pro-

<sup>302</sup> Anno 1686, in quo Capitulo s. d. Nexus inter Metropolitanum et Ordinem Basilianorum subscriptus fuit.

<sup>303</sup> Opatius Pallavicini (1680-1688).

<sup>304</sup> Cfr. *Indicem nominum et rerum*.

toarchimandria e non cadessero i voti sopra di me, e forse sarebbe meglio. Benche pretendo d'haver fatto bene alla mia Religione, sborsato gran denaro, guadagnato insigni fondazioni, e non cesso di operare bene. E loro cosa han fatto, niente. E se fanno qualche cosa, fanno appresso Sua Maestà e Senatori e Nobili per via di me. Deus illis parcat, io perdono. Ma quel buon Padre Policarpo Filipowicz,<sup>305</sup> non avendo facoltà da me, s'intriga in molte cose, quali a lui non appartengono. Il mio Signor Canonico di Smolensco, Christoforo Bialozor, Nipote, ha incumbenza tutto proporre e rappresentare a Vostra Eminenza, a cui supplico inchinandomi fino a i piedi di Vostra Eminenza, che si rivochino e non approvino da Vostra Eminenza, i miei e de Monsignori Vescovi nostri pregiudizii fatti in quel Capitolo di Novogrodeco. E una cosa che mi troppo affligge d'esser escluso dalla Protoarchimandria benche tutti i miei Antecessori godevano per via d'elezione libera, dove io Metropolita presiedo, e son ponente. Tutto mi rassegnò nella grazia e protezione di Vostra Eminenza, a cui con profondissima riverenza bacio la Sagra Porpora et affinche vivo mi sottoscrivo

di Vostra Eminenza, mio Signore e Padrone,

humilissimo, divot.mo et oblig.mo Servitore e Schiavo  
CYPRIANO in Z. ZOCHOVSKI, Arciv. Metropolitanò di tutta la Russia  
e di Polozia (mp).

16 dell'Aprile 1693, Supraslio.

## 95.

*Suprasl, 16. IV. 1693.*

*Responsa Metropolitanì ad interrogatoria spectantia elegibilitatem Metropolitanì et Episcoporum in Protoarchimandritam, de exclusiva Basilianorum ad Eparchias, de divisione monasteriorum in duas factiones etc.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 365-371, et 373-380, et 429-431.  
APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 877-879v.

Responsa Metropolitanì Russiae ad Interrogatoria facta Monachis Basilianis per Sacram Congregationem de Propaganda Fide. Ut confrontet Sagra Congregatio an cohaereant, vel possint cohaerere responsa Monachorum ad eadem Interrogatoria cum responsis Metropolitanì.<sup>306</sup>

Quaerit Sacra Congregatio:

1. Quare Dominus Metropolitanus, vel alter Episcopus non possit esse Protoarchimandrita?

Respondetur a Metropolitanò. Brevia SS.rum Pontificum, nempe bina Alexandri VII, primum de anno 1665, die 30 Maii, secundum eiusdem Alexandri VII ad Ill.mum Nuntium Apostolicum,<sup>307</sup> modernum vero Sanctissimum Pontificem Romanum, tertium

<sup>305</sup> Procurator in Urbe (1690-1701).

<sup>306</sup> Responsa monachorum invenies in aliis voluminibus nostrae collectionis, ubi de documentis monachorum agitur.

<sup>307</sup> Cfr. Breve, de dat. 30. V. 1665, in *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 582, nr. 530; aliud vero Breve eiusdem argumenti, de dat. 4. VI. 1666, cfr. in pag. 586, nr. 533.



vero Innocentii XI, de anno 1683, die 30 Octobris,<sup>308</sup> fundantur supra Breve Sanctissimi Urbani VIII, anno 1631, die 20 Augusti emanatum.<sup>309</sup> In hoc autem Brevi (rogat enim Metropolitanus, ut praesentetur per extensum Eminentiae Vestrae) comperiet veritatem quod mens Sanctissimi Pontificis Urbani VIII non fuerit excludendi Metropolitanam vel alium Episcopum ab elegibilitate in Protoarchimandritam. Siquidem ille qui impetravit hoc Breve fuit Iosephus Rutscius, Metropolitanus totius Russiae,<sup>310</sup> et toto vitae suae tempore una cum suo Coadiutore Raphaele (f. 373v) Korsach<sup>311</sup> regebat, mutabat Archimandritas et Superiores instituebat, Archimandritas, et Superiores discolos puniebat, visitabat Monasteria in persona sua, ac post expeditum Breve Urbani VIII tantum reduxit Monachos Basilianos ad communitatem et Congregationem Sanctissimae Trinitatis Vilmensis, ut possent insimul congregati Monachi de bono Religionis consulere. Iosepho porro Metropolitanato defuncto<sup>312</sup> continuavit Protoarchimandriam eius Successor Raphael Korsach, Metropolitanus Russiae, per quinquennium vitae suae usque ad obitum Romae ad SS. Sergium et Bacchum.<sup>313</sup> Illo vero, nempe Raphaele Korsach demortuo, concordibus votis Monachorum electus in Protoarchimandritam Antonius Sielawa, Metropolitanus totius Russiae, regimenque Religionis Protoarchimandritale exercuit per viginti, et amplius annos,<sup>314</sup> cum tamen Breve Sanctissimi Urbani VIII iam diu impetratum et pro palatum fuerit. Subsecuta morte Antonii supradicti, Metropolitanus Russiae, Moschovitica invasio, clades ingens, et ruina Unionis S. ac Religionis successit,<sup>315</sup> proinde per quatuordecim circiter annos vacabat Sedes Metropolitana<sup>316</sup> tota permixta internis Monachorum dissidiis, scissionibus. (f. 374) Tres enim se fecerunt Protoarchimandritas, in Volinia p. m. Dominus Iacobus Susza, Episcopus Chelmensis<sup>317</sup>; Supraslij Dominus Gabriel Kolenda, tunc Administrator Metropoliae, Archiepiscopus Polocensis; Zyrovicis vero R. P. Benedictus Terlecki electus non iam Protoarchimandrita, sed ad quadriennium Provincialis.<sup>318</sup> Videns ergo Sanctissimus Alexander septimus in tali confusione res Religionis versari, expedit duo Brevia ad modernum Sanctissimum, et Oecumenicum Dominum nostrum Innocentium XII, faeliciter regnantem, ut nimirum abrogatis istis tribus Protoarchimandritis, et pseudo-electionibus, ipse in persona sua convocaret Capitulum Basilianorum, et descenderet pro electione Protoarchimandritae, uti et factum est per Sanctitatem Suam, quando

<sup>308</sup> Cfr. in *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 651, nr. 612.

<sup>309</sup> *IBIDEM*, pag. 481, nr. 411.

<sup>310</sup> An. 1613-1637.

<sup>311</sup> Raphaël Korsak, Archimandrita Vilmensis et Protoarchimandrita Ordinis (ab an. 1626), dein Episcopus Haliciensis (1626-1632), Coadiutor Kioviensis (1631-1637), Episcopus Pinscensis (1632-1637), et Metropolita Kioviensis (1637-1640).

<sup>312</sup> Die 5 Februarii 1637.

<sup>313</sup> Obiit sub finem mensis Augusti 1640. Cfr. A. G. WELYKYJ, *Annus et dies mortis Raphaelis Korsak, Meropolitae Kioviensis*, in « *Analecta OSBM.* », vol. I, p. 145-160, Romae 1949.

<sup>314</sup> An. 1640-1655.

<sup>315</sup> Revera an. 1655-1665 Metropolia Kioviensis vacabat, et tantummodo administrabatur ab Archiepiscopo Polocensi, Gabriele Kolenda. De his temporibus et bellis cfr. *Litterae Nuntiorum Apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes*, Romae.

<sup>316</sup> Ann. 1655-1665.

<sup>317</sup> Iacobus Susza (1652-1686), qui electus fuit in Protoarchimandritam ab una parte monachorum an. 1661.

<sup>318</sup> Electiones: Jacobi Susza et Gabrielis Kolenda, locum habuerunt tantummodo post obitum P. Benedicti Terleckyj, an. 1661. Cfr. hac de re opus M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 12-14.

dignata est comparere Brestae,<sup>319</sup> et post peractam de spiritu Sancto Missam in ecclesia PP. Basilianorum SS. Petri et Pauli, praesedit ipsa Sua Sanctitas (cui et ipse D. Metropolitanus adhuc in statu simplicis Monachi existens, quantum in illo virium erat, servivit, et Varsaviae in Comitibus 1667 multis gratiis Sanctitatis Suae cumulatus est), et faelicissime omnia sua indicibili charitate, bonitate, et praecalta sapientia, qua pollet (f. 374v), complevit. Nihilominus, dum ventum fuit ad vota et calculos, seu chartulas calici per unumquemque electorum coram Sua Sanctitate, tunc Nuntio Apostolico, imponendas, nemine penitus penitusque contradicente electus est in Protoarchimandritam piae mem. D. Gabriel Kolenda Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae non obstantibus Brevibus supramemoratis Urbani VIII et Alexandri VII, quae per totum non excludunt Metropolitanum vel Episcopum a susceptione huius muneris. Cum enim Religio Basiliiana primum Legislatorem, et Protoarchimandritam habeat Sanctum Patrem nostrum Basilium, magnum Archiepiscopum Metropolitanum Capadociae, nunquam saecula viderunt vel audierunt nomen vel Protoarchimandritae, vel Provincialis in Orientali Ecclesia, et consequenter in Russia, imo semper Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi sine Provincialibus, Protoarchimandritis iura, et leges dabant Monachis Basilianis, ut in Calcedonensi Concilio Oecumenico continetur, quod nimirum sine licentia Episcopi non possit Monachus exire extra claustrum, aut erigere Monasteria vel Ecclesias absque licentia loci Ordinarii. Tandem 1674, subsecuta morte Domini Gabrielis Kolenda (f. 375), Archiepiscopi Metropolitani totius Russiae, deventum est ad intimationem Capituli pro electione Protoarchimandritae.<sup>320</sup> Cui electioni dum praesesset modernus Metropolitanus, ob suam bonitatem, et affectum, quem habuit erga P. Pachomium Ohilewicz, curavit ut tantus vir, et quidem praeclarae pietatis, et doctrinae (novit illum S. Congregatio de Propaganda Fide) eligeretur in Provinciale, et Protoarchimandritam respective ad quadriennium tantum; utrumque currebat regimen illius sanctum concors per omnia cum Metropolitanum, cui iuravit publice in Capitulo dependentiam, et in omnibus parentiam, iuxta praescriptas regulas a Metropolitanum. Quomodo ergo delegans Metropolitanus, et praescribens regulas potest excludi ab hoc munere una cum Confratribus suis DD. Episcopis, si qui digni inveniuntur, et charitate, ac beneficentia erga Religionem sint insignes. Scrutetur aliquando S. Congregatio de Propaganda Fide quidnam Religioni suae Matri praestiterit Metropolitanus per decem, et novem annos suae Metropoliae, et quidnam illi Monachi suo monachali regimine; certe pudet Metropolitanum scribere et nisi suos proprios magnos sumptus pro Religione impendisset, et effudisset, certe Religio non (f. 375v) esset quid honorificum apud Serenissimum totamque Rempublicam; solus enim Metropolitanus attendit Comitibus, sicuti et modo Grodnae per decem septimanas invigilavit, qua privatim, qua publice apud Sacram Regiam Maestatem eiusque Proceres, ne praevaleret Schisma. Est ergo plus quam verum, quod bonitate sua pereat et succumbat Metropolitanus per aliquos ingratos Monachos, ambientes honores et emunctionem pecuniarum, ac perpetuam exemptionem a Metropolitanum, a quo et per quem omnia Monasteria Basilianorum exercent curas parochiales, nec volunt visitari, sed ipsi esse et Curatores et Pastores. Thesaurus Ecclesiae pro libitu disponunt, nec revideri, aut registrari a Metropolitanum sinunt. Unde supplicat Metropolitanus Emi-

<sup>319</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667), dein Innocentius PP. XI (1691-1700).

<sup>320</sup> Anno tantummodo 1675, in s. d. Capitulo Zyrovicensi, diebus 12-16 Maii. Electus fuit Pachomius Ohilewicz (1675-1679).

nentissimae Celsitudini Vestrae, ut Protectori Russiae, totique Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, ut Brevia Sanctissimorum Pontificum Urbani VIII, Alexandri VII, Innoc. XI. accipiantur, et recipiantur a Monachis, quod Metropolitanus Russiae, vel Domini Episcopi non sint exclusi a munere electionis in Protoarchimandritam; est enim et dedecus, et dishonor maximus Domino Metropolitanato, et aliis DD. Episcopis, quod habeantur pro exclusis, cum tamen ab immemorabili, et a condita Religione Basiliana semper immediatum regimen (f. 376) (quomodocunque illud vocandum sit sive Protoarchimandritale, sive Provinciale) penes Metropolitanam in sua Metropolia, penes Episcopos in suis Episcopatibus, uti et modo R. mus Dominus Innocentius Winnicki, Episcopus Praemisliensis,<sup>321</sup> accedendo ad Sanctam Unionem retinet, et regit ipse triginta, et amplius monasteria PP. Basilianorum neoconversorum, nec unquam subdet Protoarchimandritae vel Provinciali ad regendum independentem a sua auctoritate. Cur ergo Metropolitanus modernus Russiae, ob suam mansuetudinem, et condescendentiam tam infelix, ut exclusionis ab electione in Protoarchimandritam debeat subire notam et incapax reddi iurisdictionis supra monachos, quae alias practicatur per totum Orientem. Nec Leopoliensis, nec Luceoriensis accedent ad Sanctam Unionem,<sup>322</sup> si hoc punctum durum exemptionis Monachorum a iurisdictione eorum tractetur, vel proponatur. Fatetur ingenue Dominus Metropolitanus et coram Deo, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, et E. V. quod ob reverentiam E. mi Domini Cardinalis Palavicini,<sup>323</sup> tunc Nuntii Apostolici, multa coactus, et plane ligatis manibus in praeiudicium iurisdictionis Metropolitanæ fecit, et tulit, et praesertim quando illi R. mus Pater Thomas Vieyschi, ex Episcopo Chioviensi, Senatore Regni (f. 376v) Societatis Iesu, Praepositus Vilmensis, uti Patruelis ostendit certam secretam schedulam moderni E. mi Cardinalis Palavicini, haec formalia continentem: Procuret Paternitas Vestra, ut in Capitulo moderno Novogrodensi non cadant vota supra Dominum Metropolitanum Russiae. Visa hac chartula, reveritus est Metropolitanus tantam maiestatem (licet cum extremo dishonore, et mortificatione sui) Apostolicam, et verbotenus assecuravit Patruelem suum, R. mum Patrem Thomam Vieyschi, Praesidem subdelegatum, quod ita fiet, uti mens est Eminentissimi moderni Cardinalis Palavicini. Praetendit quoque Metropolitanus quod in nulla re Eminentissimum Cardinalem Palavicinum laeserit, sed tantum scriptis, et rationibus cum adversa parte concertaverit, quod non prohibet Sacra Congregatio de Propaganda Fide, ut audiatur Metropolita, in quo sentit se esse gavatum.

2do. Quod ad Episcopatus promoveri non debeant alii, nisi ex personis Congregationis nostrae, et hoc non fit in praeiudicium S. Regiae Maiestatis, ut allegat Eminentissimus Cardinalis Barberinus.

Respondetur a Metropolitanato. Siquidem per gratiam S. Sedis Apostolicae, nimirum Sanctissimi Clementis VIII, data est magna potestas Metropolitanato Russiae Datariae promovendi ad Archiepiscopatus, Episcopatus (f. 377) per specialem Bullam, ad perpetuam rei memoriam, quae incipit: *Decet Romanum Pontificem, eos, qui pravis Schismatum erroribus relictis, ad Sanctae Matris Ecclesiae Unitatem redierunt specia-*

<sup>321</sup> Innocentius Vynnyckvj (1680-1700). Post promulgationem unionis suae Eparchiae hic revera multum de reformandis et instaurandis monasteriis suae Eparchiae curabat. Cfr. hac de re articulum B. БАЛЫК, OSBM, in « *Analecta OSBM* », sec. II, vol. III, fasc. 1-2, Romae 1958 (in lingua ucrainica).

<sup>322</sup> Eparchia Leopoliensis accessit ad unionem an. 1700, et Luceoriensis tantummodo an. 1702, et monasteria earum remanserunt in obedientia Episcoporum usque ad an. 1743.

<sup>323</sup> Opatius Pallavicini, Nuntius Varsaviensis (1680-1688).

*libus favoribus prosequi etc. sub datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1595. Septimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno quinto. L. Cardinalis Prodatarius, M. Vestrius Barbianus.* Si bene perpendatur, et legatur haec Bulla Pontificia nulla mentio fit, ut nimirum per Metropolitanum promoveantur ad Episcopatus Monachi Basiliani, imo non bene repraesentatur S. Congregationi a Patre Filipovicz,<sup>324</sup> Procuratore Domini Metropolitanus, quasi ad Episcopatus promoveri non debeant alii, nisi ex personis Congregationis Basilianae, quae longe post istam Bullam Clementinam nata, et constituta est, sub tertio Metropolitanano, Josepho Rutscio.<sup>325</sup> Redit ergo Metropolitanus ad illam Bullam Datariae, ubi non est circumscripta potestas eius promotione Basilianorum ad Episcopatus, sed uti multoties, et pluries practicum, quod etiam dignissimi, et nobilissimi ex saecularibus personis unitis, commendante Metropolitanano, promovebantur per Sacram Regiam Maiestatem, uti Collatorem directum, ad Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimandrias, Hegumenatus advitalitios. Sic praesentati a Sua Maiestate (f. 377v) Metropolitanis Russiae consecrabantur, et investiebantur, praemisso tamen ingressu ad Religionem Basilianam ac professionem eiusdem Ordinis. Sacra porro Regia Maiestas, uti Jus Patronatus habens, semper fuit in pacifica possessione suae collationis, tam in Metropolia existentium Archimandriarum, quae sunt ab immemorabili collationis Suae Maiestatis, quam etiam Episcopatum et Archimandriarum, quae sunt extra Metropoliam in aliis Dioecesibus. Et licet in Diplomate Regio Wladislaviano, Constitutione Regni firmato, de anno 1635, 14 Martii, contineatur promotio Basilianorum ad Episcopatus, per Sacram Regiam Maiestatem apposita tamen ibidem clausula: Quod ad hasce dignitates Episcopales, Archimandritales, Hegumenales promovebuntur Basiliani bene meriti illi tantum, quos commendabit Metropolitanus Russiae unitus, sicut et recentissime in Comitii factum cum R.mo P. Gedeone Oranski,<sup>326</sup> Theologo Basiliano, bene parentelato, et merito de S. Unione, quem commendavit Metropolitanus S. Regiae Maiestati et Sua Maiestas subscripsit privilegium pro Episcopatu Chelmensi, et Archimandria Zydicinensi, post facta R.mi Patris Joannis Malachouski, non ita pridem functi vita Luceoriae.<sup>327</sup> Quapropter gravissimum praeiudicium et onus impositum Metropolitanano Russiae in Congregatione Novogrodensi, quod (f. 378) non possit promovere ad Episcopatus, nisi consultis Patre Provinciali, et Consultoribus. Novit enim optime et punctissime Metropolitanus Chioviensis de dignitate, capacitate, vita et moribus promovendorum.

3tio. Quod exdivisio Monasteriorum in partem Metropolitanani displicuerit Eminentissimo Cardinali Palavicino.

Respondetur a Metropolitanano. In hoc gravissimo, et ponderosissimo puncto exonerat suam conscientiam Metropolitanus. Quod exdivisio facta Monasteriorum, et divisa imperia excogitata praeiudicium magnum intulere Metropolitanano, dum illa Monasteria, quae concernunt iurisdictionem immediatam, et Jus Patronatus illius, ex mente Testatorum, et Fundatorum (quod absit violare) ad suum ius, et dependentiam trahit R. P. Protoarchimandrita cum Consultoribus. Sunt autem praecipue ista monasteria, nimi-

<sup>324</sup> Procurator in Urbe (1690-1701), tum Ordinis Basiliani, tum etiam omnium aliorum negotiorum Ecclesiae Unitae.

<sup>325</sup> An. 1613-1637. Cfr. M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Roma 1949.

<sup>326</sup> Gedeon Oranskyj, Episcopus Chelmensis (1693-1709).

<sup>327</sup> Joannes Malachovskij, Episcopus unitus Peremyliensis (1669-1691), dein translatus ad Sedem Chelmensem (1691), sed obiit antequam eiusdem Eparchiae possessionem adeptus est.

rum Bytheniense, fundatum, erectum et dotatum ab olim Ill.mo Domino Tryzna, The-saurario Magno M. D. L., Rutheno unito, sub hac clausula: Ut monasterium praedictum habeat suum Archimandritam institutum et consecratum a Metropolitano Russiae eiusque Successoribus cum S. R. E. unitis. Quod et practicum est ab Antonio Sielawa, Metro-politano, quando insignem scientia, et spiritu divino afflatum Rev. Patrem Symeonem Jackievicz, Ordinis (f. 378v) Sancti Basilii, Magistrum praeclarum Novitiorum, promo-vit, et consecravit in Archimandritam Bytheniensem.<sup>328</sup> Qua de causa ergo ausus est Pater Filipovicz, Superior SS. Sergii, et Bacchi, inhibitionis literas expedire a S. Congregatione, ut Metropolitanus desistat ab occupatione Monasterii, et non habeat iurisdictionem supra illud? Maximam Metropolitano fecit iste Pr. iniuriam, repraesentando quid pro quo, et supplicat Eminentiae Vestrae, et S. Congregationi de Propaganda Fide, ut talis revocetur inhibitio diffamatoria nominis Metropolitanis, qui nihil aliud intendit, nisi, ut dictum Monasterium (cuius bona praecipua tenet ad vitae tempora Ill.ma Domina Isabella Lacka, Capitanea Mozirensis, nonagenaria, et amplius), defuncta praefata Domina, vindicet e faucibus iamiam inhiantium Magnatum de Domo Thys-enhausowna praetextu successionis sanguinis cum domo Trizniana. Hic enim vix cu-rant decreta, et testamenta, nisi assistat Religioni, et iuribus suis, quod habet supra hoc monasterium insistat, Metropolitanus.

Aliud pariter Monasterium, dictum Berezvecense, est fundatum ab Ill.mo olim Josepho Korsach, Palatino Mscislaviensi, sub eadem clausula, quae supra, et Jus col-lationis sit penes Archiepiscopos Polocenses S. R. E. unitos, et Hegumenus advita-litius installeter, (f. 379) et constituatur Berezvecensis. Modo vero ex gratia et chari-tate sua Metropolitanus, uti Archiepiscopus Polocensis, concessit usum fructum huius Monasterii, et bonorum ad tempus R.mo P. Protoarchimandritae in eius provisionem et PP. Basilianorum ad Alumnatus Pontificios mittendorum ex iisdem redditibus, cum tamen ab Eminentia Vestra adhuc in primordiis suae Metropoliae obtinuerit apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide retentionem huius Monasterii cum Metropolia Chioviensi, alias titulari, et Archiepiscopatu Polocensi. Falso quoque proponitur, vel proponetur a Monachis Basilianis S. Congregationi quasi Monasterium Beresvecense reddiderit Metropolitanus in manus Religionis pro commutatione Villae Thorochanie dictae; haec enim bona spectant ad Metropoliam Chioviensem per privi-legia Serenissimorum Regum Poloniae, et transactionem factam coram olim Ill.mo Domino Nuntio de Torres,<sup>329</sup> ubi Sua Maestas praecavet, quod dicta bona tandiu tene-bit Metropolita unitus, donec veniat in possessionem realem Metropoliae Chioviensis. Postquam autem venerit, praedicta bona Thorochanie ipso facto redibunt, et spectabunt perpetuo ad Archimandriam Zydicinensem, et non in bonum vel provisionem Proto-archimandritae. Videt, et palpat Metropolitanus (f. 379v) quod pro bono opere lapi-datur, et quod ex charitate facit succurrendo Protoarchimandritae, et mittendis Romam, atque ad alios Alumnatos, hoc sibi debitum putant, et inhibitiones expediunt apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide non conscio, nec informante Metro-politano.

Haec dum omnia cum profundissima submissione et humiliatione sui proponit Metropolitanus Em.ae Celsitudini Vestrae, D.no suo, ut sit plene informata de inno-centia, et quali quali zelo indigni Pastoris Russiae, cuius opera non sunt tenebrarum, sed in candelabro conspectui totius Reipublicae exposita, supplicat enixis precibus,

<sup>328</sup> Etiam si monasterium Bytheniense non fuit archimandritale, tamen hac unica vice, ob merita candidati, P. Jackievicz obtinuit hoc monasterium quasi uti Archimandriam.

<sup>329</sup> Joannes de Torres, Nuntius Varsaviensis (1645-1652).

ut tale Capitulum praeiudiciosissimum auctoritati Metropolitanae nec non DD. Episcoporum Russiae, confratrum suorum, excutiens dependentiam suavissimam ab eodem, minime approbetur a S. Congregatione, coram qua, et in capite, coram capite Ecclesiae, Sanctissimo Domino suo, iterum atque iterum ad pedes Sanctitatis Suae cernuus protestatur, et ut nihil transeat, vel impetretur subreptitiae ab isto Patre Polycarpo Filipovicz, Superiore SS. Sergii, et Bacchi (vere egregio, et fidei Procuratore Russiae, cui Metropolitanus de suo Monasterio Berezvecensi pro viatico Romam subministravit 125 Imperiales) supplex petit et acclinis.

Sit illi Iudex Eminentia Vestra super ista omnia, et (f. 380) veritas supernabit sicut oleum, non sicut repraesentat P. Polycarpus Filipovicz, Superior SS. Sergii, et Bacchi Eminentiae Vestrae, atque utinam Eminentiae Vestrae faelicitas ipsius fuisset, sed Sacram Congregationem decepit, mihi Suprasliensem Archimandriam retardavit; et demum V. E. et mihi optat mortem in sua epistola ad PP. Consultores Russiae Basilianos, ut postea efficiat nescio quid contra me apud Sacram Congregationem. Praepotens Protector E. V. erga me indignum servum tuum meretur, ut servus S. R. E. Metropolita idque non semel, usque ad sanguinem honoretur. Mea interim obligatissima obsequia pedibus E. V. substerno, et plantas sacras deosculor.

Supraslii, 16 Aprilis 1693.

Em.mae, et R.mae Celsitudinis Vestrae Schiavo

CYPRIANUS de ZOCHY ZOCHOWSKI,  
Archiepiscopus totius Russiae.

(f. 431) P. S. Mando anche la copia di questi perfidi Scismatici, Gran Duchi di Moschovia, che scrissero alla Maestà del Nostro Re, accio io, e Monsignor Winnicki, Neounito, Vescovo di Premyslia, siamo degradati dalla Metropolia e Vescovato, perchè dice convertiamo i Scismatici (come chiamano loro Ortodoxi della Russia) a forza. È segno dunque che non stiamo in ozio, et pro bono opere erga Sanctam Sedem Apost. et Sanctissimum Dominum meum lapidamur. Evertet D.nus hanc Monarchiam rebellem semper Sanctae Sedi Apostolicae.

## 96.

*Suprasl, 4 . V . 1693.*

*Querelae Hierarchiae unitae de Protoarchimandrita Basilianorum ex simplicibus monachis electo, variaeque petitiones.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 876rv.

Eminentissimi et Reverendissimi Principes ac D.mi, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinales, Domini, Domini et Patroni nostri Colendissimi.

Quotquot potuimus adunari pro consecratione in Episcopum Chelmensem et Belsensem Ill.mum et Rev.mum Dominum Gedeonem Woyna Oranski, undequaque dignissimum Pastorem, et bene Parentellatum (quod requiritur in Volinia), illico accurrimus ad Eminentiam Vestram, proponentes desideria nostra et praecipue nuntiamus EE. Vestris, quod certo et proxime impendet ruina Religionis Basilianae per regimen Protoarchimandritale, simplicis de gremio Capituli Religiosi electi, sicuti modo excogitatum est in Capitulo Novogrodensi, nobis omnibus maiori ex parte Episcopis Russiae tunc absentibus, et non consentientibus, imo reclamantibus, ob multa praeiudicia illata, quae tangunt nostram Episcopalem, et Ill.mi Domini Nostri Metropolitanani Iurisdictionem, ac debitam dependentiam a nobis. Quod si videremus, hanc Religionem Matrem nostram clarissimam subsistere posse, Novitiatum augeri non diminui,

subiecta pro mittendis studiis sufficere, utique gratularemur huic regimini Protoarchimandritali. Ast totum contra succedit; quod in foliis separatis Ill.mus Dominus Metropolitanus nomine suo et nostrum, manu propria connotatis, porriget Eminentis Vestris, Dominis et Arbitris nostrarum Russiae rerum. Proinde cessante et expirante post annum taliter constituta Protoarchimandria, dignentur declarare Eminentiae Vestrae quatenus potestas eligibilitatis in Protoarchimandritam, vel cadet in Ill.mum Dominum nostrum Metropolitanum, vel in aliquem ex DD. Episcopis Russiae; vel si Religiosus debeat esse Generalis Ordinis, talis sit, qui nobilissimae familiae, rari exempli et doctrinae, et polleat favoribus Principis, ut intendebat Iosephus Rutschius, Metropolitanus, licet nunquam practicum sit, sed semper regimen supra Religionem devolvebatur per electionem liberam ad Metropolitanum. Ut in folio separato, quod incipit « *Responsa Metropolitanum Russiae ad interrogatoria facta Monachis Basilianis etc.* » fusissime continetur.

Adiungimus quoque supplices nostros libellos ad Sanctitatem Suam, Dominum Nostrum Oecumenicum Clementissimum, per Eminentias Vestras favorabiliter expediendos, et obtinendos. Nempe pro Archidioecesi Ill.mi (f. 876v) Domini Metropolitanum nostrisque dioecesibus Vladimiriensi et Brestensi, Pinscensi et Turoviensi, Chelmensi et Belsensi, et noviter, sed efficaciter ac zelose Sanctae Romanae Ecclesiae adiuncta Premisliensi et Samboriensi (Dominus enim Archiepiscopus Smolenscensis et Severiensis, ob Moschoviticam occupationem titulo tenui tantum gaudet sua denominatione). Qui porro supplices libelli fundantur in Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide, et S. Congregationis Generalis Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, sub variis diebus, et annis habitis, quod ipsum in folio separato, sub numeris: Imo, 2do, et 3tio luculenter exprimitur. Petitur quoque a nobis gratia et Decretum Sanctissimi, ac Eminentiarum Vestrarum per singulariter hinc exaratam epistolam ad Eminentias Vestras. Nos interim quos adunavit charitas, et coalescentia in bonum Sanctae Unionis, et S. Matris nostrae Religionis, Nutricis charissimae, apud Ill.mum Dominum Nostrum Metropolitanum Sacras Eminentiarum Vestrarum purpuras devotissimo basciamus osculo, earundemque gratias, pro quibus instanter Oratores sumus, toties quoties reposcimus scribimurque

Eminentissimarum et Rev.marum Dominationum VV.

humillimi, devotissimi et obligatissimi Servi

CYPRIANUS in Z. ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien. Halicien. et totius Russiae nec non Polocen. Vitepscen. (m.p).

GEDEON WOYNA ORANSCKI, Episcopus Chelmensis et Belsensis (m. propria).

LEO SLUBICZ ZALENSKI, Protothronius Metropoliae Kiovien., Vladimiriensi. et Bresten. Episcopus (m. p).

MARTIANUS BIALLOZOR, Episcopus Pinscensis (m. p).

Dabantur Supraslii, 4 Maii 1693.

97.

(Suprasl), 4. V. 1693.

*Descriptio status Ordinis Basiliani ex parte Metropolitae tempore famosae litis de suprema auctoritate et exemptione Ordinis Basiliani. Informatio polemica, et inde videnda et altera pars.*

Status miserrimus Religionis ad quem redactus est sub regimine. . . . .  
simplicis Religiosi, electi in Protoarchimandritam seu Provincialem sequentibus. . .

Vidi et palpavi Eminentiarum Vestrarum epistolam, directam ad nos Metropolitanum, et respective ad DD. Episcopos Russiae, per Eminentissimum Cardinalem Nerlium, Protectorem Russiae,<sup>330</sup> occasione eius epistolae pro informatione Eminentiarum Vestrarum. Praemitto in separatis foliis binas informationes, quarum Ima titulum habet: « *Responsa Metropolitanus Russiae ad Interrogatoria facta Monachis* » etc. Haec vero secunda « *Status miserrimus, deplorandum et desperandum Religionis, sub regimine simplicis Religiosi, Protoarchimandritae electi* », est denuntians EE. Vestris. Quod R. mus Protoarchimandrita ab Ill. mo Domino Metropolitano electus in Congregatione penultima Novogrodensi,<sup>331</sup> solo tunc interveniente Ill. mo Domino Episcopo Pinscensi<sup>332</sup> (nam alii Domini Episcopi invigilabant Tribunalibus Regni suisque gravissimis ibidem incidentibus Causis) et postea ultimo celebrata Minsci<sup>333</sup>, ita sanctam Religionem quaestibus suis et luctis studentes deseruerint, et devastaverint, ut nihil illis curae sit Religio, Novitiatus, visitatio saltem honesta, et practicata ab omnibus Religionum Provincialibus religiosa, sed tantum ambitus, excussio dependentiae a Metropolitano et Episcopis Russiae, praesertim in Parochialibus, siquidem exercent amplissimas et numerosissimas animarum curas, quae nullo pacto et precipue in Orientali Ecclesia possunt administrari, absque scitu, consensu, visitatione et delegatione loci Ordinariorum Russiae. Proferant ad gaudium et solatium Eminentiarum Vestrarum quid tandem operati sunt per octo istos annos noviter erectae in simplici Religioso Protoarchimandritae. Certo deputent Em. V. secreto aliquem pietate et doctrina conspicuum, vel committant Ill. mo Domino Nuntio Apostolico, ut captata informatione a nobis, putet una cum Ill. mo Domino Metropolitano, quid praeclarum, quid utile, vel saltem honestum in vita et moribus gesserunt in suis Magistratibus isti duo Protoarchimandritae,<sup>334</sup> in Novogrodensi et Minscensi electi Capitulis; profecto invenient Em. V. omnia promanata bona, erectiones ecclesiarum, et monasteriorum, eorumque dotationes et dilatationes factas ab Ill. mo Domino Metropolitano, et nobis Episcopis, nullas autem penitus penitusque ab hoc Regimine excogitato, et nunquam in Oriente, vel in Metropolia Russiae practicato. Hactenus enim cum nihil actum vel auctum per tale detestandum Regimen, ruerent penitus res Religionis, nisi Ill. mus Dominus Metropolitanus, et nos exhausti calamitatibus temporum Episcopi uniti ultimas exerissemus vires, partim Scholis erectis, partim subiectis ad Ordinem Basilianum aliunde praeter Novitiatum communem conquisitis, certe desiissemus. Illud Apostoli gentium gloriamur cum humilitate nobis adscribere: Virtus nostra in infirmitatibus perficitur.

Quod sane sauciavit laethali vulnere et dolore cor nostrum, licet extet locus Novitiatus in Archimandria Bytheniensi Ill. mi Domini Metropolitanus Collationem concernens, ex mente Fundatoris, siccatus ille fons Matris Religionis per Superiorem illius loci Bitheniensis, et RR. PP. binos Protoarchimandritas superius nominatos, nec enim plus quam duo, vel tres rudes reperiuntur Novitii, etsi qui volunt caputium S. Ba-

<sup>330</sup> Franciscus Nerli, olim Nuntius Varsaviensis (1670-1671).

<sup>331</sup> Capitulum Novogrodecense an. 1686, in quo electus fuit in Protoarchimandritam P. Josephus Pietkevycz (1686-1690).

<sup>332</sup> Adhuc, videtur, Jacobus Susza (1652-1686).

<sup>333</sup> Capitulum Minscense an. 1690, in quo electus fuit in Protoarchimandritam P. Simeon Ohurcevyz (1690-1698).

<sup>334</sup> Pietkevycz et Ohurcevyz (1686-1698).



sillii accipere ob avaritiam et innatam pecuniarum aviditatem Superioris reiciuntur, et non admittuntur vel si admittuntur, ad breve tantum tempus durant et spoliuntur ab illo supellectili notabili secum allata; deinde, praetextu quasi mortificationis et Regulae S. Patris Nostri Basilii, fame et inedia praemuntur; idem fit cum Patribus professis Religiosis Monasterii. Velint ergo nolint miserabiles vere anhelant piscinam hanc probaticam S. Patris Nostri Basilii deserunt et vias suas abeunt. Exhorreant EE. VV. super enormissimum tale tractamentum et statum Novitiatus atque decernere dignentur ut Ill.mus Dominus Metropolitanus, tum in Magno Ducatu Lithuaniae Bitheni, tum in Voliniam (f. 873v). . . . .<sup>335</sup> consulant de Superioribus et Magistris dignis Novitiatus; brevi enim. . . . . Pro enim Bitheniensi in Magno Ducatu Lithuaniae, (quin prius. . . . . et Vilnam transferat) est assignata opima provisio ab Ill.mo Domino Metropolitanus, uti disponente, et Polonicalium iure Redemptionis, alias Widerkaufu obligata apud Ill.mum Dominum Volovicianum; item est villa magnae considerationis, Noriza dicta, duo millia florenorum quotannis reddens, eidem Novitiatui pensionem solvere debet. Ultimo, notabilem gratiam praestitit Ill.mus Dominus Metropolitanus Novitiatui et Religioni, quando pro mittendis ad Alumnatus et Seminaria Pontificia per suam innatam bonitatem, et eius ratam erga Matrem Religionem pietatem cessit plenissimo iure Monasterium Berezvecense, licet sui Iuris Patronatus, per dispensationem S. Congregationis de Propaganda Fide, procurante Emin.mo Cardinali Nerlio, ut nimirum non obstante dispositione testatoris, ad vitae tempora pro suo usu fructu retineret, et quatuor millibus florenorum polonicalium quotannis gauderet.

Per omnes Alumnatus SS.morum Pontificorum, Dominorum Nostrorum, ultro se offert misericordia admittendi et excolendi Iuventutem Basilianam, ut evandant plus quam necessarii Operari pro tota Russia, Volinia, pro Scholis et Episcopatibus Russiae; ob istam iniuriam detestandam et privata comoda, desunt totaliter subiecta; quis in causa, clamat informatio superius attackta.

Et quid, quaeso, aut prodesse potest istud Regimen Provinciale ad quatuor annos in simplici Religioso, cum solus Ill.mus Dominus Metropolitanus una cum DD. Episcopis procurat et pollet favoribus Principis, attendit Tribunalibus Regni, et Magni Ducatus Lithuaniae, vindicat bona et immunitates Unionis Sanctae, neque Protoarchimandrita ad conspectum Serenissimi Principis Procerorumque Regni, Satraparum et Magnatum admittitur, nisi assistente et promovente Ill.mo Domino Metropolitanus, et nobis Episcopis; neque attenduntur Protoarchimandritae et Consultorum instantiae, nisi iuxta Diplomata Regni, Constitutionibus Comitiorum firmata, solus Metropolitanus commendat Religionem, et subiecta digna ad promovendum. Ut quid ergo tales fasces? de quibus nunquam somniavit Sanctus Basilius, Metropolitanus Cappadociae, et Patriarchae Orientales cum Episcopis, nec non Metropolitanus Russiae cum ista Hierarchia Episcoporum; deferuntur uni simplici Religioso, qui varios Protoarchimandritae, vel Provincialis, ignotos Orienti, assumit titulos, cum tamen est ipse nihil habens, nisi per gratiam Ill.mi Domini Metropolitanus, eius Datariam Apostolicam (uti et modo donavit moderno Protoarchimandritae Archimandriam Grodnensem, quam Haebreo cuidam Grodnensi, Leybae dicto, arendavit, et nullum tenet Religiosum) inculcando et obligando eius conscientiam, ut restauret ecclesiam Archimandritalem Grodnensem, penitus dirutam, et in Monasterio teneat saltem duos Religiosos Presbiteros; sed ille, parcat Deus, luxibus continuis inhaerens recessit a verbo dato Ill.mo

<sup>335</sup> Textus omnino corruptus, et ideo illegibilis.

Domino Metropolitano et ivit in Russiam, ad summas Novitiatui Bitheniensi debitas consumendas. Totis Comitibus Ill.mus Dominus Metropolitanus pro zelo suo pastoralis interfuit, magnis suis non parcendo sumptibus; ipse in persona sua, assistentibus Ill.mo Domino Georgio Maleiewski,<sup>336</sup> Archiepiscopo Smolenscensi, Ill.mo Domino Episcopo Piscensi,<sup>337</sup> R.mo Archimandrita Minscensi, ac suo Clero numeroso in praesentia Sacrae Regiae Maiestatis et Reipublicae non modo Pontificalia suavissimo concentu Musices peregit (f. 874). . . . in persona sua pro Rostri. . . . ingrata. . . . Episcopi Premisliensis humanissime excepit et quantum potuit eum cumulavit honoribus. Ita. . . . parere cum famulatio suo, et sollemnissime ad mentem Sanctissimi se subiecerit huic Archiepiscopo. . . . Metropolitano, de qua re subsecuta, Sacra Regia Maiestas, et tota Reipublica reddita est sat. . . . dentibus suis fremunt Duces Moschoviae supra hoc memorabile factum, atque in literis, Hramota dictis, ad Sacram Regiam Maiestatem, degradationem Ill.mi Domini Metropolitanum quem vocent. . . . Albae Russiae non Chioviae et Ill.mi Domini Winiacki, Episcopi Premisliensis, de suis sedibus Cathedralibus. . . . Maiestatem Poloniae instent, sed in suis desideriis tabescent et peribunt.<sup>338</sup>

Hoc quoque iniuriosissimum est, quod ambo isti Protoarchimandritae visitent Monasteria, cum praedictis Monasteriorum, et Religiosorum, puniendo illos sine recurso et appellatione ad Ill.mum Dominum Metropolitanum aliosque DD. Episcopos; emungit, ubi videt Monachos habere pecunias; videntes enim Religiosi tale Caput et Consultores, ad exemplum illorum sunt proprietarii, et nihil in commune conferunt.

Nec placet inter multa alia absurda, quae committuntur a R. P. Josepho Pietkiewicz, Superiore et Ministro Novitiarum Bitheniensi,<sup>339</sup> quod per ipsum ita mortificantur et affliguntur Religiosi, ut raro aut nunquam assideat mensae et manducet cum illis, sed quotidie ad aulam vicinam Monasterio, hoc est ad Ill.mam Dominam Isabellam Lazka Chodkiewiczowa, Praesiden. Mozyrensem, prandet et caenatur ad opulentiam; Religiosi vero sicut bestiae tractantur ab ipso; bene Novitiatus ruit et corrui.

Pariter dolendum et EE. VV. proponendum est, quod cessantibus Collationibus et Iuspatronatibus Principis, aliorumque Magnatum super Archimandrias et Hegumenatus advitalicios Ius habentium, cesabit quoque protectio, et sequetur extrema desolatio insignium Archimandriarum et Hegumenatum, tam in Regno Poloniae, quam in Magno Ducatu Lithuaniae; iam enim incipiunt ausu temerario apud VV. Eminentias subdole sorrepticieque expedire inhibitiones contra Ill.mum Dominum Metropolitanum, ne intrudant se ad collationem, et institutionem Archimandritae Bitheniensis, pariter et Hegumeni Beresvecensis, quae recte inhibitiones fuissent contra mentem Testatorum, Ill.mi Domini olim piaae memoriae Tryzna, Thesaurarii Magni Ducatus Lithuaniae, Bitheni, et Ill.mi Domini Josephi Korsak, Palatini Mscislaviensis, Beresvecii; ut quid non auditum Ill.mus Dominus Metropolitanus vapulat coram EE. VV. et nos Episcopi in persona eius. Credant nobis Em. V. quod in Ordine Basiliano

<sup>336</sup> Georgius Malejevskyj, Archiepiscopus Smolenscensis (ab. an. 1690).

<sup>337</sup> Marcianus Bilozor (1666-1697).

<sup>338</sup> In hoc ultimo folio textus est valde corruptus, nec legi potest. Ideo partes omissas signavimus punctis.

<sup>339</sup> Si agitur de anno 1693, tunc Josephus Pietkevycz, rite functus suo protoarchimandritali turno (1686-1690), Superiorem agebat monasterii Byteniensis, et simul Magistrum novitiarum, qui monasticum tyrocinium in hoc monasterio peragebant.

ad vitalitatus Protoarchimandriae, Archimandriarum et Hegumenatum, qui sunt Iuris Patronatus Regii vel Principum et Magnatum, plurimum prodest et auget bonum Monasteriorum, quae tenent taliter instituti Archimandritae et Hegumeni. Quod si vero contingat Superiorem esse ad annos quatuor, nisi coërceatur a solo Metropolitano, vel nobis Episcopis, nil facit boni, sed lucris et adunandis in suam sortem pecuniis studet, ut post quadriennium elapsum, habeat unde, sublatis et surreptis Monasteriorum nummis, vivat; Consultoria peragunt, inscio Ill.mo Domino Metropolitano et nobis Episcopis, in crapulis et commensationibus, et nescio quid statuunt (certe nil duraturum, nec substiturum sine Ill.mo Domino Metropolitano et nobis Episcopis), non communicatis Consultorii Decretis, praesertim cum omnes simul de gremio Religionis, nec exuimus vota professionis factae, et intramus in Capitulum titulo Archimandriarum (sine quibus et Metropolia et Episcopatus esset magnum nihil). Vocem activam habemus ac proinde eligibilitatis et capacitatis Protoarchimandriae, stante tali perenniter practicato usu per Orientem Graeciae et Roxolanum unitum S. Romanae Ecclesiae, eiusque Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papae XII,<sup>340</sup> qui Brestae ad suam sacrosanctam praesentiam composuit animos dissitos Metropolitanorum et Episcoporum cum Religione, et fecit, dixit et elegit ore suo benedicto in Protoarchimandritam piae memoriae Antecessorem Ill.mi Domini moderni Metropolitae, bene noti Suae Sanctitati, D. Gabrielem Kolenda.<sup>341</sup> Supplicamus Eminentis Vestris, ne privemur hoc honore et eligibilitate praefata in Capitulis Basilianis, quae Metropolitano (f. 874) . . . . . erunt cadavera et ossa . . . . . Legimus quoque . . . epistola Eminentissimi Cardinalis Nerli, Protectoris Russiae, ex mente Em. VV. ad Ill.mum Dominum Metropolitanum, usque . . . . . directa. Ubi Eminentiae Vestrae mandant mittendum esse aliquem Romam nomine nostrum, ut informet abunde Eminentias Vestras circa Acta Capituli Novogrodensis, quam tum potuimus quando informavimus EE. VV., sed inspectis calamitosissimis hisce temporibus, per Milites solemnes Praedatores, et viscerum Reipublicae scrutatores, tum etiam incursiones frequentissimas tot annis Tartarorum, unde extremae ruinae in Bonis Metropolitiae, Episcopatu, et Archimandriarum cum iam factae conspiciantur, non sufficimus ullo pacto pro mittendo Romam tali subiecto, nisi forte satius foret sub tempus Comitiorum futurorum, coram Ill.mo Domino Nuntio Apostolico ad Interrogatoria sapientissima et prudentissima EE. Vestrarum respondere; utraque tamen Parte informante, ut ab utrinque satisfactio, et debita dependentia Religionis a Metropolitano et Episcopis et viceversa Metropolitanorum et Episcoporum mutuus amor erga Religionem foveatur. Hic est status modernus ergo EE. VV. enarratus et dilucidatus, sub regimine simplicis Religiosi Protoarchimandritae per octo annos continuatus, quem tamen non timent Religiosi; vel si timent, pecuniis ipsum et muneribus trahunt in suas partes, et sic discolorism non tollitur, sed per hoc augetur.

Nomine meo et Illustrissimorum Dominorum Episcoporum  
Vladimirien., Pinscen Chelmensis subscribo

CYPRIANUS de ZOCHY ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae et Polocensis (manu propria).

<sup>340</sup> Antonius Pignatelli, olim Nuntius Varsaviensis (1660-1667), dein Pontifex Romanus (1691-1700).

<sup>341</sup> Metropolita Kioviensis (1665-1674).

## 98.

*Suprasl, 4. V. 1693.**Ut prohibeatur transitus ad Riturum Latinum, nec non transmittit Missale slavonicum.*ASV, *Litt. Episcoporum*, vol. 82.APF, *Scrirt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 440rv.

Eminentissimi et R.mi Principes, ac Domini, Sacrae Congregationis de  
Propaganda Fide Cardinales, D.ni, D.ni et Patroni nostri Colend.mi.

Adhuc sub felicis et suavissimae record. Urbano VIII. P. O. M. obtinuerat Russia nostra, et Ordo Basilianus, cuius de gremio sumus, multa Decreta et Brevia favorabilia pro augmento et incremento Unionis Sanctae, inter quae numerare licet Decretum illud memorabile a Sacra Congregatione de Propaganda Fide sub numero primo, 7 Iulii 1624, latum, ne nimirum et de caetero audeant Presbyteri et alii Ecclesiastici Ruthenorum Unitorum, et praesertim monachi Sancti Basilii ad Latinum Riturum, quacunque de causa, etiam urgentissima, sine speciali Sanctae Sedis Apostolicae licentia transire. Quod quia effatum et mandatum Eminentiarum Vestrarum, consentiente Sanctissimo Urbano VIII, hactenus sanctissime observatum, et intra suam manet orbitam, hinc oritur nova supplicatio, ex quo dioecesis Praemisiensis, duobus millibus parochialium Ecclesiarum constans, Sanctae Romanae Ecclesiae recens agglutinata,<sup>342</sup> et aliae Luceoriensis et Leopoliensis nostra indigna cura et sollicitudine agglutinandae maneant, ut nimirum insignis iuventus Ruthena unita, propriis sumptibus parentum vel in scholis nostris E.palibus nobilissime exulta, et latinitate aliisque scientiis imbuta, et iam ad suscipiendos vel ordines presbyteratus, vel amplectendum Ordinem Basilianum proxime accincta vel accingenda, non pertrahatur amplius a D.nis Ecclesiasticis latinis ad suas Parochias latinas, vel a Religionibus et familiis sacris Ordinum, quicunque illi reperiuntur in hoc Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae, ipso facto non suscipiantur ad professionem praefatorum Ordinum et Societatis Iesu, quae sub titulo Scholarum et Academiaram praestantissima Roxolana ingenia magnis solertiis exhibitis capit, et habet insignes operarios, sed non pro nostra vinea Romano Ruthena. Compertum enim Eminentissimis Vestris, quod recentissime isti Magni Duces Moscoviae<sup>343</sup> abnuerint acceptare de quacunque Religione latina Missionarios praeterquam Petrinos, ut vocant suo idiomate Slavonico, hoc est parochos institutos a Sancto Petro, Primo Pontifice visibili, et Vicario Domini nostri Iesu Christi. Unde magna spes affulget, quod satius nobiscum et nostris Basilianis, ac Presbyteris saecularibus unitis, scientiam magnam parochialium, et in slavonico idiomate habentibus, non vanum, sed utile colloquium instituent aliquando, pro neoaccidentia Moscoviae ad Sanctam Romanam Ecclesiam. Quapropter expectamus per gratiam Sanctissimi D.ni Nostri et Eminentiarum Vestrarum talem inhibitionem praefatis D.nis Ecclesiasticis latinis, et sacris Ordinibus Religiosorum, ne deinceps super laica iuventute unita laxentur retia eorum in capturam.

Missale proditum slavonicum magnis sumptibus Ill.mi Domini nostri Metropolitanis,<sup>344</sup> et iam consignatum ad manus Ill.mi D.ni Nuntii moderni mittendum, ut pro-

<sup>342</sup> Anno 1692.<sup>343</sup> Ivan V (1682-1696), et Petrus I (1682-1725).<sup>344</sup> Prodiit Vilnae an. 1692.

miserat, Romam, ut serviat pro omnibus gentibus Slavonicis tam sub ditione Sacrae Caesareae Maiestatis, quam Sermae Reipublicae Venetorum contentis, obnixè rogamus Eminentias Vestras, nec dum enim visum in tali ordine, et est ad instar Eminentissimi Cardinalis Nerlii, Protectoris Russiae, compactum. Hic iam Eminentiarum Vestrarum purpuris devotissimum figimus osculum, manemusque

E.marum et R.marum Dominationum Vestrarum

humillimi, devotissimi et obligatissimi Servi

CYPRIANUS ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis, Haliciensis et totius Russiae necnon Polocensis.

GEDEON WOINA ORANSKI, Episcopus Chelmensis et Belzensis

LEO SLUBIC ZALENSKI, Protothronius Metrop. Chioviensis, Episcopus Vladimirensis.

Dabantur Supraslii 4 Maii 1693.

99.

*Torokanie, 29 . VII . 1693.*

*Defendit Episcopum Pinscensem iniuste iudicatum et tractatum ab Auditore Nuntiatuae Apostolicae, quaerit modum se gerendi cum Episcopis noviter unitis, nec non supplicat pro Coadiutore sibi concedendo.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 445-447v.

Eminentissimi Rnd.mi Principes ac Domini, Domini,  
Domini et Patroni Colendissimi.

Magna certe afflictione Episcopus premitur, quando cum scandalo Christi fidelium et Schismaticorum citatur a Subdito non uti Pastor, sed Simoniacus, non Visitator, sed Invasor, non inquirens derelicta post defunctum Parochum intestatum, sed violator, non iam conservans inventa eiusdem intestati, sed raptor. Et insuper exhumator ac inquietator corporis Defuncti proclamatur, et pronunciatur. Haec omnia sustinet Ill.mus Dominus Episcopus Pinscensis<sup>345</sup> a subditis suis, scilicet a Catharina, uxore defuncti Parochi Pohoscensis, Ritus Graeci Unitorum, et filiis eorundem. Praefati enim cupientes bona ecclesiastica mobilia aequè ac immobilia vindicare sibi, imprimis recursum fecerunt ad Rnd.mum Religiosum Michaelèm Pac, Equitem Melitensem, Administratorem Bonorum Regalium ad vitae tempora, in quibus consistit Ecclesia et Parochia Pohostensis. Hoc deinde Promotore citarunt Episcopum praefatum ad Ill.mum Dominum Sanctacrucium, Nuntium Apostolicum,<sup>346</sup> criminantes eum ut supra, accesserunt figmenta praefatorum accusantium subditorum, quasi idem Dominus Episcopus magnam pecuniarum summam multaque mobilia derelicta post **Intestatum**, tum et ecclesiastica rapuerit. Quae utique ingenue fatetur Episcopus et **invenisse** et **conservasse**, sed in pauca admodum portione, prout mihi constat ex **depositione iuratoria Decanorum Presbiterorum Ritus Graeci Unitorum Dioecesis Pinscensis**, coram (f. 445v) me facta. Ita traductus Dominus Episcopus Pinscensis longo itinere, suscepto in gravissima licet senectute et infirmitate sua, adiit Ill.mum Dominum Nuntium, exposuitque, quod iure sui officij obligatus, uti Episcopus visita-

<sup>345</sup> Marcianus Bilozor (1666-1697).

<sup>346</sup> Andreas Santacroce (1690-1696).

verit, inquisiverit, invenerit aliqua, et haec inventa conservari et custodiri fecerit, ut secundum praescripta Ecclesiae disponantur. Dolorem suum insuper et afflictionem ob tot criminales actiones sibi obiectas ab accusatoribus explicuit, insuper supplicavit, ut Ill. mus Dominus Nuntius, videns talem actionem Episcopo intentari, sineret frui Privilegio Episcopis concesso a Concilio Tridentino, quod Sessione 24ta: de Reformatione, Cap. 5to, sic decrevit, quod incipit: Criminales graviore, etc. Hac allegatione Concilii Tridentini irritatus Perillustris Dominus Bentinus, Auditor, in absentia Ill. mi Domini Nuntii, caepit Episcopum criminaliter iudicare. Episcopus, in-nixus Privilegiis dicti Concilii et aliis antiquissimis, exceptit Forum. Haec exceptio cum non admitteretur, appellavit Romam ad Sanctissimum. Porro cum nec appella-tio audiretur, protestatus est contra gravamen. Interim stante hac exceptione Fori, Appelatione Romam, et Protestatione, iussus est respondere ad maxima crimina sibi obiecta, petiit ut stante Processu criminali non iudicaretur Episcopus, vel si esset iudi-candus, prima instantia fieret apud suum Metropolitanum Russiae. Verum postha-bitis ipsius repetitis appellationibus et protestationibus, emanarunt varia Decreta in Nunciatura contra Episcopum (f. 446), Commissio iniuncta et executioni data, iniu-riosissimo et impracticato modo, quia per personas inferiores, et impares episcopali dignitati, videlicet per unum Parochum latinum, Canonicum titularem, et per alium graecum Religiosum Sancti Basilii, Superiorem unius Monasterii, qui, personae Epi-scopi infensissimi et adversarii fuere. Hi porro in absentia ipsius Domini Episcopi, sine denuntiatione convenienti, tum personam episcopalem tum Clerum Dioecesis Pinscensis contemnentes, eo quod exceptionem Fori, Protestationem et Appelationem ad Sanctam Sedem Apostolicam, super nullitate actorum et agendorum in Commis-sione admitti rogaverint, nihilominus praefati Domini Commissarii, conquisitis armis et caterva hominum, Subditorum Rn. dmi Pac, Equitis Melitensis, non admissio libello exceptionis Fori, Protestationis et Appelationis ad Sanctam Sedem Apostolicam, cum strepitu et scandalo Christi fidelium, additis minis compedum, catenarum et carcerum contra Clerum Pastori faventem, praemeditatam instituerunt, formarunt et expedierunt Commissionem. Inde exandescencia Schismaticorum et induratio Gregis uniti, com-motio, et fremitus Nobilitatis, quam cogebant isti duo Commissarii (sat insolentes), quia excommunicabant et publicabant Nobiles huius Districtus Pinscensis per ecclesias cum sono campanarum, ob id solum, quod non testarentur contra Episcopum. Testes vero subordinabant et admittebant infensissimos personae episcopali, a quibus vel, bona Ecclesiae vindicavit, (f. 446v) vel quia scandala et insolentias eorum coërcuit. Supplicat proinde Dominus Episcopus Pinscensis mecum Eminentis Vestris, Patronis, et rerum Russiae Arbitris, ut Sacra Nunciatura Apostolica ad primum Tribunal Rus-siae Metropolitanum respicere dignetur, et ut Causa haec Domini Episcopi Pinscensis de mandato Sanctissimi Domini Nostri et Eminentiarum Vestrarum, siquidem recursus factus est ad Sacram Justitiae Signaturam, remittatur ad Commissarios, quos sibi elegit Dominus Episcopus Pinscensis, ut appareat ipsum innocenter, et pastoraliter, iuxta praescripta Sanctae Romanae Orientalis Ecclesiae in praedicta procesisse Causa. Satis enim calamitate temporum huius Reipublicae attriti sumus, et vix episcopalem honorem sustinere ob continuas militum pressuras valeamus, absque hac vexatoria Causa.

Mature cogitanda supremo arbitrio Eminentiarum Vestrarum, Dominorum meorum subiicio, et quidem gravissimum et a saeculo desideratum negotium Neoaccidentium Dominorum Episcoporum<sup>347</sup> Premysliensis, Domini Winnicki, Leopoliensis et Luceo-

<sup>347</sup> Innocentius Vynnyckyj (1680-1700), Josephus Szumlanskyj (1676-1709), et Athana-sius Szumlanskyj, Episcopus Luceoriensis (1688-1695).

riensis, Fratrum germanorum Episcoporum. Primus enim palam professus Unionem Sanctam et ad Eminentias Vestras scripsit;<sup>348</sup> alii duo voto Uniti, sed his proxime futuris Comitibus (f. 447) Grodnae ad sanctam obedientiam amplectendam accingendi sunt. Quapropter quomodo debeam me gerere et procedere cum illis in praedictis Comitibus, supplico doceant me Eminentiae Vestrae, et ego ne latum quidem unguem recadam a mandato Santissimi Domini mei, et Eminentiarum Vestrarum, quod totum dignabuntur committere Ill.mo Domino Nuntio Apostolico, a cuius nutu pendebo.

Ultimum quod proponendum est Eminentibus Vestris, sunt mei assidui labores ab Anno 1667, adhuc sub felici Nunciatura Sanctissimi Domini mei Oecumenici Innocentii XII, Dominini Clementissimi, usque ad annum nunc currentem, absque fucosae gloriae non ingloriose, sed cum decore Sanctae Romanae Ecclesiae suscepti et exantlati; lassus enim bos, iam altius figens pedes, vel liberari ab hoc munere et onere laborioso, vel Successorem aut Coadiutorem, quem inspiraverit de alto Dominus, Sanctissimo Domino meo Clementissimo per Eminentias Vestras supplico. Mallem Romae ad primum statum Ordinis Sancti Basilii Magni reduci, atque dies meos paucos, et malos ibidem terminare, quam hic extreme sanitatem (f. 467v) meam perimentibus confici curis, et praesertim post intensos labores, atque aerumnas in hoc statu Archiepiscopali totius Russiae perpassas. His omnibus quam humillime coram Eminentibus VV. expositis (quod ipsum repraesentavi Eminentissimo Cardinali Nerlio, Protectori Russiae, Domino meo) et ad votum responsa benefica expectans, me totum quantum gratiae et protectioni inclytae EE. VV. commendans, Sacrasque earundem Purpuras devotissimo veneror basio maneoque quoad vixerō

Eminentissimarum et R.marum Dominatiorum Vestrarum

humillimus, devot. mus et oblig. mus Servus

F. CYPRIANUS de ZOCHI ZOCHOWSKI, Archiepiscopus Metropolitanus Kiovien. et Halic. totius Russiae, Archiep. Polocen. mp.

Datum Torocaniis, in Residentia mea, die 29 Iulii, 1693 Anno.

## 100.

*Torokanie, 4 . IX . 1693.*

*De Archimandria Suprasliensi et de Causa Pinscensi.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 456rv.

Illustrissime et Rnd.me Domine, Domine et Patrone Noster Colend.me.<sup>349</sup>

Accepimus optimam relationem a Consanguineo nostro, Perillustri et Rn.do Domino Christophoro Bialozor, Canonico Smolenscensi, quod opera et sollicitudine incomparabili Ill.mae Dominationis Vestrae non infeliciter negotia nostra cesserint, tum ratione Abbatiae Suprasliensis (quae non a Religione Basiliana, sed a solo Metropolitanato pendet, et nullum hactenus Decretum de validitate quasi praetensae electionis factum ab Ill.mo Domino Nuntio, sed appellatio admissa pro parte Metropolitanati, quae quidem appellatione stante cur exhausto pro Sancta Unionem eiusque auctu Metropolitanato non deberet gratia Sanctissimi iam signata expediri? in hoc spectat gratiam

<sup>348</sup> Anno 1692 tota Eparchia Peremyssliensis unionem cum S. Romana Ecclesia iniit, et s. d. Unioni Berestensi Provinciae Ecclesiasticae Kioviensis (1595-1596) accessit.

<sup>349</sup> Eduardus Cybo, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1680-1695).

Ill.mae Dominationis Vestrae Metropolitanus cum aeterna obligatione), tum etiam ratione litis contestatae per filium et uxorem Catharinam defuncti Presbiteri Szemetylo, quae quidem lis cum fuerit remissa ad Ill.mum Dominum Secretarium Status, humillimas Ill.mae Dominationi Vestrae agimus gratias, declarantes verbo pastorali ita Maiestatem Sacrae Nunciaturae Apostolicae semper nos colere, uti supremam Sanctissimi Oecumenici Nostri potestatem, nisi quod solum displiceat, quod appellantes non admittamur ad Sacram Congregationem de Prop. Fide, ubi centrum et sedes Judiciorum est totius Russiae. Atque cum his Sacram Patriachalem dexteram devotissime uterque exosculantes, commendamus nos gratiae Sacrae Eminentissimorum Purpuratorum Cong. de Propaganda Fide et Ill.mae D.nis scribimurque

Ill.mae et R.mae Dominationis Vestrae  
humillimi, dev.mi et oblig.mi Servi

CYPRIANUS de Z. ZOCHOVSKI, Archiep. t. Russiae.

MICHAEL MARTIANUS BIALOZOR. Ep. Pincensis.

Torocaniis, in Residentia Metropolitana, die 4. 7bris 1693,

Mons. Patriarcha di Constantinopoli, Secretario della S. C. di Propaganda Fide.

## 101.

*In Russia Alba, XI-XII, 1693.*

*Lustratio bonorum Metropoliae Kioviensis post obitum Cypriani Zochovskij, a Leone Szlubicz-Zalenskyj peracta. Agitur quasi de statu temporali Metropoliae.*

APF, *Scritt. rif.n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 475-476v.

Anno Domini 1693, die vero 26. 8bris fatis cessit Dominus Metropolitanus Russiae, Kiiovien. et Halicien., Archiepiscopus Polocensis.

Post cuius fata in spiritualibus data est mihi Szlubic Zalenski Vladimirien. et Bresten. Ritus Unito-Graeci Episcopo<sup>350</sup> ab Ill.mo Nuntio Apostolico, Andrea Sancta Crucio, in temporalibus vero a Serenissimo potentissimoque Poloniarum Rege Joanne III Administratio eiusdem Metropoliae iam circa medium Novembrem eiusdem Anni 1693.

Hac itaque administratione utraque legitime expedita et humiliter acceptata et iuxta morem per totam Archidioecesim Metropolitanam publicata, divulgata, in persona mea discessi in oras Lithuaniae, et reperi in statu miserabili totam Metropoliam, ubi de proprio aere, cum familia, equis per hyemem usque ad Dominicam Palmarum inclusive victitavi, Synodos Dioecesanarum Polocii, Minscii, et Novogrodecii convocavi, primaque cura mea erat Clerum et populum innumerum, Moscuae vero vicinum, et conterminum, in fide sancta catholica, et obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae solidandi, firmandi, et manutenendi; qui Pastoris solatio destitutus, arundinis instar, ventis agitatus vacillabat. Hoc spirituali dogmatum pabulo et SS.mae Sedis Apostolicae

<sup>350</sup> Leo Szlubic Zalenskyj, Episcopus Volodimiriensis (1679-1708); post obitum Cypriani Zochovskij, uti prototronius Metropoliae accepit eiusdem Metropoliae Kioviensis administrationem. Casus huiusmodi administrationis sat rari erant in Ecclesia Unita, quia S. Sedes procurabat, ut Metropolitanus Kioviensis, eorum vita durante, sibi Coadiutores cum futura successione adsciscerent, ne ob eorum obitum, plus vel minus repentinum, Achieparchia Metropolitana totaque Provincia Ecclesiastica damna subiret et impetus non Unitorum. Ut relatio infra adducta monstrat, metus hic non erat vanus.



ineffabili erga Unionem Sanctam affectu paterno, ac sollicitudine pro viribus meis prolixius tam vastae Archidioecesi exposito, descendi ad bona et praedia Metropoliam spectantia, residentias, Archiva Metropolitana, suppellectilem sacram, et mobilia omnia, volens revidere, conscribere, et usque ad Successoris electionem consignare.<sup>351</sup>

Horum omnium suprascriptorum et singulorum nihil integrum, nihil intactum, imo, cuncta reperi avulsa, appropriata, discerpta, et nullo iure a variis sibi usurpata. Et in primis quoad bona, praedia, villas, et residentias:

Bona generaliter omnia Ill.mus D.nus Pal.nus Vilnensis, titulo testamentarii Tutoris, per suos Delegatos varios, circa Vilnam, et Novogrodecum deoccupavit, suosque Oeconomos, seu Residentes instituit.

In praedio Torokanie dicto, quod ex certa transactione cum Patribus Basilianis pro Comitiorum Varsaviaen., et Grodnen. communitate, ad vitae tempora pie defunctus possidebat, continebatque hoc praedium ducentos quinquaginta Villanos, Ill.mus (f. 475v) Palatinus Vilnen. pro Administratore constituit quendam Dominum Wolk, Militem, cui addidit integrum Vexillum loricatum Serenissimi Regis, ibique hybernare fecit, qui Dominus Wolk, alias Lupus de cognomine, utrumque gregem adeo devoravit, ut vix sex, vel octo remaneant Rusticelli; neque sum admissus in possessionem huius praedii; modo illud possident, sed nudissimum et vacuum Patres Basiliani Zyrovicen., damna speciatim illi possunt illata comprobare.

In praedio Ruta dicto inveni possestricem Ill.mam D.nam Unichowska, Palatinam Trocensem, quae vix ad literas revocatorias Ill.mi Palatini Vilnen. de illis cessit bonis, funditus et hostiliter demolitis, adeo ut scripturarum, et Archivorum Metropolitanorum quatuor scrinia grandia, ibidem pro securitate cum iuribus, privilegiis, foundationibus, fisci quietationibus, de variis in hac Republica contributionum, nunc et in antecessum, generibus, locatorum cum concussione Capitularium Novogroden. Cathedrae Sacerdotum, ne unicum reperi integrum, vel clausum, sed quae erant summe necessaria Jura, et utilissima Ecclesiae, illa sub id tempus intercepta. Frumenta omnia et in granariis, et in horreis, pecudes, oves, boves, et quidquid mobile dici potest, totum id ad sua bona Poczapow dicta per sex circiter septimanas evehi curavit, piscinas, lacus ad nihilum redegit, faenum variis Nobilibus et reliqua mobilia liberalissime donavit. Apud subditos census, hybernas quadrupliciter exegit. In maiorem devastationem eiusdem praedii nullatenus oneribus militaribus et stativis subiecti, cum sint bona terrestria, libera, et a Rutscio, pientissimo Metropolitano, in victum Successoribus suis Metropolitanis applicata, praefata Illustrissima Palatina Trocen. 40 Equites milites pro stativis ibidem conduxit, qui singuli centum quinquaginta florenos polonicales pro suis postis, ut aiunt, extorserunt, pro lignis, cum iam subditos dispuerint, arbores ex horto eiusdem praedii secuerunt fructificantes; insuper iisdem militibus et hyberna alias generica super iisdem bonis ex ordinatione Ill.mi Palatini Vilnen. assignata est. Ad extremum Novogrodeci residentiam Metropolitanam satis honestam conflagrari familia eiusdem Ill.mae Palatinae, nescitur quo casu ibidem festa Natalitiorum Christi Domini colentes, permiserunt; verbo, ad sex vel octo millia florenorum in hoc praedio damnorum reperi, praeter hoc quod iam pro verna inseminatione nihil laboratum est, et futura non colligetur messis, cum iam nullus extat rusticellus.

---

<sup>351</sup> Relationem hanc, etiamsi revera spectat ad *Epistolas Leonis Szlubic Zalenskyj*, hic tamen iam publici facere iuris utile fore duximus, ad illustrandum statum temporalem Metropoliæ Kioviensis postdrie mortis eius Metropolitæ.

Prædium Szeszole et Waka, Vilnam versus, omnia evacuata sunt per Ill.mi Palatini Vilnen. administratores. Ipsa residentia Vilnen. Metropolitana corrui, nec est ubi reclinetur caput.

Prædium Dolce, Woronecz, et Ciotcze dictum, præter siliginis ducentas sexagenas circiter nihil habuit; reliqua omnia Oeconomi pie defuncti Domini Metropolitaniani, Generosus Basilius et Thomas Korsak, suos in usus evexerunt, ubi vexillum Ill.mi Mareschalci Lithuaniae, filii Ill.mi Palatini Vilnen. habet sua stativa et hyberna; quod singulis computatis ad sexaginta millia de eisdem bonis extorsit.

Prædium Czersviat, Sudzilowicz, quod itidem ad vitæ tempora pie defunctus Metropolitanus (f. 476) manutenuit, iam vero Patribus Basilianis Polocensibus, ad Sacra Lipsana Beatissimi Josaphat Martyris servientibus, applicatum est, et Borkowszczyzna sic dictum: hoc totum Ill.mus Palatinus Polocensis nullo iure deoccupavit, frumenta, pecora, pecudes, et quid mobile erat per suum delegatum Dominum Korsak, et Zaba suos in usus interceptit. Lacus per Moschovitas piscatores extreme piscibus evacuavit, ut post sex vel octo annos non poterunt miseri Basiliani piscari, sibi que ad tria millia ex piscibus divenditis fructum fecit, nec de illis bonis cessit, donec ducentos imperiales iidem pauperes Basiliani enumeraverint. Insuper a militibus hæc bona extreme devastata sunt.

Prædium Laya, alias Mikolskie Porohy sic dictum, Magnificus Dominus Fabianus Polczewki Koziol, Capitaneus Dzisnen. deoccupavit, statim post fata Metropolitaniani, usurpando hoc prædium ad Capitaneatum Dzisnen. pertinere, omnemque fructum exinde percepisse et quidquid erat derelictorum mobilium interceptit nullo Jure, nam extant quinque conformia Decreta Ss.morum Regum, quibus adiudicata sunt hæc bona Archiepiscopatu Polocensi; circa eandem deoccupationem rusticum satellites eiusdem Capitanei occiderunt.

Prædium Horodek, lacum Werkudka, et Luki Boiarska, ac Regalis sic dictum, in stagno Ciotczensi ad Archiepiscopatum Polocensem pertinentia, Dominus Hyeronimus Zaba, Vicecapitaneus Polocensis, nullo deoccupavit iure, omnemque proventum hucusque percipit. Idem Dominus Zaba molendinum in proprio fundo archiepiscopali Polocen. erexit, fructus exinde percepit et fundum appropriat ecclesiasticum. Jura vero omnia pro isto prædio Rutæ ex nominatis supra scriniis deperierunt.

Oppignoratos seu invadiatos in certa summa tres subditos ante sexaginta circiter annos Metropolitanano ni fallor Rutschio vel Sielawa, modo nec reposita summa nec me adcitato ad illam enumerandam, vel Capitulo Novogrodensi, quidam Dominus Jesman violenter recepit, ac subreptitie de summa quasi præsentata castrensem ventilat quietationem, cuius cum iuridicam fecissem requisitionem non inveni in actis, adeoque dictos subditos iterum mei Commissarii ad primam redegerunt possessionem; hic vero Dominus Jesman in mea absentia nec citatum nec restitutum in summae enumerationem fecit me Banitum uti ventilat. Rogo itaque humillime, Serenissimus dignetur literas sublevationis alias Gleyt in Constitutionem loci standi gratiosissime mihi tribuere.

Witebscii prædium Borkowszczyzna dictum quidam Dominus Boufal deoccupavit, usurpando sibi ducentos aureos a pie Defuncto deberi, in quo prædio Witebscensi Borkowszczyzna D.nus Franckiewicz, Delegatus Ill.mi Palatini Vilnen. ad 5 millia damnorum, singula interceptit fecit; ad extremum Iuridica Metropolitana et Villæ, per Milites ibidem consistentes.

Villa Papiiri, hæc sex millibus florenorum polonicalium in reparationem Cathedrae Polocen., ut fertur, oppignorata est a pie Defuncto.

Villa Peczarany sic dicta, haec tribus onerata est millibus ob eodem pie Defuncto ad effectum superscriptum.

(f. 476v) Tyarae tres, una quinquaginta millibus, altera 30, tertia 20 millibus constantes, istae novem millibus invadiatae et cum periculo pretiosioris lapidis gemmarumque commutationis.

Vestes, equi, aurum, argentum aliaque suppellex usualis et profana, carrocae, rhedae, tapetes, peristromata, tres in partes ex dispositione Ill.mi Palatini Vilnensis cesserunt; quarum prima cessit germano fratri pie Defuncti, altera Sororino eiusdem, R.do Patri Meletio Doroszkowski, Ordinis S. Basilii, Archimandritae Leszczinen., 3tia vero 3tio cuidam Consanguineo.

Suppellex vero sacra, apparamenta, Crux archiepiscopalis, pastoralia, seu curvaturae, calices, et id genus, haec sunt reposita apud Ill.mum Mareschalcum Supremum M. D. Lithuaniae Zabirii; utrum sint integra, et integre restituenda, seu extradenda, ignoro.

Rigae multa, ut inaudii, reperiuntur membrana pie Defuncti, qui debita contraxit notabilia.

Residentia nullibi sufficiens ac honesta reperitur, omnia indigent reparatione et maxime Cathedrales Ecclesiae foris et intus suo egent ornamento. Alii defectus, ruinae et cum multis Magnatibus inchoatae lites, praecipue de bonis nulliter usurpatis, Metropoli iam spectantibus, de censibus seu Vidercaphys, cum Ill.mo Palatino Vilnensi, a summa 18 millium, cum Ill.mis Castellano Vilnensi, et Palatino Polocensi, a summa 50 millium, cum Ill.mo Wolowicz, Metatore Castrorum M. D. Lithuaniae, a summa 20 millium florenorum polonicalium plus litis expensarum exigunt, quam perceptorum, vel ex eo quia in Lithuania absolute desiit iustitia, sola et summa dominatur iniuria.

Est etiam ordinarium non sine iniuria et praeiudicio Divinarum et Ecclesiasticarum Legum, ut a Parochis nostri Ritus, qui nullos Subditos habent, sed opera manuum et sanguineo sudore victum sibi procurant, exindeque inserviunt ecclesiis, extorqueantur hybernae contributiones, et ipsis militibus apud easdem assignentur stationes, quod moderni anni exemplo in Dioecesi Brestenti monstratur, in qua hybernam stationem habent iurati christianae fidei hostes, Tartari, adeoque non solum miseros Parochos Sacerdotes omni substantia spoliant, verum etiam ecclesias profanant, devotionem impediunt, et sacrosanctas imagines ludibrio exponunt.


Quibus omnibus et singulis nisi suprema Sedis Apostolicae providentia, Sere-nissimique Regnantis augustissima Collatoria succurrerit protectio, actum est de Metropoli, actum de Unione, et nisi provideatur quantotius futurus Metropolitanus, eiusque honesta subsistendi ratio, non restat aliud quam ultimum Unionis Sanctae in partibus Poloniarum, Lithuaniae, et totius Russiae exterminium.<sup>352</sup>

<sup>352</sup> Iam hoc eodem anno 1694 Hierarchia Unita Leonem Szlubic Zalenskyj in Metropolitano Kioviensem elegit; Bullae tamen confirmationis tantummodo anno 1695 transmissae fuerunt, quia interim Romae agebatur quaestio de retentione Eparchiae Volodimiriensis a novo Metropoli confirmando. Revera, iam inde ab his temporibus non solum Metropoli Kioviensis, sed tota etiam Provincia Ecclesiastica Kioviensis resumit vires, et « exterminii » loco ingreditur suam « aetatem auream ».

**EPISTOLAE LEONIS SZLUBIC-ZALENSKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS**

1694 - 1708





Humillimus ad Pedes Filii,  
Perpetuum Manipium  
Lea Lubie Zaleski Archidiaconi  
Metropolitani Prionensis Galiae  
Lionis Russiae

SIGNUM MANUS SCRIPTUM LEONIS ZALENSKYJ  
(1694-1708)



## LEONIS SZLUBIC-ZALENSKYJ BIOGRAPHIA

Leo Szlubic-Zalenskyj, Successor magni Cypriani, parentibus nobilibus, ex oppido Lubyecz, Eparchiae Luceoriensis, natus est anno circiter 1648, patre Leone Francisco, matre Anna de Domo Glinska, unde Leo consanguineus erat Episcopo Volodimiriensi, Benedicto Korczak-Glinskyj (1667-1678). Sub eius, ut videtur, influxu ingressus est, aetate adhuc iuvenili, in Ordinis Basilianorum Novitium, ut videtur, Bytheniensem. Dicitur, eum habitum monasticum recepisse in Abbatia Suprasliensi. Secundum quandam traditionem studia inferiora peregit Olomucii, in Moravia, dein Vilnae logicae studuit an. 1672-1673. Inde missus fuit in Collegium Graecorum de Urbe, aetate 25 annorum, ubi die 18 Decembris 1673 ingressus est. Studuit methaphysicae et postea duo per annos theologiae, ut iam sacerdos, fortasse in Patria ordinatus. Discessit e Collegio die 17 Maii 1676, valetudinis causa, revocatus a suis Superioribus. In Chronicis Collegii Graecorum notatur, eum Roma Olomucium in Moravia discessisse, quod tamen parum verosimile videtur, propter rationem temporis. Nam anno 1678 eum iam in patria videmus, in monasterio Zyroviciensi, cuius fortassis iam tunc erat Superior. Ante suam mortem Episcopus Volodimiriensis Zyrovicius veniens sibi Coadiutorem inter monachos eiusdem monasterii exquirebat, cum futura successione. Proposito nostro Leone, qui simul erat eius consanguineus ex sorore, Praesul Volodimiriensis eum Regi sibi pro Coadiutore praesentavit. Benedictus Glinskyj obiit iam anno 1677, Zyroviciis, Leo vero Zalenskyj anno 1678 Sedem Volodimiriensem prothotronialem Russiae obtinuit, et ad Comitia Grodnensia se contulit hoc eodem anno 1678, ubi verosimiliter etiam consecrationem episcopalem a Cypriano Zochovskij obtinuit. Eparchiam suam temporibus sat tranquillis regebat et in omnibus negotiis maioribus Ecclesiae Unitae partem habuit. In controversia Ordinem Basilianum et Metropolitam inter partes iusti et recti sequi contendebat.

Anno 1693, in Octobri, postquam nuntium de obitu Metropolitae Cypriani obtinuit, administrationem tum Metropolitae tum etiam Archieparchiae Polocensis obtinuit, ut Metropolitae Prothotronius. Lustratione tum rerum spiritualium tum temporalium peracta, Leo S. Congregationem de statu territorii administrati certiolem fecit et de electione novi Metropolitae supplicavit. Episcopis interim anno 1694 adunatis ad electionem, secundum iura et privilegia, processum fuit, qua in electione, electus est Metropolitae Kioviensis Leo Zalenskyj. Certiorata S. Sede Apostolica, Electus, qui interim etiam praesentationem a Rege Poloniae obtinuit, de retentione etiam Eparchiae Volodimiriensis supplicavit, ut necessitatibus Metropolitae nec non directioni totius Ecclesiae Unitae satis fieret. Quaestio haec in causa erat, cur Bullae confirmationis eius in Metropolia anno tantummodo 1695, die 22 Septembris, exaratae fuerunt.

Tum administratio tum regimen Metropolitae Kioviensis Leonis Zalenskyj diffusioni et roborationi Unionis in terris praesertim Ucrainae contribuerunt. Praeterea Ecclesia haec durum subiit examen eius catholicitatis et fidei. Eparchia Peremysliensis an. 1692 unita, nunc an. 1699 ad unionem venit Eparchia Kamencensis, et anno sequenti 1700 etiam Leopoliensis, anno vero 1702 Luceoriensis, postquam Leo difficultates eiusdem Episcopi nominati positive resolvit, eique consecrationem episco-



palem contulit. Revera, exinde cis Borysthenem nullus iam permansit Episcopus non unitus. Hoc modo Ecclesia Unita viribus unitis ab anno 1705 usque 1715 persecutionibus Czari Moscoviae Petri I resistebat sanguinemque pro confessione catholica effundere satagebat tum in Bielarusja, tum etiam in Ucraina, ubi tunc temporis exercitus moschovitici cursitabant, inimicos tum Petri I, tum Regis Poloniae Augusti II profugando. Exinde Metropolitanus etiam Kioviensis simul cum aliis Episcopis fugam petere debuit, ne minis inimicorum Ecclesiae catholicae succumberet. Propterea longum per tempus semper in itineribus continuis, in nemoribus et paludibus latere fuit constrictus, negotia tamen ecclesiastica persolvendo bonumquae Eparchiarum et Metropolitiae pro suo posse procurando. In hoc etiam turbulento tempore obiit anno 1708, die 21 Julii, in Eparchia sua Volodimiriensi, ubi etiam fuit sepultus.

Erat vir pacificus et mitis tum in vita tum in regimine ecclesiastico. Neque cum superioribus neque cum inferioribus litigia vel contraversias suscitabat. Cum Ordine Basilianorum tum tempore Cypriani Zochovskyj, tum postea mira vivebat in pace et concordia. Pauperibus larga distribuebat manu, nec non ecclesiis exornandis assidus erat. Duritiam temporum non tam characteris vicit duritie, sed clementia et cordis humilitate. Et Deus, qui superbis opponitur et humilibus dat gratiam, etiam eius regimen metropolitanum et pastorale gratiis et successibus cumulavit.

In signum huius humilitatis et mansuetudinis adducere etiam possumus defectum eius imaginis pictae, quam sibi procurare fortasse in vita sua renuit, unde nec nobis reliquit. Proinde pro lineamentis faciei suae nobis tantummodo lineamenta eius manus manent, quae supra adduximus.

## DOCUMENTA BIOGRAPHICA ROMANA

### I

*Vilna, Roma, saec. XVII.*

*Breves notitiae de Alumno Vilnensi et Romano, Leone Zaleskyj.*

APF, *Scrith. rif.*: Collegii: Vilnen., vol. 1, fol. 82.

VILNAE

An. 1672 — 73.

Fr. Leo ZALESKI

Ordinis S. Basilii Magni.

Logicus; Russus; ann. 22. Ex Catholicis Parentibus.

Venit 7 Septembris 1672; scit latine, polonice.

Fecit iuramentum 7 Septembris 1672.

Studet.

### II

ROMAE

ARCHIV. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. 14, fol. 33v-34.

Leo ZALESKI

Ordinis S. Basilii M.; sacerdos.

filius Francisci et Annae Glińska, Luceoriensis.

Ingressus 18 decembris 1673; aetas 25.

Studuit metaphysicae et postea theologiae per an. 2.

Sacerdos.

Discessit 17 maii 1676, valetudinis causa, revocatus a suis Superioribus.

Postea: Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

### III

*Roma, saec. XVII.*

*Brevissima de Leone Zaleskyj, Metropolita et Alumno Coll. Graecorum, notitia.*

ARCHIV. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. 10, fol. 158rv.

## DE LEONE ZALENSKIO RUTHENO.

Philosophiae unum, duos Divinis rebus addiscendis in Romano Graecorum Colegio diligentem navavit operam Leo Zaleskius. Verum cum morbis frequentibus impediretur, quominus consuetum studiorum hic cursum absolveret, Olomucium

Urbem Germaniae nobilem sese contulit,<sup>1</sup> in qua, quod reliquum erat, pari semper utrobique approbatione confecit, Anno a Virginis Partu sexto et septuagesimo sexcentisimum post millesimum. Atque haud ita multo post, quamvis aetate adhuc viridi, florente tamen virtutibus ac meritis, Vladimiriensis Antistes creatus est.<sup>2</sup> Quo in munere canos esse sensus suos et aetatem senectutis vitam esse immaculatam Pastor optimus comprobavit.<sup>3</sup>

---

<sup>1</sup> In Collegio Pontificio Olomucensi plurimi Alumnorum Basilianorum studiis incubebant; desint nobis tamen elenchi omnium Alumnorum, iniuria temporum deperditi.

<sup>2</sup> Anno 1679, post obitum Benedicti Glinskyj.

<sup>3</sup> Cfr. supra eius brevem biographiam.

**EPISTOLAE LEONIS SZLUBIC-ZALENSKYJ, BASILIANI  
EPISCOPI VOLODIMIRIENSIS, BERESTENSIS,  
METROPOLITAE KIOVIENSIS.**

(1678 - 1708)

---

1

..... 22 . VI . 1683.

*Conqueritur de modo procedendi Nuntii Apostolici, et ad Iura Metropolitae Kioviensis  
reclamat.*

ASV, *Nunz. di Pol.*, vol. 101, fol. 497.

In epistula Illustrissimi Domini *Leonis Zalenschi, Episcopi  
Vlodimiriensis*, sub data 22 Junii 1683, haec habentur.

Eminentissime Domine

Illustrissimus Dominus Nuntius<sup>1</sup> seu eius Auditor in Polonia residens multum nos affligit, et afflixit Ruthenos Unitos maxime illos, qui sumus exinaniti promovendo Cultum Divinum, Religionem et Catholicismum; et quidem adeo auctoritativam extendit potestatem super nos ut etiam causas bonorum, fundos, terrestres et nobilitares ad suum iudicium pertrahat, et nos abiudicare satagat, uti videre est in presenti causa mea cum quadam Dominam Przezdziecka, quae cum sit iam convicta per me in foro saeculari respectu bonorum Kruszewo, et Quarze, tum violentiarum, damnorum, et iniuriarum, et sic nequaquam subsistere potuit iam causam praeventam, decisam in uno, alio, et tertio foro civili, ecce pertrahit ad quartum ecclesiasticum Nuntiaturae. Idque ommissa propria instantiali coram Metropolitanano Russiae practicata a saeculis Iurisdictione. Velit ergo Ad. um R. P. as Vesira mihi hoc in passu suam praestare benevolentiam.

2.

*Volodymyr, 2 . X . 1684.*

*Explicat P. Georgio Malejevskyj, Romae degenti, suam opinionem et positionem in lite  
Metropolitae cum Ordine Basiliano.*

APF, *Congressi, Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 2, f. 198-199.

Venerabilis et Admodum R. de Pater Consultor Ord. Divi Basilij Magni,  
Pater, et Frater Perobservande.

Vladimiriae, anno 1694, die Octobr. 2da.

Tenacissimus eorum, quae de communi consensu omnium Dominorum Epi-

---

<sup>1</sup> Opatius Pallavicini (1680-1688).

scoporum Ruthenorum Unitorum Varsaviae, in Praesentia Ill.mi et Rd.mi Domini Nuntij Apostolici stabilita et declarata sunt, ut nimirum Synodus Hyeme, Brestae Lithuaniae celebraretur, ubi et Religiosorum Capitulo locus praefixus fuerat, ad contrariam Ill.mi Domini Metropolitanum, primo Minscum, deinde Novogrodecum Intimationem nequaquam comparere potui; imo, ad unamque Congregationem, quae, inconsulto Ill.mo Domino Nuntio, per Dominum Metropolitanum convocata fuerat, nullum poenitus Delegatum meum substitui, qualem se Minscii Pater Kolczyski finxerat. Synodo quidem quod interesse non valuerim obices habuit: conflagrationem stupendam Cathedralis meae Vladimiriensis, et Palatii, militares exactiones, Tribunalis Regni gravissima negotia, et aliorum subselliorum, iudiciorumque in Causis Capituli, et Ecclesiae meae personalis diligentia requirebatur; quae rationes excusatum me reddiderunt apud Ill.mum Metropolitanum, et forte Actis Capituli Minscensis easdem, Dominus Metropolitanus inseruit.

(f. 198v) Novogrodecum vero, nec me scripsisse aliquid recordor, idque eo, quod annullatum, per rescriptum Sacrae Congregationis, Minscense inaudierim Capitulum; multo magis aliquem delegasse. Si quid ergo in oppositum coram Sacra Congregatione monstrabitur, hanc meam fidelem producat Paternitas Vestra confessionem, me illo pacto Consiliis, aut aliquibus actis Ill.mi Domini Metropolitanum interfuisse; neque alicui Memoriali nomen meum inscripsisse, cum poenitus suo sensu Dominus Metropolitanus abundet, nomineque nostro, Confratrum suorum Episcoporum, similia frequenter conficiat Memorialia, aut per distantiam loci, aut certe per contemptum, propriam inde quaesiturus laudem et auctoritatem. Delatus Sacrae Congregationi sum, per Acta Capituli Novogrodensis, Kobrini non alere Religiosos, sed non subiuncta ratione: quod beneficium hoc sit nimis... in totum trecentos florenos non fructificat, adeo militaribus hybernis, stativis, et ad Castra, tum ex Castris tractibus devastatum. Deinde quod et mens Fundatricis est, ut Archimadrita et Presbyter saecularis alatur, quem in hanc usque diem de (f. 199) animabus inservientem, providere non cesso, continuusque Dei ibidem viget cultus; placeat hanc iniquam delationem hac veritate, suaque dexteritate apud Eminentissimos eliminare. Caeterum, R.dam Paternitatem incolumen ac reducem salutare, Religionem oppressam triumphare quam citissime cupiens, eiusdem maneo

addictissimus, et observantissimus in Christo

Fr. et Servitor

LEO ZALENSKI, Protothronius Russiae, Episcopus Vladimiriensis  
et Brestensis. Unitus (mpr).

Admodum R.do Patri de Camillis mea defero obsequia: utrique pro consolatione significo: Schismatis Coriphaeum Dominum Episcopum Luceorien., collectis argenteis, aureisque per totam Dioecesim suam, populorum votis, et praetiosissimis suppellectilibus, Kijoviam aufugisse; secutura inde ignorantur.

### 3.

*Volodymyr, 6 . VI . 1694.*

*Assignatio pecuniae Metropolitanae vita functi, Cypriani Zochovskyy, pro sustentatione Residentiae Romanae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, 472.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Piae memoriae Praedecessor meus, Ill.mus Metropolita,<sup>2</sup> optime ex merito suo notus Ill.mae Dominationi Vestrae, pro expeditione Archymandriae Suprasliensis miserat certum quantum pecuniae, videlicet centum Ungaricos ad manus cuiusdam Agentis Romani, Domini Ruiter, supponens fore, ut dictum negotium expensis aliquibus indigeret. Verum quia speciali favore S. Sedis, et Eminentissimorum Cardinalium, praefata gratia Archymandriae Suprasliensis nullis expensis potitus est, dicta pecunia intacta remansit apud Dominum Ruiter. Et quia ego non video quomodo melius possit impendi, quam applicando in subsidium Domus Religionis nostrae Romanae (siquidem ad me de iure dispositio illius pertinet, uti qui, indignus licet, Administrator Metropoliae constitutus sum), idcirco scripsi ad Patrem Procuratorem Religionis nostrae,<sup>3</sup> facultatem ipsi dando dictam pecuniam repetendi a Depositario. Quia vero locus ille, quemadmodum et tota Religio speciali gaudet protectione S. Congregationis et Ill.mae Dominationis Vestrae, aequum mihi visum est, ut gratiae et patrocinio Ill.mae Dominationis Vestrae hoc negotium recommendarem, ut si quae difficultas in illo occurreret, eam autoritate ac prudentia sua complanare dignetur. Interim me humillime inclinans, gratiae Ill.mae Dominationis Vestrae commendo, ac maneo,

Illustrissimae ac Reverend.mae Dominationis Vestrae

humillimus Servus

LEO SZLUBIC ZALENSKI, Protothronius et Administrator  
totius Russiae Metropoliae, Vladimir. et Bresten. Episcopus.

FRANCISCUS WLOSKIEWICZ

S. Regiae Majestatis Secretarius, Varsaviae.

Vlodimiriae, 6 Iunii 1694.

#### 4.

*Leopoli, 20 . VI . 1694.*

*Commendantur negotia Ecclesiae Unitae Cardinali Carolo Barberini, occasione itineris romani R. P. Vota, S. Jesu.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, 474.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, 164.

Eminentissime ac Reverendissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Destituta sui Pastoris solatio Archidioecesis Kiioviensis, Haliciensis totiusque Russiae, per obitum venerabilis Cypriani Zochowski,<sup>4</sup> de unione propagata meritis olim Metropolitanis, supplex ac cernua ad Sacros Eminentiae Vestrae, una mecum, procidit pedes devotissimoque, etiam a longe, veneratur osculo, sollicitissimam ac praesentissimam Eminentiae Vestrae, suo pro interesse, implorando opem; maxime dum orphana notabilem iurium suorum, immunitatum, ac bonorum ecclesiasticorum

<sup>2</sup> Cyprianus Zochovskyj (1674-1693). Cfr. partem praecedentem.

<sup>3</sup> Polycarpus Filipovycz (1690-1701).

<sup>4</sup> Cfr. supra; obiit die 23 Octobris 1693.

patitur ruinam, iacturam. Super quam, pro suo incomparabili zelo, ac in rem Unionis Sanctae tenerrimo affectu, Serenissimus Noster Poloniarum Regnans<sup>5</sup> alte ingemuit efficacemque apud Sanctissimum Dominum Nostrum pro remediis opportunis, quibus hoc malum sanari possit, non denegavit interpositionem. Quinimo, Unionis Sanctae praesentis in Reverendissimo Vinniccio Praemyliensis,<sup>6</sup> ac futurae in Leopoliensis Episcopi, eorumque Dioecesibus progressum et propagationem cordi habens, illico, veluti alteri nostris in partibus Russiae Unionis Apostolo, Reverendo Patri Votta, Soc. Jesu, Regio suo Theologo, praecipuam ac singularem super hoc negotio commisit ac delegavit curam; quatenus illud, pro sua consummata prudentia, et activissima activitate in Curia Eminentiae Vestrae efficaciter repraesentet et proponat. Et ut clarius singula Eminentiae Vestrae pateant, hic includo simplicem brevissimamque, quam etiam Serenissimo Nostro repraesentaveram, informationem. Nec dubito, quia dictus Reverendus Pater Votta nostro Unitorum omnium, et Serenissimi Regis pientissimo ac ardentissimo respondeat voto. Cui et corde, et calamo, ex mente Unionis Sanctae totius, illud etiam demississime insculpo, ut Divina Maiestas Eminentiam Vestram diuturnam, sanam, salvam, et incolumem, Nobisque faventissimam conservet. Et maneo Eminentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae

devotissimus ad pedes

✠ LEO SZLUBIC ZALESKI, Protothronius et Administrator Metropoliae totius Russiae, Vladimiriensis et Brestensis Ritus Uniti Graeci Episcopus (m. p.)

Leopoli, Anno 1694, die 20 Junii.

5.

Leopoli, 20 . VI . 1694.

*Eiusdem argumenti epistola Innocentio PP. XII.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 518, fol. 377.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine, Domine Clementissime.

Destituta sui Pastoris solatio Archidioecesis Kiioviensis, Halicien. totiusque Russiae, per obitum Venerabilis Cypriani Zochowski, de Unione propagata olim merittissimi Metropolitanus, suppliciter ac cernua ad Sacros Sanctitatis Vestrae, una mecum procidit pedes, devotissimoque etiam a longe veneratur osculo, sollicitissimam, praesentissimam, et clementissimam Sanctitatis Vestrae, suo pro interesse, implorando operam; maxime dum orphana notabilem iurium suorum, immunitatum, ac bonorum ecclesiasticorum patitur iacturam, ruinam. Super quam, pro suo incomparabili zelo, ac in rem Unionis Sanctae tenerrimo affectu, Serenissimus noster Poloniarum Regnans, cum sibi expositam suppliciter meo haberet libello, uti supremus Collator et Patronus, alte ingemuit, efficacemque apud Sanctitatem Suam, pro remediis, quibus hoc malum sanari possit, non denegavit interpositionem. Quinimo, Unionis Sanctae praesentis in Premislien. et futurae in Leopoliensi Episcopatus vastissimis pro-

<sup>5</sup> Joannes III Sobieski (1674-1696).

<sup>6</sup> Innocentius Vynnyckyj (1680-1700), qui anno 1692 cum tota Eparchia Peremyliensi unionem cum S. Romana Ecclesia promulgavit, etiamsi personaliter iam inde ab an. 1681 professionem fidei catholicae clam emisit.

gressum ac propagationem cordi habens, illico veluti alteri nostris in Partibus Russiae Unionis Apostolo, R.do Patri Votta, Soc. Jesu, Regio suo Theologo,<sup>7</sup> praecipuam ac singularem super hoc negotio commisit et delegavit curam; quatenus illud, pro sua consummata prudentia, et activissima activitate, in Curia Sanctitatis Vestrae efficaciter proponat. Atque ut singula clarius Sanctitati Vestrae pateant, hic includo simplicem brevissimaque, quam etiam Serenissimo nostro repraesentaveram iniuriarum seriem. Nec dubito, quin dictus R.dus Pater Votta, Nostro Unitorum omnium, et Serenissimi pientissimo ac ardentissimo respondeat voto. Cui et corde, et calamo, ex mente Unionis totius illud etiam demississime insculpo, ut Divina Maiestas Sanctitatem Vestram, Oecumenicum Pastorem ac Dominum Nostrum Clementissimum, diuturnum, sanum, salvum, et incolumem, mihi que gratiosissimum conservet, cuius sacerrimam reverentissime vestis exosculor laciniam, et maneo

Sanctitatis Vestrae, Domini mei Clementissimi

ad pedes Filius

LEO SZLUBIC ZALENSKI,

Protothronius et Administrator Metropolitiae totius Russiae,  
Vladimirien. et Bresten. Ritus Graeci Uniti Ep. (mp).

Leopoli, Anno 1694, die 20 Junii.

« Iniuriarum series », de qua supra mentio fit, videas in Epistolis Cypriani Zochovskyj, nr. ultimo, quam ibi posuimus ob rationes inibi explicatas.

## 6.

Varsavia, 13 . III . 1695.

*Supplicat pro expeditione secreta et gratuita Bullarum Metropolitiae Kioviensis.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, 498.

Illustrissime ac R.dissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Fatis Illustrissimi olim Cypriani Zochouski, Metropolitanus totius Russiae succedentibus, cum concordibus Ill.morum Dominorum Episcoporum, Confratrum meorum, votis, in eius locum sim electus, et literis Praesentationis Nominationisque meae a Serenissimo Poloniarum Monarcha polleam, singularibusque suis ad Sanctissimum Dominum meum eadem S .Regia Maiestas me commendet, supplico Suae Ill.mae ac Rnd.ssimae Dominationi hoc in negotio gratiam, quatenus Bullarum,<sup>8</sup> idque per viam secretam, gratis, expeditionem pro praefata Metropolia valeam obtinere cum retentione Episcopatus Vladimiriensis et Brestensis,<sup>9</sup> cum Archiepiscopatus Polocensis, qui olim adnectebatur Metropolitiae Kioviensi, ob distantiam loci, alteri cesserit. Ad literas Suae Ill.mae Dominationis, adhuc anno praeterito Roma de die 24 Julii datas, et ad manus meas redditas modo Varsaviae, 7 Martii, ratione pecuniae (f. 498v) apud Dominum Ruyter depositae, per manus Domini Wloszkiewicz, cuius responsum ad

<sup>7</sup> Confessarius Regis Jaonis III, eiusque theologus aulicus; hic praesertim de unione Ecclesiae Ruthenae in Galicia curabat et multum profecit.

<sup>8</sup> Agitur de Bullis provisionis Eccesiae Metropolitanae Kioviensis. Bullae hae exaratae erant iam die 22. IX. 1695. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, pag. 666, nr. 620.

<sup>9</sup> Propter hanc retentionem Bullae provisionis in Metropolia Kioviensi retardatae fuerunt. Episcopus Volodimiriensis erat inde ab anno 1679.



me datum, trasmitto Suae Ill.mae Dominationi, ex quo plenariam hoc in negotio capiet informationem. Cum his me gratiae Suae Ill.mae Dominationis recommendo, et devotissimo basio eiusdem manus deosculor.

Varsaviae, 13 Martii, Anno Domini 1695.

Ill.mae ac Rd.mae Dominationis Vestrae

obsequentissimus, humillimus Servitor et Exorator

LEO SZLUBIC ZALENSKI

Vladimiriae et Bresten. Ritus Unito Graeci Episc.,  
nominatus et electus Metrop. Kiovien. et Halicien. totius Russiae etc.

7.

Varsavia, 15 . IV . 1695.

*Professio fidei catholicae, emissa in occasione confirmationis electionis in Metropolitam Kioviensem.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, 514-17.

Ego Leo Szlubic Zalenski, Protothronius Metropoliae totius Russiae, Vladimiri-  
rae et Bresten. Episcopus (mp). Firma fide credo, et profiteor omnia et singula,  
quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:  
Credo in unum DEUM, Patrem Omnipotentem factorem Caeli et terrae, visibilium  
omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum Filium Dei uni-  
genitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine,  
Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem  
omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit  
de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, et homo factus est.  
Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit  
tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et i-  
terum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius Regni non erit finis.  
Et in Spiritum Sanctum Dominum, et Vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit.  
Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur. Qui locutus est per Pro-  
phetas. Et Unam Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum  
Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et  
vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae obser-  
vationes, et constitutiones, firmissime admitto, et amplector. Item Sacram Scripturam  
iuxta eum sensum quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de  
vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi  
iuxta unanimum consensum Patrum accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque sep-  
tem esse vere, et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro in-  
stituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet  
Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem,  
Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confir-  
mationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et ap-  
probatos Ecclesiae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnem admini-  
strationem recipio, et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de  
iustificatione in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector  
et recipio. Profiteor pariter (f. 514v) in Missa offerri Deo verum, proprium et pro-

pitiatorium Sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima, et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque sumi Sacramentum. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter, et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas ego pariter damno, reicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari quantum in me erit curaturum. Ego idem qui supra in p.m. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego A. A. Seleucia. . . . .

In Nomine Domini. Amen. Omnibus, et singulis, quorum interest, fidem facio et attestor ego infrascriptus, quod anno eiusdem Domini Nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione Romana tertia, die vero decima quinta mensis Aprilis, constitutus personaliter Rev.mus Dominus Leo Zalenski, Episcopus Vladimiriensis et Brestensis. Ritus Graeci Unitorum coram Ill.mo et Rev.mo (f. 517) Domino Andrea Sancta Crucio, Archiepiscopo Seleuciensi, et Nuncio Apostolico in Regno Poloniae<sup>10</sup> etc. flexis genibus, et Sacrosanctis Evangeliiis, quae suis manibus habebat, tactis, medio iuramento praescriptam fidei professionem de verbo ad verbum, prout iacet, in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini Nuncii Apostolici emisit, praesentibus Admodum R.ndis Joanne Baptista Lampugnatio, Secretario, et Josepho Augustino Sardulo, Capellano, suscripti Ill.mi e Rev.mi Domini Nuncii Apostolici domesticis et familiaribus, testibus ad praemissa vocatis, habitis, atque rogatis. Actum Varsaviae, die, mense, anno, quibus supra, et in fidem me subscripsi, signoque mei Notariatus Publici communi.

ADALBERTUS SLUARCZYNSKI  
Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius et Nuntifurarius  
Apostolicae in Regno Poloniae Cancellarius (mp).

<sup>10</sup> An. 1690-1696.

## 8.

Varsavia, 15 . IV . 1695.

*Iuramentum obedientiae et fidelitatis, emissum in provisione Metropolitae Kioviensis*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, 515-6.

## Forma Iuramenti.

Ego Leo, nuper Episcopus Vlodimirien. et Bresten., in Archiepiscopum Kiovien. Electus, ab hac hora in ante fidelis et obediens ero Beato Petro Sacraeque Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino Nostro Domino Innocentio Papae XII, suisque Successoribus canonice intrantibus non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu Literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam, Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum, et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis ineundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus aiuvabo; iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae, et Successorum praefatorum conservare, defendere, augere, et promovere curabo, nec ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque procurari novero, vel tractari, impediendam hoc pro posse, et quantocius potero commode (f. 515v) significabo eidem Domino Nostro vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos, et Rebelles Domino Nostro et Successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo; vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis quadrienniis personaliter ac per meipsum visitabo, et Domino Nostro ac Successoribus praedictis rationem reddam de toto pastoralis meo officio, deque rebus omnibus ad meae Ecclesiae statum, ad Cleri, et populi disciplinam. Animarum denique quae meae fidei creditae sunt salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim Mandata Apostolica praefata humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar; quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum Nuntium, ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio Capituli mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut his inibi deficientibus, per Dioecesanum Sacerdotem, et Clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de subscriptis omnibus instructum; de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii Tridentini per (f. 516) supradictum Nuntium trasmittendas; possessiones vero ad Mensam pertinentes non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice et Constitutionem super prohibitione Investiturarum bonorum Jurisdictionalium de Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Ego Leo, nuper Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, in Archiepiscopatum Kiioviensem Electus subscribo manu propria.

Ego A. A. Seleucien. A. A. Juramentum fide . . . . de verbo ad verbum ab Ill.mo D. Leone Zalenski recepi, in manibus meis et ita testor (m.p.)

In Nomine Domini Amen. Omnibus et singulis, quorum interest fidem facio, et at-testor ego infrascriptus, quod anno eiusdem Domini Nostri Jesu Christi Millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, Indictione Romana quarta, die vero decima tertia mensis Aprilis, constitutus personaliter Ill.mus et Rev.mus Dominus Leo Zalenski, nuper Episcopus Vlodimirien et Bresten., in Archiepiscopum Kiovien.electus coram Ill.mo et Rev.mo Domino Domino Andrea Sanctacrucio, Archiepiscopo Seleucien. et Nuncio (f. 516v) Apostolico in Regno Poloniae etc. flexis genibus, et Sacrosanctis Evan-geliis, quae prae manibus habebat, tactis subscriptum Juramentum fidelitatis de verbo ad verbum, prout iacet, in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi Domini Nuncii Aposto-lici emisit, praesentibus Admodum R.ndis Joanne Baptista Lampugniano, Secretario, et Francisco Libowicz, J. V. Licentiato, Cappellano, subscripti Ill.mi, et Rev.mi Do-mini Nuncii Apostolici domesticis et familiaribus, testibus, ad praemissa vocatis, ha-bitis, atque rogatis. Actum Varsaviae, die mense, anno, quibus sopra, et in fidem me subscripsi, signoque mei Notariatus Publici communivi

ADALBERTUS SLUVARCZYNSKI  
Publicus Sacra auctoritate Apostolica Notarius,  
et Nunciaturae Apostolicae in Regno Poloniae  
Cancellarius (mp.)

9.

*Varsavia, 13 . IV . 1696.*

*Gratias agit pro confirmatione in Metropoli Kioviensi, laudatque studium Unionis Sanctae Pontificis Innocentii PP. XII.*

ASV, *Litterae Episcoporum*, vol. 85, fol. 77.

ASV, *Reg. Brevium*, an. V, fol. 185.

THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, vol. III, pag. 762, nr. 767.

S.me ac B.me Pater, D.ne D.ne Clementissime.

Post oscula beatorum pedum, mei et Sanctae Unionis, in sinum pientissimi Patris D.ni ac Oecumenici Pastoris nostri demississimam recommendationem debitamque subiectionem, accedo propius et tanto fiducialius ad viscera clementissima Sanctitatis Vestrae cum perenni immortalique gratiarum actione, me minus meritum ex sola exuberanti praeventique Sanctitatis V. gratia, per omnia gratis altius et altius in candelabro Unitae Roxolanae Ecclesiae Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae Metropoli expositum dignoscam, in quo non modo lucere et ardere cum Dei auxilio singularique Sanctitatis V. ope desidero, verum nefandos Schismatis errores extirpare, catholicam fidem radicare, Unionem Sanctam propagare, Sanctitatisque V. eiusque Sedis Apostolicae Primatum promulgare pro virili meo enitar; quod eo efficacius fieri contendam, quo Religionis Basilianae ac Unionis totius negotia sub felicissima Sanctitatis V. praesidentia Brestae Lithuanorum<sup>11</sup> optatissimos effectus, et incrementa

<sup>11</sup> Anno 1667, in Capitulo Generali Berestensi; cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 15.

accepisse viva devotaque semper recole memoria; ubi inculta licet et rudi lingua eam futuri Pontificis maximi licuerat venerari ideam, nunc vero et corde et calamo et demisso poplite Urbis Orbisque moderatorem et supremum animarum nostrorum permissum est revereri Pastorem, cuius cernuus sanctissimam implorans benedictionem eiusdem sacerrimas millies deosculor plantas, et maneo

Sanctitatis ac Beatitudinis Vestrae D.ni D.ni mei Clement.mi

Infimum perpetuumque ad pedes mancipium

LEO SZLUBIC ZALESCHI, Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae, Vladimiriensis et Brestensis Rit. G. Unitus Episcopus. Varsaviae, Anno 1696, die 13 Aprilis.

## 10.

*Varsavia, 13 . IV . 1696.*

*Gratias agit Carolo Barberini pro eius patrocinio et protectione, modo speciali in provisione Metropolitae Kioviensis.*

BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6647, fol. 129rv.

Eminentissime, Illustrissime  
ac Reverendissime S. R. E. Princeps, Domine, Domine  
et Mecaenas Amplissime.

Per centuriam iam annorum ex durissimo schismatis errore ad verae fidei catholicae lumen et Unionem revocata Russia, eiusque Metropolitanus, Praedecessores mei, non aliis magis perseverantissime summo Universae Ecclesiae capiti adhaeserunt mediis, quam suavissimis Barberinarum Apum illecti dulcoribus; quae Apes, ex sua innata, et sollicita uniendarum animarum in favum melis Ecclesiae bonitate et suavitate, sicut olim in Francisco Barberino,<sup>12</sup> S. R. Ecclesiae Decano, Cardinali Eminentissimo, suis aculeis perficitur schisma, ad eradicationem usque in Russia, contrectarunt, ita in te, Augustissimo Carolo, solidos, et fideles Unitos, omni comitate, munificentia et praevenienti, dulcissimaque gratia tractare, fovere non intermittunt. Quos inter, dum ego specialissimo, validissimo apud hanc Sanctam Congregationem de Propaganda Fide Ipsumque Sanctissimum Dominum Oecumenicum Pastorem nostrum, Eminentiae Vestrae praeconio, in candelabro Chioviensis, Haliciensis totiusque Russiae Metropolis, nullis meis meritis, sed sola dignatione suavissima tuarum Apum locatus reperiar, non restat mihi aliud, quam ut in signum perpetuae gratitudinis, et gratiarum actionis ad omnes huius Sacrae Congregationis expectationes, Reverendissimi Domini nostri vota, Eminentiae Vestrae, Domini mei Clementissimi nutus, semper candida, semper flexibilis et prompta, semper ara... (f.129v) animabusque mihi commissis, semper lucens inveniar cera; quam calcandam sacerrimis Eminentiae Vestrae omni alacritate et humilitate subicio pedibus maneoque

Eminentissimae, Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini mei amplissimi ac mecaenatis,

<sup>12</sup> Franciscus Barberini, Cardinalis ab an. 1623, Decanus S. Collegii, et Episcopus Ostensis a die 11. X. 1666. Obiit die 10. XII. 1679. Cfr. *Hierarchia Catholicae medii et recentioris aevi*, vol. IV, pag. 18-19, nr. 1.

devotissimum, infimum, semperque ab obsequia paratissimumm mancipium

LEO SZLUBIC ZALESCHI

Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis, Haliciensis  
totiusque Russiae (m. p.)

11.

*Varsavia, 13 . IV . 1696.*

*Gratias agit S. Congregationi de Prop. Fide pro evectione sua ad Metropoliam Kioviensem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 512.

Eminentissimi, Excellentissimi, Ill.mi et Rd.mi S. R. E. Principes,  
Domini mei Clementissimi.

Ultimis diebus Martii, anni praesentis, Literas Apostolicas in personam meam indignissimam et undequaque vilissimam, pro Chiovien. et Halicien. totiusque Russiae Metropoli gratiosissime emanatas, mediantibus Eminentis Vestris, omni humilitate et reverentia de manibus Ill.mi Nuntii Apostolici, pro tunc in Regno Poloniae commorantis, accepi Vilnae; quarum iuxta tenorem, Catholicae Fidei professionem, fidelitatis veraeque obedientiae Sanctae Romanae et Universali Ecclesiae, eiusque Summo Pastori coram eodem Illustrissimo Nuntio Apostolico Varsaviae iuramentum emisi, et subscripsi. Cum vero nullis meis praecedentibus meritis, Coronam hanc Unitae Roxolanae Ecclesiae sub Dominicam Palmarum, de sola Eminentiarum Vestrarum apud Sanctissimum Dominum Nostrum validissima, mihi que propitia receperim interpositione, expedit omnino, ut, omni conatu et studio in id incumbam, quatenus voto, et expectationi Eminentiarum Vestrarum in propaganda fide catholica, extirpandoque Schismate, SS.mi Domini nostri promulgando Primatu ita respondeam, ut uberes lucrandarum animarum palmas visibili in terris, ac invisibili in caelis adferam et repraesentem Pastori; quod, auxiliante ter Optimo Maximo Deo, me pro virili curaturum, sacrosancte spondendo, in signum evidentissimae gratitudinis, et gratiarum actionis, pro hac gratia gratis mihi collata, Sacram Eminentiarum Vestrarum demississimo basio exosculor Purpuram, et maneo

Eminentissimorum, Excellentissimorum, Ill.simorum, ac Rd.morum Dominorum  
et Mecaenatum meorum

infimum humillimumque ad omnes nutus Manc.

LEO SZLUBIC ZALENSCHI,

Archiepiscop. Chiovien. Halicien. totiusque Russiae.

Varsaviae, 13 Aprilis 1696.

12.

*Varsavia, 13 . IV . 1696.*

*Gratias agit pro confirmatione in Metropolia Kioviensi, nec non transmittit professionem fidei et iuramentum fidelitatis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 513rv, 518.

Ill.me ac Rd.me Domine, Domine et Patrone Colendissime.<sup>13</sup>

Literas Apostolicas pro Ecclesia Chioviensi, Haliciensi, totiusque Russiae Metro- poli, iuxta Bullam Unionis, in meam personam gratiosissime e Dataria SS.mi Domini Nostri Innocentii XII, Divina providentia Romani Pontificis, emanatas omni humi- litate, et reverentia de manibus Ill.mi Nuntii, in hoc Regno Poloniae ad praesens commorantis,<sup>14</sup> et sollicita cura Ill.mae ac Rdn.mae Dominationis transmittentis, ultimis diebus Martii anni praesentis Vilnae accepi; quibus, prout ex voto, expectationeque Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, iam licet immeritus, tamen clementissime munitus, pro meo virili in propaganda Unione Sancta, extirpando Schismate, SS.mi Domini Nostri in Universam Ecclesiam promulgando Primatu, Deo auxiliante, me responsurum polliceor, et sacrosancte spondeo. (f. 513v) Juramenti, a me in manibus Ill.mi Domini Nuntii emissi et professionis fidei coram eodem factae, cum meae propriae manus subscriptione, tum Ill.mi Domini Archiepiscopi Seleuciensis, iuxta ordinationem in transmissis mihi Literis Apostolicis expressam, ad eandem Sacram Congregationem remitto formas. Interim eiusdem Sacrae Congregationis, tum Ill.mae ac R.mae Dominationis Vestrae gratiam, favorem, et ulteriorem mihi, Ecclesiisque meis, et toti Unioni, et Religioni Sanctae, ad effectum praemissorum, demississime imploro opem. Suppliciter expeto imprimis dispensari mecum super Visitatione per se, vel per alium quempiam in dignitate constitutum, singulis quadrienniis, Limum SS.rum Apostolorum; respiciendo ad tenuitatem (f. 518) et distantiam huius Beneficii. Deinde humiliter exposco, tribui mihi facultatem pro certo, ad beneplacitum Sanctissimi, et Sacrae Congregationis, numero dispensandi cum iis Praesbyteris unitis, qui e iudaismo assumpserunt sibi in coniugium Virgines, vel viduas, ut possint frui Beneficio, et sacerdotali officio. Quae dum sibi, mediante Ill.ma Dominatione, de plenitudine potestatis SS.mi Domini concedi praestolor, eiusdem sacerrimas devo- tissimo basio adoro palmas et maneo

Dominationis Vestrae Ill.mae ac Rd.mae

ad omnia obsequia paratissimus Servitor et Exorator

LEO SZLUBIC ZALENSCHII,

Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien. et Halicien.  
totiusque Russiae.

Varsaviae, 13 Aprilis 1696.

### 13.

*Varsavia, 9 . X . 1696.*

*Exponit labores suos pro defendenda Unione Sancta, nec non explicat miserabilem statum Mensae Metropolitanae.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 526, fol. 8rv, 11v.

Illustrissime ac Rn.dissime Domine. Domine, et Patrone Colendissime.

Non latet Ill.mum ac Rnd.mum Dominum Nuntium, ad praesens in Polonia de- gentem, quanta sollicitudine, cura, et impensis, propriae nihil parcendo valetudini,

<sup>13</sup> Fortasse epistola haec scripta fuit ad Cardinalem Praefectum S. C. de Prop. Fide, qui tunc temporis erat Paoluzzo Altieri (1671-1698).

<sup>14</sup> Fortasse iam agitur de novo Nuntio Varsaviensi, Joanne Antonio Davia (1696-1700).

per integrum Convocationis Regni, Magnique Ducatus Lithuaniae tempus Varsaviae, apud Status huius Regni, Unionis Sanctae Iuribus, Immunitatibus, Schysmate illa subvertere machinante, per instantiam Domini Zabokrzycki,<sup>15</sup> Nominati Episcopatus Luceorien. disuniti, tum Domini Szumlanski, Leopoliens. etc.,<sup>16</sup> toties periuri, efficaciter invigilaverim, ita, ut nullus ipsorum in ruinam Unionis Sanctae, ad Status eosdem porrectus per Nuntios Terrestres, etiam Schysmaticos, subsistere, et admitti potuerit articulus. Nec minor in particularibus futuris, antellectionalibus Comitibus Palatinate, Districtuum, tum quoque sub ipsam Electionem futuri Serenissimi,<sup>17</sup> Varsaviae, habenda est mihi Unionis Sanctae sollicitudo, ac vigilantia. Verum cum iam Archiepiscopatus Polocen., cuius Administrator fueram, alteri Rev.mo, nimirum Martino Biallozor, Episcopo Pinscen.<sup>18</sup> cesserit, bona Mensae Metropolitanæ et nimium exigua extant, et summe per militis licentiam desolata reperiantur, adeo, ut nec duo millia florenorum polonicalium de redivis erui possint, (f. 8v) meus vero Vladimiriensis Episcopatus, quem retinere Sanctissimi Domini Nostri gratia, et dispensatione mihi permissum est, similiter per Lithuanum, et Polonum militem, incursiones tartarorum, ac praesentem exercitus Regni confederationem, situs plane in hostico, vix itidem duo millia redituum importet, facile concludi potest, quod nec Metropolitana dignitas necessarium, ac proportionatum victum, sub hos publicos Reipublicae actus, et caritativam, nec Unionis defensio, ac promotio desideratum habere speret eventum. Nisi Sanctissimi Domini Nostri Clementissimi liberalissima in bonum et rem Sanctae Romanae Ecclesiae et Unionis succurrat gratia, quam mediante instantia suae Ill.mae ac Rd.ssimae Dominationis dum humiliter imploro, eiusdem devotissimo basio vestimenti exosculor fimbriam et maneo

Ill.mae ac Rd.mae Dominationis Vestrae, uti quem assumo in Protectorem, et Patronum meae indignae personae, et rerum, negotiorumque Unionis Sanctae ac Domini mei Observantissimi,

ad omnia obsequia paratissimus Servitor et Exorator  
LEO SZLUBIC ZALENSKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
Kiovien. Halicien. totiusque Russiae,  
Vladim. et Brest. Ritus Graeci Unitus (m.pr).

Varsaviae, anno 1696, die 9. 8bris.

\* \* \*

Die 8 Januarii 1697.

D. Secretario cum SS.mo

C. A. FABRONUS, Secretarius.

<sup>15</sup> Dionysius Zabokrzycki, postea Episcopus Luceoriensis catholicus (1702-1714). Tunc temporis erat adhuc non unitus et apud Patriarchas tum Constantinopolitanum tum Moscoviensem de consecratione in Episcopum instabat, ob impedimenta ex eius statu matrimoniali provenientia. Tandem e manibus Metropolitanæ Kioviensis consecrationem hanc obtinuit, impedimentis sublatis. Obiit in carcere in Moscovia, ut confessor fidei catholicae, a Czaro Petro I usque ad mortem persecutus.

<sup>16</sup> Josephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis, qui inde ab anno 1677 professionem fidei catholicae emisit, quam tamen, iterata vice professam anno 1681, palam promulgare usque ad annum 1700 renuit, ob rationes tum personales tum pastorales. Anno tandem 1700 simul cum tota Eparchia Leopoliensi Ecclesiae Catholicae sese univit.

<sup>17</sup> Hoc anno obiit Joannes III Sobieski, Rex Poloniae. Novus Rex Poloniae electus fuit Federicus Augustus II Saxo (1697-1733).

<sup>18</sup> Martianus Bilozor, Episcopus Pinscensis (1666-1697), translatus fuit hoc eodem anno ad Sedem Archieparchialem Polocensem (1697-1707).



## 14.

Varsavia, 9 . X . 1696.

*Eiusdem argumenti ad Cardinales S. C. de Prop. Fide.*APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 526, fol. 9rv.

Eminentissimi, Rndissimi S. R. E. Principes, Domini, Domini mei Clementissimi.

Non latet Ill.mum ac Rnd.ssimum Dominum Nuntium, ad praesens in Polonia degentem, quanta sollicitudine, cura, et impensis, propriae nihil parcendo valetudini, per integrum Convocationis Regni, Magnique Ducatus Lithuaniae tempus Varsaviae apud Status huius Regni, Unionis Sanctae Iuribus, Immunitatibus, Schysmate illa subvertere machinante, per instantiam Domini Zabokrzycki, Nominati Episcopatus Luceorien. disuniti, tum Domini Szumlanski Leopoliensis, toties periuri, efficaciter invigilaverim, ita, ut nullus ipsorum in ruinam Unionis Sanctae ad Status eosdem porrectus per Nuntios Terrestres, etiam Schysmaticos, subsistere et admitti potuerit articulus. Nec minor in particularibus futuris ante electionalibus Comitoliis Palatinatum, Districtuum, tum quoque sub ipsam Electionem futuri Serenissimi, Varsaviae, habenda est mihi Unionis Sanctae sollicitudo, ac vigilantia. Verum cum iam Archiepiscopatus Polocen., cuius Administrator fueram, alteri Rnd.mo, nimirum Martino Biallozor, Episcopo Pinscen. cesserit, bona Mensae Metropolitanae et nimium exigua extent, et (f. 9v) summe per militis licentiam desolata reperiantur, adeo ut nec duo millia florenorum polonicalium de redivisibus erui possint, meus vero Vladimiriensis Episcopatus, quem retinere, Sanctissimi Domini Nostri gratia et dispensatione, mihi permissum est, similiter per Lithuanum et Polonum militem, incursiones Tartarorum, ac praesentem Exercitus Regni Confoederationem, situs plane in hostico, vix itidem duo millia redituum importet, facile concludi potest, quod nec Metropolitana dignitas necessarium, ac proportionatum victum, sub hos publicos Reipublicae actus, et caritatem, nec Unionis defensio ac promotio desideratum habere speret eventum. Nisi Sanctissimi Domini Nostri Clementissimi liberalissima in bonum, et rem Sanctae Romanae Ecclesiae et Unionis succurrat gratia, quam mediantibus instantiis Eminentiarum Vestrarum dum humiliter imploro, eorundem sacram devotissimo basio exosculor purpuram et maneo

Eminentissimarum ac Rndissimarum Dominationum Vestrarum, Dominorum meorum Clementissimorum

infimum perpetuumque Mancipium

LEO SZLUBIC ZALENSKI, Archiepiscopus Metropolitanus Kiiovien.,

Halicien. totiusque Russiae,

Vladimir. et Bresten. Ritus Unitio Graeci (m.pria).

Varsaviae, Anno 1696, die 9 Octobris.

## 15.

Byten, 26 . VIII . 1698.

*Adpromittit observare iura Ordinis in electione Metroplitarum eorumque Coadiutorum.*BIBL. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 65.

Leo Szlubic Zaleski, Dei et Sedis Sanctae Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis, Archimandrita Kobrynensis et Czernichoviensis.

Notum facio his literis meis unicuique, quorum praesentes intererint, praecipue vero Ordini meo S. B. M., quod cum post decesum sanctae memoriae Ill.mi Domini Cypriani Zochowski totius Russiae Metropolitanus, Unita cum Ecclesia Sancta Romana Ecclesia S. nostra legitimo orbata extiterit pastore et Rev.mus in Christo Pater Proarchimandrita O. S. B. M. cum Venerabilibus Consultoribus Religionis iuxta iura me summe indignum sub tempus Congregationis nostrae generalis habitae in Consultorio sub tempus Capituli dicti elegerit cum obligatione quatenus Ordini Sancto scriptum datum a sanctae memoriae Domino Josepho Rutski, totius Russiae Metropolitanus, Legislatore nostro, investitusque a Sede S. Apostolica in Metropoliam futura redderem Congregatione, quod ego exequi, iurata fide episcopali, tunc temporis adpromisi, id circo obligata mihi ab Ordine gratia cum iam et Sedis Sanctae Apostolicae respectu sacram receperam gratiam, in praesenti Congregatione Byteniensi sub tempus Consultorii sacro sanctae de me spondeo, quod sicuti neminem sine consensu Rev.mi Protoarchimandritae et Consultorum Ordinis praesumam eligere mihi pro Coadiutore et Successore in Metropoliam, ita scriptum Religionis datum a sanctae memoriae Domino Rutski Metropolitanus ad hoc, ut quilibet cum consensu Ordinis in Metropoliam et Episcopatus ascendat approbo et hanc approbationem meam manus propriae subscriptione per solitum sigillum roboro.

Dabantur Bythenii, die 26 Augusti, Anno 1698.

LEO SZLUBIC ZALESKI, Metropolitanus totius Russiae,  
Vlodimiriensis Episcopus (m. p.)

(L. S).

(*Epistola haec praesentata fuit anno 1708 a Leone Luca Kiszka in Actis Consistorii Vilmensis, in textu lingua polonica exarato, et exinde de verbo ad verbum extracta a Notario Consistorii, Casimiro Gudelewicz, die 25. IX. 1728, collationante Barnaba Swidnicki, OSBM, Archimandrita Braslaviensi; ut nobis videtur, etiam haec epistola fuit ex post « fabricata »*).

## 16.

*Novogrodek, 20 . IX . 1698.*

*Commendat quatuor Alumnos, quos ad Collegia Romana mittit.*

APF, *Scrirt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 532, fol. 56, 60v.

Emin.mi ac Rnd.ssimi Sanctae Romanae Ecclesiae Principes,  
Domini, Domini Clementissimi.

Quanta non modo in nostra Russia, verum in Universo Orbe Sanctissimi Gregorii XIII.<sup>19</sup> colitur ac depraedicator memoria, exinde vel maxime, quod, erecto Collegio Graeco, innumeras e Schysmate eripuerit, collegerit, et aggregaverit Sanctae Romanae Ecclesiae animas, Eminentis Vestris, ut ego infimum earundem id recenseam mancipium, supervacaneum esse censi. Unica id nostra quondam pusilla, at nunc in Moscoviae fines usque protensa et propagata re ipsa testetur fateaturque Unio

<sup>19</sup> Gregorius PP. XIII, Bononiensis, Pontifex Romanus ann. 1572-1585. Hic Collegium Graecorum de Urbe, nec non Pontificium Collegium Vilmense fundavit (an. 1582).

S. necessum est; quae non aliunde in tantam erecta est Ecclesiae ac Fidei Sanctae Propagantem, nisi ab ubertate Collegiorum de Propaganda Fide, et istius Gregoriani, e quibus, ceu e fontibus virtutum, scientiarum, dogmatumque catholicorum, Religio mea Basiliana per Russiam, Poloniam, Lithuaniam, Livoniamque diffusa est, ita lucrificans Christo et Petro fideles, ut amplius et amplius lucri facere cupiens, dignos ab iisdem Collegiis exigit Operarios; messis enim multa, Operarii videntur esse pauci. Ut ergo suo voto apud Sanctissimum Dominum Nostrum Eminentiasque Vestras gratiosissime potiatur, haec eadem Ruthenorum Basilianorum Religio e suo gremio quaternarium excolendorum Operariorum subministrat numerum,<sup>20</sup> quem dispositioni Eminentiarum Vestrarum et protectioni, una mecum supplicabunda, subiicit. Ego vero, pro debito muneris mei, Sacram exosculans Purpuram quam devotissimo basio, maneo Eminentissimarum, R.dissimarum Dominationum Vestrarum semper

humillimus Servus et Exorator perpetuus

LEO SZLUBIC ZALENSCHI,

Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien. et Halicien. totius Russiae (mp).  
Novogrodeci, ad Cathedram meam Metropolitanam, 20 Septembris, 1698 anno.

17.

*Novogrodek, 20 . IX . 1698.*

*Revocat Alumnos, studiis absolutis, novosque mittit.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 532, fol. 57.

Reverendissime ac Illustrissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Eam, quae par est honori et nomini Rnd.mae ac Ill.mae Dominationis Vestrae deferens venerationem, unicum hoc prae meis habeo votis, ut diutissime sua nos soleretur incolumitate, quam etiam de meis augeri cupio annis. R. Pater Sulikowski<sup>21</sup> feliciter in Patriam remeavit, ingenti cum nostro solatio, egregius in Vinea Domini operarius, cui a Sua Rev.ma ac Ill.ma Dominatione exhibitae gratiae, me totamque Religionem meam Basilianam perpetuo nominis suis dedicant cultui. Et quoniam Messis magna nimis, Operarii autem pauci, ideo audeo supplicare Rev.mae ac Ill.mae Dominationi Vestrae, perque illius instantiam Eminentissimis Principibus Sanctae Romanae Ecclesiae, de Propaganda Fide Praepositis, quatenus R. Frater Procewicz,<sup>22</sup> in hoc de

<sup>20</sup> Admissi fuerunt an. 1698, die 14 Novembris tres Alumni in Collegio Graeco: Innocentius Piechovskyj, Germanus Kozaczenko, et Samuel Czereckyj, qui ultimus, ut videtur, nemo alius erat quam famosus postea Thephanes Prokopovycz, qui ad schisma descendit et in Moscovia Archieparchiam Novhorodensem obtinuit, simulque erat a consiliis in rebus ecclesiasticis Czari Petri I. Cfr. de eius vita et doctrina protestantizante V. KOWALYK, *Theophanes Prokopovycz-Influxus Protestantismi*, Romae 1948, et alia multa in A. Palmieri et M. Jugie.

<sup>21</sup> Jacobus Solikovskij, Alumnus Collegii Urbani; ingressus ut Alumnus supranumerarius die 30. I. 1696; Chelmensis, aet. an. 24. Primum studuit in Collegio Olomouensi. Discessit die 20 Maii 1698. Cfr. ARCHIV. COLL. URBANI, *Registro degli Alunni*, vol. I, pag. 201.

<sup>22</sup> Basilius Procewycz, filius Christophori et Barbarae, Lithuanus, Ritus Latini; ingressus in Ordinem Basilianorum cum transitu ad Ritus Ruthenum. Ingressus in Collegium, missus ab Episcopo Chelmensi, die 23. XI. 1693; hic in philosophiae et theologiae studiis sexennium explevit, et lauream obtinuit. Discessit die 8 Maii 1699. Dein Protoarchimandrita Basilianorum (1713-1717). Obiit die 5 Maii 1726. Cfr. ARCH. COLL. URBANI, *Registro degli Alunni*, vol. I, pag. 193.

Propaganda Fide degens Collegio, ad hanc Messem in Operarium transmittatur. In locum quorum, R. F. Iustinum Laniewski, et Arsenium Cybulski,<sup>23</sup> utrumque Ordinis Divi Basilii M. Professum, ad hoc augustum de Propaganda Fide expediens Collegium impensis commendare non desisto studiis, quos obligationi S. Romanae Ecclesiae, intentioni nostrae, et summae, in reditu, animarum conversioni aptos fore spero. Pro quibus et cum quibus mea fundens obsequia, maneo

R. dissimae ac Ill. mae Dominationis Vestrae

ad omnes nutus obsequentissimus Servus et Exorator  
LEO SZLUBIC ZALENSKI, Archiep. Metropolitanus Chiovien.  
Halicien. totius Russiae (mpr).

Ad Cathedram meam Metropolitanam Novogrodensem, 20 Septembris, 1698 anno.

## 18.

*Novogrodek, 21 . IX . 1698.*

*Relatio de statu Unionis Sanctae, modoque speciali de activitate Metropolitanatae Kioviensis in eius defensione et propagatione.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 532, fol. 58rv.

Illustrissimo Domino Secretario de Propaganda Fide  
sincera et realis a Metropolitanato Russiae datur informatio de Statu Unionis Sanctae,  
Anno 1698, 21 Septembris, ad Cathedram Novogroden. etc.

Metropolitanus omni possibili instantia, sub Convocationis et Electionis Diaetam institit apud Status Regni, ne Juribus, Privilegiis, Diplomatum, imo Bullis Sanctissimorum, gratiosissime Unioni, eiusque Immunitati concessis, quidquam derogetur, et ne Schismaticis Episcopatus, Albae Russiae nuncupatus, cuius adhuc Beatus Martyr Josaphat,<sup>24</sup> eiusque Successores Archiepiscopi Polocenses in possessione fuerant, et nuper ad eundem translatus e Pinscensi Episcopatu Ill. mus Dominus Martianus Bialozor, a pia memoriae Joanne III, Poloniarum Rege,<sup>25</sup> Archiepiscopatus Polocensis, Episcopatus Vitebscen. Mscislavien. Mohilovien. Orsanen. et Albae Russiae, privilegium obtinuerit; in elusionem huiusmodi Jurium et Privilegiorum, ne extraderentur sub moderno Serenissimo<sup>26</sup> Privilegia, quod et evicit. At postquam Coronationis Dietae, ob defectum impensarum, idem Metropolitanus defuerit, quidam Schismaticus, Archimandrita Slucensis, nomine Polchouski,<sup>27</sup> super dictum Albae Russiae Episcopatum apud modernum Regnantem subreptit et praeiudiciose Unioni Sanctae id assecutus est.

<sup>23</sup> Iustinus Laniewskyj, Alumnus Collegii Urbani, ex Javoriv, Volhyniensis; ingressus die 20. II. 1699, an. 22. Discessit ob malam valetudinem die 28. IV. 1700. Cfr. ARCH. COLL. URBANI, *Registro degli Alunni*, vol. I. pag. 208. - Alter vero Alumnus: Arsenius Cybulskyj, ingressus est Collegium Graecum die 30. IV. 1700, an. 29. Laurea obtenta in philosophia et theologia, discessit die 14. IX. 1705. Sacerdos. Cfr. ARCH. COLL. GRAECORUM DE URBE, vol. 14, fol. 45v-46.

<sup>24</sup> Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis, Oršanensis, Mohiloviensis (1617-1623). Occisus ob fidem catholicam et Primatum Pontificis Romani die 12 Novembris 1623, Vitebsci. Catalogo Beatorum inscriptus ab Urbano PP. VIII, an. 1643, in canonem vero Sanctorum relatus an. tantummodo 1867, die 29 Junii.

<sup>25</sup> Joannes Sobieski, Rex Poloniae (1674-1696).

<sup>26</sup> Federicus Augustus II Saxo (1697-1733).

<sup>27</sup> Serapion Polkovskyj, Episcopus Mohiloviensis (1697-1704).

Curavit iterum hoc idem irritare Metropolitanus, impediendo signaturam apud Excellentissimum Ducem Pro Cancellarium Magni Ducatus Lithuaniae, producendo Iura Unitorum in Palatio ipsius, et Arce Bialla dicto, imo Instantiales Ill.mi Domini Nuntii, pro tunc in Polonia commorantis, exhibendo, ne talem favorem Schismatico exhiberet, at precibus et instantiis, nescitur, pretiumne, vel Politici Status praevaluit respectus, post abitum Metropolitanus Bialla, Schismaticus Polchouski potitus rerum apud Principem, itidem Kiioviam, pro sua Consecratione abiisse dicitur. Unde grande Unioni Sanctae periculum instat, et iam a tot annis sopita, in reditu eiusdem, emanabit lucta. Nam ipse redux mox numerum innumerum consecrabit Schismaticorum Presbyterorum, et sic hucusque compressum et suppressum, exurget virulentissimum Schisma. Remedium aliud Metropolitanus, et tota Unio Sancta non reperit, nisi suppliciter exorando Sanctissimum Dominum Nostrum, et Sacram Congregationem, quatenus ad Serenissimum, totamque Rempublicam (f. 58v) velit scribere super hoc proposito negotio, ut tale emanatum Privilegium subreptitium, et Unioni Sanctae praeiudiciosum, modernoque Archiepiscopo Polocensi plane contrarium, imo illius Privilegio primo, postremum publica Constitutione Regni cassetur.

2do. Ipse Metropolitanus, et omnes Ritus Graeco-Uniti Episcopi, regularis et saecularis Clerus unitus, eorumque bona funditus per milites utriusque gentis desolata, singulari Serenissimi et totius Reipublicae gratiae, respectui et favori, ne onerentur Stativis et Contributionibus, eiusdem Sanctissimi Domini nostri, et Sacrae Congregationis literis commendari supplicant.

LEO SZLUBIC ZALENSKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
Chiovien. Halicien. totiusque Russiae (m.pria).

## 19.

*Varsavia, 25 . 1 . 1699.*

*Commendat Alumnos, ut recipiantur in Collegiis romanis, ne sumptus in eorum expeditione facti in vanum abeant.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 2, fol. 593rv.

Ill.ssime, et Rvd.ssime D.ne, Domine, et Patrone Col.me.

Recurro supplex, firma spe fretus de benignitate Ill.mae Dominationis Vestrae, ut si qua speciali ope ac patrocinio eius missi a me iuvenes Religiosi in Urbem indigerint, illam eis non dignetur denegare. Praesertim autem in facilitando eorum receptu ad inclytum Collegium Sacrae Congregationis. Nam vere messis magna hic adest, Operarii vero paucissimi; quod etiam me induxit, ut numerosiorem, quam par forse erat, Coloniam mitterem hac vice, exerendo ultimas fere vires aerarii mei, aliunde etiam tenuissimi, ob incredibilem desolationem bonorum meorum omnium, per insolentem Militem, ac de meis propriis necessitatibus detrahendo, ut publicae Ecclesiae huius prospicerem necessitati. Magnum autem esset mihi cordolium, si hi sumptus (f. 593v) mei, quos in his iuvenibus mittendis erogavi, in cassum abire deberent. Ad haec supplico etiam Ill.mae Dominationi Vestrae, ut deferre dignetur Sacrae Congregationi, quod facultates de more concessae mihi ad quinquennium iam expirant, ut earum renovationem iterum obtinere possim. Ac his me humillime

commendans gratiae et patrocinio Ill.mae ac Rd.ssimae Dominationis Vestrae, ma-  
neo eiusdem

humillimus Servus

LEO SZLUBIC ZALENSKI, Archiepiscopus Metropolitanus Kiioviensis,  
Haliciensis totiusque Russiae (mp).

Datt. Varsaviae, die 25 Januarii 1699.

20.

*Volodymyr, 21 . III . 1699.*

*Nuntio Varsaviensi de variis negotiis Ecclesiae suae, et praesertim de Eparchia Mohiloviensi non Unito concedenda, ut eius provisio impediatur et regio haec penes Archiepiscopum Polocensem conservetur.*

APF, *Scrirt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 533, fol. 54-55.

Copia Literarum Ill.mi ac Rnd.mi Leonis Szlubic Zalenski, Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae, Vladimiriensis. Episcopi Uniti, Ill.mo D. Nuntio Apostolico,<sup>28</sup> sub die 21 Martii 1699, Vladimiriensis.

Quantum industriae, impensarum, habilitatis, et virium attritarum in me adhuc superest, quantum curae et sollicitudinis potest inveniri, totum id in rem Unionis Sanctae defensionem et illius propagationem studui, studeoque impendere; verum sic bene volentem animum prosperi non semper coronant effectus. Triplicatas ad suam Ill.mam, et Rnd.mam D. in materia gravissima Unioni, Vilna, Novogrodeco, Vladimiriensis, occurrendo ausui disuniti Polchovii,<sup>29</sup> dedi literas, sed a Sua Ill.ma Dominatione, ut ex immediate acceptis hic Vladimiriensis 19 Februarii anni currentis, datis ad me Varsavia sub die 25 Januarii, nullum super scriptis responsum accepi, nec contentorum inibi habui resolutionem, ubi autem ille deberent delitescere, vel deperire prorsus ignoro, et indoleo vehementer; praesertim cum meis conatibus, quoad tuendam hanc praeclaram spartam praesens Reipublicae status notabiliter sit contrarius. Significavi etenim, quod mandatum Suae Ill.mae ac Revnd.mae Dominationis, quatenus Excellentissimum Ducem Radzivil Pro Cancellarium Magni Ducatus Lithuaniae adiissem ne Schismatico Polchovski, Archimandritae Slucensi, apud Serenissimum nostrum pro Albae Russiae Episcopatu Privilegium obtentum obsigillaret, libentissima sim executus promptitudine, et celeritate, iura, et Privilegia Unionis S. antiquissima produxi, et quod Beatus Martyr Josaphat, Archiepiscopus olim Polocensis, super eodem Episcopatu Albae Russiae habuerit Privilegium, imo per similem subreptionem obtentum, iamque obsigillatum in personam Schismatici, nuncupati Trizna,<sup>30</sup> Privilegium, quod suus Parens Excellentissimus Dux (f. 54v) Radzivil, favendo Unioni Sanctae, Antecessori meo restituit, autenticum demonstraveram; ad parem inducendo hac in parte Unioni Sanctae favorem; denique literas ad me datas Ill.mae D. V. legendas eidem porrexeram, quibus placeretur, et demoliretur; his omnibus tentatis in vanum laboravi; hocque suum lucratus responsum: tale sui of-

<sup>28</sup> Joannes Antonius Davia (1696-1700).

<sup>29</sup> Cfr. notam 27.

<sup>30</sup> Revera hic candidatus nunquam hanc Sedem obtinuit, et Ecclesia haec non unita post obitum ultimi Episcopi, Theodosii Wasylevycz (1669-1678) usque ad an. 1697 vacabat.

ficii esse iuramentum, ut nulli, etiam Sectario, denegare debeat sigillum, imo ad Pacta Conventa praesentia respiciendo, teneatur pacem, et concordiam inter Dissidentes prospicere, eaque de causa Privilegium disuniti Polchovscy sigillo Magni Ducatus Lithuaniae communivit, qui iam Chioviae consecratus est, et Mohiloviae, aliisque in locis, tripudiante Clero, populoque schismatico in Pastorem receptus est proprium, summo cum detrimento, et diminutione Sanctae Unionis. Certo enim certius inventeratus, quia senex et virulentissimus Schismaticus, in partibus iam illuminatis majori ex parte Albae Russiae Praesbyterorum disunitorum multum creabit numerum, et sic super inducet, ampliabitque suum nefandum Schisma. Idem contra me conquisitus est coram omnibus Lithuaniae Proceribus, et Nobilibus, quod in omni subsellio, et apud omnes Ministros Regni, Magnique Ducatus Lithuaniae, ipsius Causae et isti concurrentiae obnoxius fuerim. Si ergo Divina Providentia hunc Disunitum sua omnipotenti non impedit, aut non compunget dextera, iam sic stantibus rebus humana mea cessant media, quae tamen licet ardua, et difficilia, adhuc attentare possem, si nervus adesset impensarum, sine quo in hac Patria ipsa lux, et veritas tenebrescit, et zelus Catholicissimorum etiam tepescit, nihilque adferens Homerus cogitur ire foras. Habita enim Sanctissimi D. Nostri ad Serenissimum modernum, et totam Rempublicam, pro futura Dieta, in rem Unionis Sanctae, tum generaliter, tum specificè in hoc negotio literatoria commendatione, et Suae Ill.mae et Rnd.mae D.nis efficaci apud Proceres, et Status Regni instantia, possemus dictum Polchowski ad reponendum hoc Privilegium adcitare, (f. 55) utpote anterioribus Privilegiis Unionis Sanctae praepudiosum, et subreptitè apud Serenissimum male informatum, et nondum Jurium nostrorum gnarum, obtentum. In conventibus particularibus, et antedictanis Comitiolis ad instructiones Dominis Nuntiis Terrestribus hoc idem negotium, per varios Palatinatus, Capitaneatus, et Districtus insinuandum, et ingrossandum esset; verum haec omnia et magnam diligentiam, vigilantiam, et magna requirunt dona, quibus praevaleret apud avaros Ministros teterrimum Schisma. Dignetur etiam Sua Illustrissima et Rnd.ma Dominatio scribere ad D. Martianum Bialozor, Archiepiscopum Polocensem, quinimo compellat ipsum, et demandet in virtute sanctae obedientiae, quatenus prosequatur hanc causam, uti legitimus, ac institutus Albae Russiae Praesul, in cuius Dioecesim, Iurisdictionem, et Ovile rapax lupus Polchowski involavit. Me solum circa haec operari debilitatae vires, et lecto ab aliquot Septimanis, prae morbi gravitate affixae non permittunt; licet enim Lithuanicam cum toto meo Clero speramus eluctasse pressuram, ast nova calamitas mox ab acatholicis Germanis cohortibus supervenit, qui Ecclesias, et Ecclesiasticos nostros ultimamque fortunam, rapaciter, et hostiliter diripiunt, et persequuntur, in vitamque plurimorum machinantur. Quapropter iam nobis non datur campus, et commoditas promovendae Unionis Sanctae, cum et ipsi crudeliter, et hostiliter tractemur. Haec, ut verissima, Caelo teste, et recta conscientia Ill.mae Dominationi Vestrae et detuleram, et defero, bonum hic expressorum exoptans et videre, et legere eventum. Si quod autem Ill.ma et Rnd.ma Dominatio Vestra velit dare mandatum, iubeat literas ordinari Lublinum, ad R. P. Rectorem Soc. Jesu; unde de facili ad manus meas perventuras spero Vladimiriæ. Sacram interim devoto basio vestimentorum Ill.mae ac Rnd.mae D. Vestrae exosculans fimbriam, sum scriborque Vladimiriæ ad Cathedram meam Episcopalem.

## 21.

*Vilna, 26 . II . 1700.**Gratias agit pro admissione Alumnorum ad Collegia romana.*BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6647, fol. 131.

Eminentissime, Excellentissime ac Reverendissime Princeps ac Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.

Habita notitia a R. Patre Procuratore nostro,<sup>31</sup> quod gratiarum actoriae meae pro admissis ad Collegium Urbanum de Propaganda Fide fratribus Ordinis nostri non pervenerint ad manus Eminentiae Vestrae, Domini mei, idcirco repetitas hasce, milenis gratiarum actoriis plenissimas, cum omni obligationis meae profundissima veneratione transmitto, obnixè expetens, tanquam Protectorem singularissimum Ordinis nostri, quatenus subiectis nostris in praedicto Collegio locus non denegetur; non praetendimus enim aliam, nisi pure gratuitam in admittendis acceptationem; nec despondeo animum, quin ponderosa interpositione, et speciali gratia Eminentiae Vestrae etiam in futurum, quoties supplicavero, et pro quot personis, obtenturum me existimem gratiam, favoremque Sanctae Sedis, Eminentiae Vestrae.

Quem cum tota Unione Sancta demississimo adorans poplite, eius sacram devoto basio exosculor purpuram, maneoque

Eminentissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini ac Mecaenatis Clementissimi

infimum perpetuumque mancipium

LEO SZLUBIC ZALENSKI Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis  
Haliciensis totiusque Russiae (mp)

Vilnae, ad Cathedram nostram Metropolitanam, die 26 Februarii 1700.

## 22.

*Volodymyr, 13 . XI . 1700.**Missio novi Alumni et novi Procuratoris Generalis in Urbem.*BIBL. VAT., *Barb. lat.*, vol. 6647, fol. 132rv.

Eminentissime ac Reverendissime S. R. E. Princeps, Domine,  
Domine ac Mecaenas mihi Clementissime <sup>32</sup>.

Promissam Eminentiae Vestrae, Domini mei Clementissimi, in admittendo ad Collegium Urbanum de Propaganda Fide iuvene Basiliano gratiam pro hac sola vice, litteris ad me datis declaratam, caeterasque conditiones, ac informationes hac in parte ibidem favorabiliter expressas ad amussim observando, eandemque gratiam Eminentiae Vestrae, Domini mei Clementissimi, mihi, Ordini Ruthenorum Basiliano, et toti Unioni Sanctae non pro hac sola vice, sed pro semper pernecessariam esse recognoscendo, ac eandem supplici venerationis cultu exposcendo, quanta potui celeritate, impedi-

<sup>31</sup> Polycarpus Filipovycz (1690-1701).

<sup>32</sup> Fortasse agitur de Praefecto S. Congreg. de Prop. Fide, Carolo Barberini (1693-1704), qui hac de re habuit facultatem decidendi.



tibus licet nostris in oris civilibus vicissitudinibus, ut perciperem non vacuam, omni studio, ac sollicitudine impensisque adhibitis expediendum talem iuvenem desudavi, qui virtutis, pietatis, doctrinae ac zeli in propaganda Unione Sancta non paenitendos fructus sit factururus. Ut igitur taliter missus charissimus Innocentius Malejewski <sup>33</sup> pro theologicis studiis circa nominationis praesentationisque ad idem Collegium, Eminentiae Vestrae, Domini mei Clementissimi, litteras, omnibus amotis difficultatibus, singularem eiusdem sortiatur facilitatem et benevolentiam, una cum Basiliana Ruthena Religione, et Unione Sancta, qua in dies per gratiam Dei, et similium Operariorum in vinea Domini labores augentur (f. 132v) ac dilatantur, quam demississime supplico. Et quoniam dictus iuvenis tenerioris sit aetatis, longumque iter non sine discrimine aliquo posset sustinere, ideo hac eadem occasione revocando Reverendum Patrem Polycarpum Filipowicz, Procuratorem nostrum de Urbe, <sup>34</sup> eidem substituimus praesentium latorem, Reverendum Patrem Sylvestrum Pieszkiewicz, <sup>35</sup> pro quo et cum quo licet omnibus Eminentissimis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinalibus a me supplicatum est, singulariter tamen Eminentiae Vestrae, Domino meo Clementissimo, supplico, uti Praefecto eiusque Congregationis Eminentissimo, quatenus eidem, quidquid nomine Religionis, Unionis Sanctae, vel meo Metropolitano proposuerit, vel declarandum aut decidendum rogaverit, id gratiose, ac benigne resolutum indulgum in Curia Sanctissimi et apud Eminentiam Vestram obtineat. Quam mihi et toti christianitati incolumem quam diutissime Eminentiam Vestram, Dominum meum Clementissimum, exoptando, sacerrimam eiusque humili basio deoscolor purpuram, et maneo Eminentiae Vestrae, Domini mei ac Mecaenatis Clementissimi

infimum perpetuumque mancipium

✠ LEO SZLUBIC ZALENSCHI, Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis,  
Haliciensis totiusque Russiae (m.p.)

Vlodimiriae, Anno 1700, die 13 Novembris.

## 23.

*Volodymyr, 14 . XI . 1700.*

*Missio novi Alumni et novi Procuratoris in Urbe commendatur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 39rv.

Illustrissime ac Rev.me Domine, Domine, Patrone et Fr. Colendissime. <sup>36</sup>

Tota Religio Unitorum Basilianorum Ruthenorum, imo tota Unio Sancta, cum sua Episcoporum, Archiepiscoporum, et Metropolitanorum Hierarchia, non aliunde maiorem habet dependentiam, quam a Sacra Congregatione de Propaganda Fide. Unde omnes vitales spiritus, informationes, corroborationes, adminicula, et plane vim roburque subsistendi, hostes Disunitos reprimendi SS.maeque et Apostolicae Sedi

<sup>33</sup> Innocentius Malejewskyj erat revera Alumnus Collegii Urbani, ingressus die 31. I. 1701, annorum 20; theologiae studuit, absoluta philosophia in Collegio Vilnensi. Discessit die 24 Septembris 1705, obtenta laurea in theologia. Cfr. ARCH. COLL. URBANI, *Registro degli Alumni*, vol. I, pag. 216.

<sup>34</sup> Ann. 1690-1701. Dein Nominatus Mukačoviensis (1710); vir insignis tum vita tum doctrina.

<sup>35</sup> Novus Procurator in Urbe (1701-1709), dein Archiepiscopus Polocensis (1709-1719).

<sup>36</sup> Ut videtur Secretario S. C. de Prop. Fide, Carolo Augustino Fabroni (1695-1706).

subiiciendi desumit: maxime per subministratos sibi sumptibus minificentissimis, tum e Collegio Graeco felicis recordationis Gregorii XIII, quam Urbani Octavi e Collegio de Propaganda Fide scientiis ac pietate imbutos operarios; quorum cum hic et nunc uberior copia desideretur, quando profligato schismate in partibus Lithuaniae, Volhyniae, Podoliae et aliquibus Ucrainae, vix aliquid supersit, praeter Moschoviam, audeo supplicare Ill.mae Dominationi Vestrae, uti Secretario eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide meritissimo, quatenus et suscipiendo iuveni ad idem Collegium a nobis in memorem (f. 39v) gratiam Emin.mi Cardinalis Caroli Barberini, <sup>37</sup> Domini nostri Clementissimi, et R.do Patri Sylvestro Pieszkewicz <sup>38</sup> ad Officium Procuratoris Generalis deputato Ill.ma ac Rev.ma Dominatio Vestra suo favore et benevolentia non velit deesse, imo zelo suo apostolico, tanquam in Universale Ecclesiae S. bonum ordinatos, omni sua benevolentia dignetur excipere, negotiis et opportunitatibus eorundem gratiose velit sua protectione subvenire, et quidquid nomine Religiosis Basilianae, Unionis Sanctae, vel indigno meo Metropolitano supplicatum per eundem Procuratorem nostrum Ill.mae Paternitati et Sacrae Congregationi fuerit, id suam, nominis Ill.mae D.nis Vestrae, et favorabilissimi effectus, recipiat coronidem. Pro quo demississime Ill.mae Dominationi Vestrae supplicando eiusdem beneficas deoscolor palmas, et maneo

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni et Fratris Colendissimi,

ad omnes nutus ... Servitor, Frater et Exorator .

LEO SZLUBIC ZALENSCHI,

Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien, Halicien,  
totius Russiae (mpp).

Vlodimiriae, die 14 Novembris, Anno 1700.

## 24.

*Varsavia. 30 . XI . 1701.*

*Nuntio Apostolico supplicat pro designatione aliorum locorum in Bielorussia et Ucraina ad obtinendam indulgentiam iubilaei.*

ASV, *Nunz. di Pol.*, vol. 123, fol. 1219rv.

Transumptum literarum D. Metropolitanus Kioviensis  
ad D. Nuntium Apostolicum in Regno Poloniae.

Illud etiam deferendum duxi, quod iubilaeum pro felicissimo SS.mi D. Nostri regimine per totam archidioecesim Metropolitanam cras, Deo dante, magna cum solemnitate terminamus. Ast iubilaei huius saeculorum, ut extra Vilnam, uti Lithuaniae Metropolitim, celebraretur aliquando solemnitas et praesertim per Unitos Pastores eorumque populos, requisitum apud me ab Ill.mo Domino nullum reperi exemplum. Nec mirum est quia ab exordio renovatae Unionis, per quondam piissimae memoriae Hypatium Pocięy <sup>39</sup>, olim Vladimiriensem Episcopum Unitum, dein Metropolitanum

<sup>37</sup> Praefectus tunc temporis S. C. de Prop. Fide (1698-1704).

<sup>38</sup> Novus Procurator in Urbe (1701-1709).

<sup>39</sup> Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis (1593-1613), dein etiam Metropolita Kioviensis (1600-1613). Hic simul cum Episcopo Luceoriensi an. 1595 Romam missus fuit ad obedientiam Clementi PP. VIII reddendam, quam et reddidit publice die 23 . XII . 1595, unde s. d. Unio Berestensis locum habuit, dein in Synodo Berestensi an. 1596 promulgata.

totius Russiae, pusillus erat grex Unitorum, adeoque Vilnae tantum ubi SS.mae Trinitatis Congregationem Unitorum Basilianorum, tum Confraternitatem sub eodem titulo instituit, confirmarique ab Urbano VIII et a Clemente VIII dictam Congregationem curavit, non erat necesse alio in loco, vel civitate jubilaem saeculi pro unito populo celebrandum designare. Verum cum iam nostris temporibus et indigna licet ac inutili cooperatione nostra in latum ac longum haec eadem Unio Sancta extensa reperitur, maxime dum vastissimae Dioecesis Praemisliensis et magna pars Luceoriensis, Samboriensis, Sanocenis, Leopoliensis, Camenecensis, Halicensis accesserit ita ut iam prope Ukrainam attingamus, congruum esset, non obstante carentia huius exempli si Ill.ma Rev.ma ac Excell.ma D. Vestra pro natione Ruthena Unita, consideratis rationibus, apud SS.mum D. Nostrum Clementem Clementissimum hanc gratiam obtinere dignata esset, ut praeter Vilnam pro Ruthenis in Lithuania et Alba Russia populis degentibus, adhuc pro illis qui per Poloniam, Podoliam, Volhiniam et Rubram Russiam in innumerum numerum multiplicati sunt per se, vel per delegatam mihi facultatem, locum extra Cracoviam, ubi nec Ritus, nec populus unitus extat, Leopolim, Vladimiriā, Praemisliam seu Chelmam, ex his unam designare huic sancto posset, ac voluto operi, quoniam ob distantiam maximam rarus (f. 1219 v) et non nisi ditior aliquis tantum indulgentias huius saecularis jubilaei consequentur tum ob egestatem ac illos in nostra Polonia et maxime in Lithania, turbines, et internos motus Ill.mus Vilnensis Episcopus <sup>40</sup> iam hoc saeculi jubilaem publicavit, et per totam Lithuaniam indixit, ac inchoavit per viginti septimanas duraturum, nos vero Uniti adhuc primum terminamus et sic simultaneo difficultas est iisdem participare gratiis cum Ritus Latini Christi fidelibus. Proinde necessario tenebor seorsive indicare pro Natione Ruthena super quo Ill.mae ac Rev.mae E. Vestrae ponderosissimum exploro et expecto iudicium, et consensum. Cum vero messis multa operarii autem pauci ex Ordine nostro Basiliano reperiantur, ex quibus ad missiones conformiter ad mandatum Sacrae Congregationis etiam Rev.mo Leopoliensi debuimus applicare, et hoc ipsum etiam Rev.mus Praemisliensis requirat, totaque exigat Russia, non est nec datur alius modus operariorum in Vineā Domini conquirendorum, quam si Vilnae, Brunsbergae, Olomutii, Pragae maior Unitorum Basilianorum iuvenum suscipiatur et augeatur ad convictus praefatos numerus, in quo dum difficultat PP. Societatis Jesu, dictorum Cavictuum Regentes, obnix suplico Ill.mo D. dignetur, et signanter Vilnensem ac Brunsbergensem literis suis commonere Regentes, quatenus a me et Religione commendatos iuvenes non recusent suscipere. Quam gratiam....

## 25.

*Volodymyr, 23 . III . 1702.*

*Nuntio Apostolico Varsaviensi exprimit dubia de consecratione Episcopi Luceoriensis, Dionysii Zabokryckyj.*

ASV, *Nunz. di Pol.*, vol. 124, fol. 415-416.

---

<sup>40</sup> Constantinus Brzostowski (1687-1722).

Copia literarum Ill.mi D.ni Metropolitanis totius Russiae, Vladimiriæ, die 23 Martii datarum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,  
Domine, Patrone, ac Mecaenas Amplissime.<sup>41</sup>

Obtenta Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae Apostolica informatione in negotio consecrationis Rev.mi Nominati<sup>42</sup> per manus Ill.mi ac Magnifici eiusdem filii, adhuc diu mecum, luctabar et luctor, etiam habitis facultatibus, a Sancta Sede, Metropolitanis concedi solitis, necque auderem et audeo ad munus consecrationis impertiendum accedere; ne aut praecipitantiæ, aut praesumptionis desuper arguar, maxime cum etiam meo nomine in memoriali SS.mo D.no Nostro porrecto, Magnificus D. Wloszkiewicz iam alias nota Ill.mae D. Vestrae expresserit impedimenta; inter quæ cum de facto realis ac verae bigamiae vitium non comperiat, et aliunde multa, tum eiusdem Rev.mi Nominati, tum seguacium animarum plurimarum infinita instent ab Unione, et fide catholica aversionis pericula et inde Unioni emergentia (f. 415v) saeculisque non compensanda damna, resolvi anathemam esse pro fratribus cum Apostolo, ut lucrifacerem animas Christo et Petro: diemque ad urgentissimas, et vere sinceras Rev.mi Nominati sese uniendi Ecclesiae Sanctae Catholicae preces ac instantias Dominicam Palmarum huic actui designavi, ad quem de necessitate, praeter Rev.mos Coëpiscopos Chelmensem et Praemisiensem,<sup>43</sup> tum Abbates seu Archimandritas, plurimi Regni Proceres, Nobilitas totius Volhinae invitati sunt, et sperantur. Permōvit insuper animum meum ad talem accelerationem notabilis Unitorum Pastorum, et confratrum defectus, ob insperatam Rev.mi Zolkievii, Episcopi Pinscensis,<sup>44</sup> tum Rev.mi Doroszkowski, Archimandritæ Leszczynensis, mortem, ut ergo hierarchicus Unionis adimpleatur numerus, omnino expediebat hunc investire et consecrare, qui de facto multum in hoc turbido Reipublicae statu Unionis rebus nocere posset. His ergo Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae demississime datis rationibus, ut alicuius temeritatis non incurram apud Sanctam Sedem notam, coram Deo, Coelo, et Ill.ma D. Vestra (f. 416) protestor: me ad talia descensurum ex puro animarum zelo, et lucro in obsequium Sanctae Catholicae Fidei; et ut adducam ad obedientiam Oecumenici Pastoris Nostri Romani Pontificis Maximi, Domini Nostri Clementissimi. Sub eundem actum, quæ ab Ill.mis et Rev.mis Confratribus et Coëpiscopis in rem propagandæ Unionis Sanctae percipiam, tum in multis aliis iam alias tempore longo adauctis Unionis, tum muneris mei, negotiis, difficultatibus, occurrentiis. Deo dante, post festa Paschatis, ex animo cupio Varsaviae, vel ubi tunc felix Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae erit residentia, venerabundus comparere, ibidemque tum iustificari, tum informari, tum petere ut mihi, et officio meo propitiam Ill.mae D. Vestrae inveniam protectionis dexteram, et aurem, ne mihi ad interim sinistrae delationes eiusdem patrocinantem gratiam eripiant, praesentibus supplico et maneo

Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae, Patroni ac Mecaenati Amplissimi

ad obsequia promptissimus Servitor et humilis Exorator

LEO SZLUBIC ZALENSCHI

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae Unitus.

Vladimiriæ, die 23 Martii 1702

<sup>41</sup> Nuntius Varsaviensis, Franciscus Pignatelli (1700-1703).

<sup>42</sup> Dionysius Zabokryckij (1702-1714).

<sup>43</sup> Episcopus Chelmensis-Gedeon Oranskyj (1693-1709), et Ep. Peremysliensis - Georgius Vynnckij (1700-1713).

<sup>44</sup> Antoninus Zolkevskyj, Episcopus Pinscensis (1697-1702).

## 26.

*Volodymyr, 4 . VIII . 1702 .**Pontificem certiorat de unione Eparchiae Luceoriensis eiusque Episcopi.*ASV, *Litterae Episcoporum*, vol. 95, fol. 134.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine,  
Domine Clementissime.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Suae, Domini mei Clementissimi Pastorisque Oecumenici, sane mihi et universae Russiae Unitae in ipso armorum per Orbem totum strepitu, iacturam corporis, fortunarum Ecclesiarumque nostrarum dolorosissimo patienti sensu, maximum spiritus et animi gestire solatium evenit exinde vel maxime, quod sub felicissimis vereque Clementinis Sanctitatis auspiciis lux verae catholicae fidei Schismati Luceoriensi eiusque Coryphaeo, olim genuino Saulo, nunc Paulo, Venerabili Dionysio Zabokrzycki, Nominato Disunitorum Episcopo, ast iam Divino vivifici Spiritus auxilio meaque indigna opera Unito, ita illuxerit, et affulserit, ut sua cum amplissima Dioecesi ultimus paene Sceptris Poloniae Regum subiacens acephalusque Antistes, suum, imo Universale Ecclesiae Catholicae Caput, Sanctitatem Vestram, recognoverit, Fidemque Catholicam et debitam subiectionem Sanctissimae Apostolicae Sedi, ac tibi, Clementissimo Pastori nostro, in meis manibus sincere ac devote emiserit, non secus hoc praestando, quam olim Romae sub Clemente Octavo, suos per oratores, universa, debita cum submissione, practicavit Russia, quae temporibus et felicitati singulari Sanctitatis Vestrae, Domini Nostri Clementissimi, cum hoc opus et animarum non tot quin plurium lucrum salutemque suam adscribat, est, quod ego dimississimo poplite, quod gestienti corde catholico, quod ore, et calamo, uti olim tuus, ita in hucusque enarrem, et gratuler Alumnus. Super me, Clerum, populumque Rutheno-Unitum, mihi benignissime conceditum, Clementissimam Sanctitatis Vestrae implorando Benedictionem, cuius sanctissimos pedes millenis basians osculis, quoad vita superstes ero, profiteor quod sim

Sanctitatis Vestrae, Domini, Domini mihi et universae Russiae Unitae Clementissimi

humillimus et ad pedes filius perpetuumque mancipium  
LEO SZLUBIC ZALESCHI, Archiepiscopus Metropolitanus Chioviensis,  
Haliciensis totiusque Russiae (m.p.)

Vlodimiriae, ad Cathedram episcopalem, Anno 1702, die 4 Augusti.

## 27.

*Volodymyr, 18 . VIII . 1705.**Refert de persecutionibus Ecclesiae Unitae ex parte Petri I, Czari Moscoviae, et praesertim transmittit diarium de excidio Polocensi Basilianorum.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 553, fol. 426rv.

Eminentissimi ac Rnd.mi Sacrae Romanae Ecclesiae Principes,  
Domini et Patroni Colendissimi.

Hucusque atrox in Polonia bellum faedera Religionis illaesa servavit, nunc auxi-

liares copiae, et ipse Serenissimus Moschoviae Princeps,<sup>45</sup> opem ferens Patriae nostrae, contra fidem catholicam, et praesertim contra nos Ruthenos unitos ferocem armavit manum, ad tollendos universim Ruthenos quoscunque fidem catholicam professos, animum immutabilem gerens, et iam ipso facto demonstrans. Primi in aciem descenderunt et certarunt athletae Christi in Ecclesia Polocensi, ante aram Beato Josaphat sacram, novem Religiosi Divi Basilii Magni trudicati, qui qualiter in hoc certamine se gesserint, quibusque de causis tam atrocem exceperint insultum pro fide, et Unione Sancta, plenius sigillatim a nobis scriptum Diarium Eminentissimas Dominationes Vestras informabit. Quod ut et Sanctitati Suae, tanquam negotiis totius Orbis occupatae, et ideo a nobis longiori scripto non molestatae, repraesentetur, geminatis precibus humillime expetimus. Supplicantes in simul, quatenus interposita Eminentissimarum Dominationum Vestrarum autoritate, a Serenissimo nostro Regnante regalem possimus obtinere protectionem (f. 426v), sub cuius gratioso Clypeo salventur reliquiae Ruthenae, maxime vero populus neoconversus cum suis Pastoribus, in Dioecibus Praemyliensi, Luceoriensi, et Leopoliensi,<sup>46</sup> ad meliorem Sanctae Ecclesiae frugem. Interim humillimo basio sacras deosculamur lacinias, et manemus

Eminentissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum

humillimi Servi, ac Exoratores perpetui

LEO SZLUBIC ZALENSCHI, Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien. totiusque Russiae (mp.).

DIONYSIUS in ZABOKRZYCE ZABOKRZYNSCHI, Luceorien. Ostrogien. Episcopus, Metropoliae Chiovien. Exarcha, Archimandrita Ourucen. etc.

Vladimiriae, die 18 Augusti, Anno 1705.

## 28.

*Volodymyr, 18 . VIII . 1705.*

*Diarium excidii Polocensis Basilianorum, a Metropolita transmissum.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 553, fol. 428-429v.

Diarium Excidii Monasterii Polocensis Patrum Basilianorum cum Sancta Romana Ecclesia Unitorum, patrati a Serenissimo Moschoviae Duce, Anno praesenti 1705, die 11, et 12 Iulii.

Antequam Serenissimus Moschoviae Princeps cum auxiliaribus Copiis<sup>47</sup> in Regnum Poloniae vicinamque Ditionibus suis Albam Russiam, eiusdem Regni Provinciam, descendisset, Administratorem Patriarchatus Moschoviae, Jaworski dictum,<sup>48</sup> cae-

<sup>45</sup> Petrus I (1682-1725), qui tunc temporis cum Carolo XII, Rege Suecorum nec non Stanislao Leszczynski, ad Thronum Poloniae Praetendentem, pugnabat.

<sup>46</sup> Eparchia Peremyliensis unita ab an. 1692, Leopoliensis ab an. 1700, et Luceoriensis ab an. 1702.

<sup>47</sup> Regi Poloniae Federico Augusto II auxilium ferebat contra Stanislaum Leszczynski, nec non et ipse cum Carolo XII Suecorum Rege acriter pugnabat, de hegemonia in Europa Orientali.

<sup>48</sup> Stephanus Jaworskyj, ucrainus origine, ex Galicia (1658-1722) ab an. 1684 catholicus, dein iterum non unitus (1687), et professor in Academia Kioviensi; ab an. 1702 Administrator Patriarchatus Moscoviensis, Episcopus, et demum an. 1721 Praeses s. d. « Sacrae Synodi » Moscoviensis.

terosque sui Ducatus Metropolitanos, Archiepiscopos, atque Episcopos, quatenus ad praelium contra Svecos ineundum plenariam eisdem impertirentur benedictionem, convocari fecit. Convocati illi, Dei quidem, et eorum benedictionem profuturam Principi edixere; nec tamen eam nisi tunc valituram, cum Sanctam, in Regno Poloniae, et per Provincias eius eradicaret Unionem. Bis restitit Serenissimus Moschoviae Princeps Praelatorum Imperii sui desideriis, Unitos in Summi Pontificis Papae Romani, Augustissimi Imperatoris, Serenissimorumque Europae Principum esse et fore protectione reponens. Tertia tandem vice, cum iidem Moschoviae Praelati, ereptas fidei suae ab Unitis vastissimas in Regno Poloniae Diceceses, Praemysliensem duntaxat, Leopoliensem, et Luceoriensem<sup>49</sup> aggregatasque Pontifici Romano exponent, augeri continuas in Regno eodem Unitorum foundationes, cum suae exterminio sectae, edissererent, tum ipse Serenissimus Moschoviae Princeps, tum eius Primores Imperii in perniciem subscripsere Unionis, referentibus huius Consilii seriem quatuor clandestinis Unitis, de Regno Poloniae oriundis, ad Aulam Serenissimi Moschoviae Principis commorantibus, tum, cum eis Vitebsci in Alba Russia commorantibus, Patres Basilianos ad Cathedralam degentes Vitebscensem adeundi daretur facultas. Inito hocce consilio, ac impertita a Praelatis Moschoviae ad praelium magis Unionem, quam contra Svecum benedictione, vix limites attingit Regni Serenissimus Moschoviae Princeps, Vitebscumque<sup>50</sup> in quo Beatus Josaphat pro Sancta quondam occubuit Unione,<sup>50</sup> pervenit, illico Icones Divi Josaphat, ubivis invenibiles, dissecari iussit, quod et factum in hac Urbe, tum in vicinia eius, personis vero pepercit, vel quod morbo affligeretur, vel quod caeteros in Lythuania abstertere minime voluisset, conservando omnes ad suae crudelitatis ostentationem. Motis deinde Castris Polociam, ubi Lypsana eiusdem Beati Josaphat antea reposita, nunc propter metum (comburrere enim ea idem Moschoviae Princeps intendebat, ac id palam Vitebsci iactabat) ex Ecclesia Cathedrali et Castello militibus Moschoviticis (f. 428v) undique circumsepto miraculose evecta, pervenit, et Castra circa Urbem metatus est, substititque duabus circiter absque ulla machinationis contra Unionem suspicione septimanis, donec undecima mensis Iulii dies superveniret, qua sub finem Vesperarum, in Ecclesia Cathedrali Polocensi omnes Religiosos canonicas preces recitantes reperiens, versus altare Divo Josaphat sacrum sese contulit, ibidemque consistens, ac Iconem dicti Martyris respiciens, quae sit? et cuius Icon haec? a Patre Theophane Kolbeczynski, ordinario Praedicatore Basiliano,<sup>51</sup> non ita pridem Alumno Collegii Pontificii Brunsbergensis in Prussia, est percontatus. Ad haec cum reposuisset dictus Religiosus, eam esse Divi Josaphat Iconem, subiecit aliam Serenissimus Moschoviae Princeps quaestionem: Quid sibi vellet ea, quae in capite haereret bipennis? (Armorum hoc genus est in Polonia, qua Divus Josaphat est trucidatus). Cui quaesito cum respondisset: bipennem denotare Divum Josaphat Martyrem esse, hoc armorum genere a Vitebscensibus, Pastori suo refragantibus, Ovibus occisum, subiunxit Princeps inquirens: quis benedixit, ut ille et vocaretur Sanctus, et coleretur pro Sancto? Responso a Religioso obtento in haec formalia: Papa Romanus, subintulit Princeps: Ergo tu es Unitus? Unitus, inquit Religiosus. Nec mora arrepto Princeps quod gerebat manibus baculo, dicti Religiosi concussit caput, alapam eidem impexit, invadentemque prae eius impetu britannicum canem, qui iacentis dilaceraret guttur, immisit, ac demum tum eum, tum alium ei adstantem vice Sacristam, Jo-

<sup>49</sup> Eparchiae unitae ann. 1692 (Peremysliensis), 1700 (Leopoliensis), 1702 (Luceoriensis).

<sup>50</sup> Die 12 Novembris 1623.

<sup>51</sup> Theophanes Kolbeczynskyj, Basilianus, Alumnum Brunsbergensis, ex Eparchia Vilnensi; ingressus die 16 . IX . 1698: discessit in patriam die 4 . III . 1704. Cfr. LÜHR, *Matrikel*, pag. 120-121, nr. 1017. Anno 1698 erat annorum 24.

saphat Ankudowicz dictum, ad aram Divo Josaphat sacram, evaginato confodit gladio. His patrat, ad magnum, in quo sacro-sancta colebatur Synaxis, accurrens altare, venerabile in terram disiecit Sacramentum, quam extremam Dei offensam advertens Pater Constantinus Zaykowski, Vicarius Polocensis, cum sacras recolligeret hostias, auribus abscissis, extra Polocensem arcem, ad suspendium ductus, et suspensus, ac tandem cum exhalata iam in Dei manus anima rupto fune in terram decidens, integro, flexis genibus, compositisque manibus, oraret quadrante; cum reliquis supra relatis, et infra referendis combustus, ne (verba Principis sunt) Uniti pro Sanctis, et Martyribus eos recognoscant. E supplicii loco, ad monasterium rediens Princeps Clementem Rozniatowski, extraordinarium Praedicatorum, Jacobum Knyszewicz, Presbyteros, Michaellem Kowalewski, Meletium Kondratowicz, Diaconos, et Gabrielem Kolenda, Professum, variis sustulit, precipue vero gladiatorum confossione, mortibus. Aufugi caeteri, vitae suae fuga, interitum anticipante, consulere. Unicus supererat Jacobus Kizikowschi, Alumnus quondam Collegii Graecorum in Urbe, Sacrae Theologiae Doctor.<sup>52</sup> magnae vir tum (f. 429) doctrinae, tum exemplaritatis, ex Superior Polocensis, Superior vero Vilnensis Monasterii, quem in aedibus Caenobii repertum gladio nondum laetaliter confossum, ad proximum deduci Princeps curavit aedificium, in quo diris pro fide sancta, ac pro suppellectili ecclesiastica revelanda integra nocte tortus poenis, in crastinum est suspensus. Nec cessatum est ab hac saevitia contra familiam Coenobii Polocensis. Cocus enim, reliquum famulitium, insonter, diverso poenarum genere trucidatum est, imo spectatrices tragoediae mulieres, casum dolentes Unitorum, mamillis privatae, per earundem iussu Principis abscissionem. His perpetratis, actoque de Unione Sancta triumpho, Ecclesia Cathedralis Polocensis direpta, unito erepta Archiepiscopo, dispositioni schismatici commitebatur Cleri. Eo tamen oblationem refragante Principis, ac sibi posthac a Primoribus cavente Regni, eiusdem munita sigillo, in huc usque exstat. Tragaediae huic non postremum addidit pondus Monasterium aliud Polocense Schismaticorum, in quo die 10 Lulii Mensis consistens Princeps, cum quid ab eo sui ex-peterent Religiosi? efflagitaret, responsumque, ut compesceret Unitos, obtineret. Respondit: Cras se visitaturum Unitos, et Cleri sui desideriiis satisfactorum, quod et perfecit, tum in Religiosis virilis sexus immaniter trucidatis, tum in Monialibus, in quas saevire nefas esse putabat, de eodem Divi Basillii Ordine Polociae expulsis. Quid, fatali hac Polocensi Caenobio Basiliano illata crisi, idem per alia patrauerit Monasteria, errantes per deserta ac distantibus adhuc ab exercitu Moschovitico Monasteriis succurrentes, nullam percipere valemus notitiam, excepta ea, quae Zyroviciensi, principali Unionis Sanctae Monasterio a magno eiusdem Patrono, Regni Statuum Ministro, data est praecustoditione, formalibus his, quae sequuntur: Cavete vobis tempestive tam rerum mobilium, quam vestrae salutis, subducendae ab hoc hoste Unionis Sanctae habete curam, quia hic publice declarationem fecit, se omnes Unitos interfecturum, uti Polociae factum est. Illud quoque, ab alio Regni Senatore, post actum excidii Monasterii Polocensis, innotuit: Quod Serenissimus Moscoviae Princeps, lautissimo Senatorem Regni, ac binos de Equestri Ordine Praefectos, vulgo Capitaneos, excipiens convivio, ubinam locorum Russiae Unitae degeret Metropolitanus curiosa indagaverit quaestione, ad quam notus Unioni cum respondisset Senator, cum in Lythuania, ob incapacitatem pro subsistentia Officii personae, tum recurrentium ad eam,

<sup>52</sup> Jacobus Kizikovskyj, Alumnus Coll. Graecorum, fil. Theodori et Pelagiae, ingressus die 26 . X . 1691, ann. 27 (nat. 19 . VIII . 1665). Lauream in Theologia accepit die 3 . V . 1693, et iam die 4 . V . 1693 discessit. Occisus die 12 . VII . 1705 a Czaro Moscoviae Petro I, Polociae.



degere non posse, ac proinde in Volhynia, Regni Provincia, cum Curia sua subsistere debere, subiunxit (f. 429v) in haec formalia Princeps: Cum ego, et ille Brestae essemus, hanc ei dedi optionem, ut suspendam eum, pro claudicante in partes Latinorum, et Graecorum fide, nunc autem verbo Cari dico: non ero Car, nisi suspendam eum. Habita hac notitia, in abditis locorum nemorosisque paludibus, latibula quidem in Regno Poloniae quaerit Metropolitanus, et ii Religiosi, circa quorum Monasteria subsistit Princeps Moschoviae. In Petra tamen Petri, ut reliquiae salventur Unionis, perquirunt. Constitit nobis recentissime et hoc, quod idem serenissimus Dux Moschoviae bona omnia dicti Polocensis Monasterii suo fisco adsciverit et Gubernatori Arcis Polocensis Moschovitae eadem donaverit; metus est ut cum caeteris Caenobiis idem non faciat.

## 29.

Cracovia, 7. IX. 1705.

*Implorat intercessionem penes Regem Poloniae pro defendenda Unione.*APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 553, fol. 427rv.

Eminentissime ac Rev.me S. R. E. Princeps,  
Domine, Patrone, et Protector Gratosissime.

Non novum quidem Russiae Unitae, continuis et quidem capitalibus pro Capite Ecclesiae persecutionibus assuetae, atrox tamen a Moschoviae Principe indictum certamen, dum Sacrae Congregationi de Propaganda Fide repraesentandum venit, sistit se in conspectu Eminentissimae Dominationis Vestrae Russia calamitosa, in Fide Catholica constanter persistens. Serpit protrita Imperiorum pedibus ad plantas Eminentiae Suae benignam eius implorationem. Territae enim tanta atrocitate vel maxime neoconversae Dioeceses, cum Pastoribus suis, quid agendum? perplexae haerent, et quo se vertant, undique conculsae, laribus, et bonis suis exclusae, totaliter ignorant? Medium salvandi reliquias populi exstant solum Serenissimus Rex noster Augustus, Dominus Clementissimus,<sup>53</sup> fidei catholicae assertor; qui, ut in Ditionibus Regni sui, sub specie auxilii talia non patiat, imo protegat afflictos, de efficaci interpositione ad eandem Regiam (f. 427v) Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum Clementissimum Eminentissimae Dominationi Vestrae humillime supplicandum duxi; et hoc geminatis precibus, nomine totius Hierarchiae meae, pro nunc dispersae, genibus advolutus exposco, atque quam reverentissime sacram eius deoscolor laciniam et maneo

Eminentissimae ac Rnd.ssimae Dominationis Vestrae Domini, Patroni, ac Protectoris nostri gratios.mi

ad omnes nutus paratissimus ac promptissimus Servitor  
LEO SZLUBIC ZALENSCHI,

Archiepisc. Metrop. Chiovien. Halic. tot. Russiae.

Cracoviae, Anno 1705, die 7 ma 7 bris.

---

<sup>53</sup> Federicus Augustus II Saxo (1697-1733).

## 30.

*Leopoli, 29. VI. 1707.**Expedit instructionem quid sibi agendum sit respectu Eparchiae Mukaczoviensis, quam Princeps Racocius providere vult de persona sibi bene visa.*APF, *Scr. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 559, fol. 597rv.Eminentissime ac Rnd.me S. R. Ecclesiae Princeps, Domine, Domine,  
Patrone, et Mecaenas Clementissime.

Inter bellorum, persecutionumque catholicae fidei ac religionis in partibus Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae fragores, potissimos aestus, et ictus Unita Roxolana Ecclesia, suis in membris saecularibus, Sancti Basilii, et tyaratis Capitibus, dum infracta per Dei gratiam sustinet, et ecce Princeps Serenissimus Ragocius<sup>54</sup> hanc eandem Unionem Sanctam in suo Ducatu Munkaczovien. haereditario, solatio Pastoris orbatam, tot haeresum, schismatumque incolis permixtam, pro suo zelo catholico ampliari, propagareque contendit, meamque Metropolitanam, etiam inter paludes, ac nemora latitantem, ob manifesta pericula vitae meae insidiantia, requirit operam, uti ex adiunctis hic Eminentiae Vestrae, totique Sacratissimae Congregationi de Propaganda Fide, Dominis meis Clementissimis, perspectum, notumque velim. Et quod Princeps hic, a me nunquam requisitus, tum sua, tum Metropolitana ibidem exponatur lura, ignoro quo fato interrupta? id ne mihi imputetur, humillime supplico. Interim cum iam Sacrae Congregationis auctoritatem... per Administrationem Rnd.mo Episcopo Premyslien. Episcopo unito et viciniore commissam, provisum sit huic Dioecesi, ego ad ordinationem, et investituram, olim a Metropolitanis Chioviensibus (f. 597v) Unitis practicatam, et exequatam super Praesentatum eo usque non descendam, donec pro suprema potestate SS.mae Sedis Apostolicae ac Sacrae Congregationis, benigna, et accurata dispositione, espressum super hoc negotio non habuero mandatum; et taliter Serenissimo Principi Rakocio, non ita pridem, respondi. Expono tamen maximam necessitatem huic Dioecesi, Populo, et Clero ibidem Rutheno inhabitatissimo, ut quantotius idoneus eidem provideatur Pastor, et quidem eidem Principi, qui sit ex qualitatibus bene commendatus, et vigilans; periculum enim proximum est, ne idem Princeps instantiis, precibus, ac pretio Heterodoxorum, ibidem degentium, hunc Munkaczoviensem Episcopatum, ac Dioecesim viciniore Maramoriensi Disunito, ac Pseudo Episcopo, cogatur subdere; si ille suo voto non potiatur ipsiusque Praesentatio, ac Jus Patronatus, quod praetendit, vel modicum laedatur; vel praesentatus si contemnatur, simili malitia non afficiatur, ut a Schismaticis ordinetur in Episcopum: quod de facili fore puto. Itaque quod mei debiti erat, et fidelis erga Sanctam Romanam Ecclesiam obsequii, dum Eminentiae Vestrae, Domino meo Clementissimo sincere defero, una memet ipsum, et Universam Unitam Roxolanam Hierarchiam sacerrimis plantis, ac protectioni eiusdem adgeniculatus subiicio, et maneo

Eminentissimae ac Rnd.mae Dominationis Vestrae, Domini mei Clementissimi  
ad omnes nutus subiectissimus Servitor et Exorator  
LEO ZALENSCHI, Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien.  
et Halicien. totiusque Russiae Unitae (m.pria).

Leopoli, die 29 Junii 1707.

<sup>54</sup> Princeps Hungariae Rakoczy, qui magna gaudebat auctoritate et potentia in hoc territorio.

## 31.

*Prope Leopolim, 15. II. 1708.*

*De Archimandria Vilmensi, de Eparchia Mukaczoviensi aliisque negotiis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 562, fol. 470-471.

Eminentissime, ac Rnd.me S. R. E. Princeps, Domine, et Patrone Colendissime.<sup>55</sup>

Quod ad binas Eminentissimae ac Rnd.mae Dominationis Vestrae, ex voto totius Sacrae Congregationis ad me datas litteras, aliquo tempore distulerim responsum, turbidus Regni status, qui nullibi tutam in hucusque mihi permittit stationem, ideoque omni humano privatus commercio, hanc causavit tarditatem; quibus, et pro nunc, non dico, stantibus, imo maioribus crescentibus turbulentis, in itinere continuatae peregrinationis non nihil approximatus Postae, praemisso debito submissionis meae, ac venerationis Eminentissimae ac Rev.mae Dominationi Vestrae cultu, ad contenta negotiorum mihi iniunctorum accedo.

Primas partes et curas accipit Archimandria Vilmensis, non dico periculis, sed iam ipso interitus plena, castrorum nobis infensorum ipsissimum centrum; ad quam non solum meritis propriis, verum etiam autoritativa Sacrae Congregationis stipatus recommendatione, se institui petit Pater Sylvester Pieszkiewicz,<sup>56</sup> Ordinis S. Basilii Magni in Urbe Procurator; nihil ex parte mea salubrius fore arbitrarer, quam hanc minimam obsequii mei partem nutibus Eminentiarum Vestrarum consecrare; et uti hucusque pro solita observantia, et veneratione erga Sacram Congregationem (f. 470v) mandata eiusdem omni possibili celeritate exequi consueveram, ita et nunc, pro inveterata obsequendi gloria, indefessis viribus, etiam in senili continuare aetate non desisterem, nisi promptissimum meum ad haec animum Religiosorum Basilianorum, cum iuribus suis praetendentium quadriennalem, non advitalitium in hoc monasterio debere haberi Superiorem, interposita apud me, et Sacrae Congregationi, in adiunctis, exarata retardare instantia; quorum rationes et iura, si quae sunt, antequam audiantur, et discutiantur, praesertim moderno turbine, tempus accipi necesse. Nihil tamen in hoc negotio decerni patiar, quod votis Eminentiarum Vestrarum correspondere non videretur. Et hoc ex Russia, nisi Deus iuverit, iam deperdita.

Hungaricus Episcopatus acatholicorum potentia in pericula fidei actus, quomodo iuari possit, non postremas movet meditationes; de quo fusissime, (ut suppono) Eminentissimos Patres informavit Rnd.mus Premysliensis. etc. Episcopus,<sup>57</sup> ut vicinus, et eiusdem Dioecesis Administrator; quod hic repetere supervacaneum puto. De idoneitate solum (uti requisitus) Patris Petronii Kamienski,<sup>58</sup> a Serenissimo Principe Rakozy praesentati, ut meum sensum promam, mandato S. Congregationis cogor. Iste Pater, absolutis studiis in Collegio Graeco (f. 471), contulit se ad Dioeceses Praemysliensem, et Leopoliensem, ab illis itaque Rd.mis Episcopis, magis illius qualitates perspectas habentibus, expetii informationem, sed praeter scientiam, peritiam linguarum, et activitatem aliquam politiorum, caeteras dotes, ac virtutes iidem tacuere; quas nec ego, uti ab eiusdem consortio per tot annos distans, pro nunc addere, vel

<sup>55</sup> Cardinali Praefecto S. C. de Prop. Fide, Josepho Sacripante (1704-1727).

<sup>56</sup> Procurator in Urbe (1701-1729), dein Archiepiscopus Polocensis (1709-1719).

<sup>57</sup> Georgius Vynnykyj, Episcopus Peremysliensis (1700-1713).

<sup>58</sup> Petrus Kaminski, Basilianus, qui tunc temporis in Hungaria in Eparchia Mukačoviensi agebat. Obiit anno 1710 (17 Junii).

minuere audeo, vel possum; hoc solum addo, quod, nisi interposita autoritate S. Sedis Apostolicae apud Principem Rakocium, alius ibidem difficulter institui possit Episcopus. Et haec breviter, ad requisitiones Eminentissimorum Patrum, non praesumens longiori miseriarum nostrarum repraesentatione hic contexere versum; versa est in luctum cythara nostra; hoc miserandum, quod nec flere licet, in literis praesertim, cum et hoc periculum est; vel tempus, vel aeternitas ostendet patientiam nostram, ad quam, ut Deus addat vires, omnes uniti, et quidem in exilio Episcopi, et Lithuania, et Russia, SS.mi Domini nostri mediante gratia, Eminentissimae Dominationis Vestrae, uti Ruthenis semper propicia imploramus benedictionem; solito ac debito in omnem submissionem composito, sacri eiusdem lacinii bascio terminando, quod ad terminum vitae, omnium nomine, scribor quod sim

Eminentissimi ac Rev.mi S. R. E. Principis, Domini et Patroni mei Colendissimi  
ad omnes nutus obsequentissimi Servitor et Exorator perpetuus  
LEO SZLUBIC ZALENSCHI, Archiepiscopus Metropolitanus Chiovien.  
et Halicien. totiusque Russiae Unitae (mpr).

Prope Leopolim, Anno 1708, 15 Februarii.

(f. Ibid) Eminentissimo ac Reverendissimo S. R. E. Principi,  
Cardinali SACRIPANTES, Sacrae Congregationis de Prop. Fide Praefecto,  
Domino, Domino et Patrono Amplissimo Colendissimo.

## 32.

*Kuassoviae, 15 . II . 1708.*

*Ad Procuratorem Romanum, P. Sylvestrum Pieszkievycz, ut cederet praetensionibus ad Archimandriam Vilnensem, quia eius meritis alio modo mox providebitur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 562, fol. 460-462.

Venerabilis et Admodum Rn.de in Chr. Pater,  
Pater, et Frater Observandissime.<sup>59</sup>

Doleo ex corde, quod an litera mea non pervenerit, an Vestra Paternitas non expectata illa ad Memoriale super hac Archimandria Vilnensi processit, et quod ego in illa Littera spiritu prophetico sensum Patrum expressi, hoc iam sensim se prode incipit, quando de hoc a me requisiti, et litera Sacrae Congregationis excitati acerrime huic contradixerunt, non ex odio personae Paternitatis Vestrae, aut aliqua oppositione, siquidem merita Paternitatis Vestrae omnes in aestimatione habent, sed pure sicut et antea de nomine belli quod gerebant, nollendo habere titulum Archimandriae, ita et modo capitulis de hoc formati (f. 460v) et a Sacra Congregatione confirmatis insistentes, in summo capite concurrentibus de hoc beneficio contrariare caeperunt. Ego mea ex parte totaliter votis adessem Paternitati Vestrae, si me interposita non arceret illorum de hoc expostulatio, et ad Sacram Congregationem recursus, cum hoc toto huic contrariationi Religionis non suaderem se opponere; insuper Deus scit in cuius manu remanebunt iura Regnorum, si nobis adhuc bene-

<sup>w</sup> Sylvester Pieszkievycz, Procurator in Urbe (1701-1709), dein Archiepiscopus Polocensis (1709-1719). Hic iam anno 1708 apud S. Congreg. de Prop. Fide obtinuit recommendationem ad Archimandriam Vilnensem, quam tamen non obtinuit propter oppositionem Ordinis Basiliani, qui in hoc monasterio solummodo Superiorem temporalem habere voluit.

ficiam vitae relinqueret, et alia hic apud nos deplorata. Si Paternitati Vestrae non arridet consilium meum pro Episcopatu Munkatzoviensi (quod tamen et secundario suaderem), qui melius quam decem Archimandriae fructificare potest, prout oculati referunt, et Rnd.mus Dominus Zabokrzycki, Episcopus Luceoriensis, exulans Munkatzoviae lustravit,<sup>60</sup> si dico extra Patriam Propheta esse non optat sibi Paternitas Vestra, sunt et erunt vacantes (hoc est Praelaturae), det Deus solummodo felicius tempus, quae non reddent vacuas intentiones Paternitatis Vestrae, immo cum omnium plausu interposita haec postulata adimplebunt; hoc quoad privatum negotium Paternitatis Vestrae.

Quod autem publice premit Provinciam nostram, non tantum scribere, sed et reminisci grave. Monasterium Polocense cum ecclesia in eodem statu cum fortificato Castello manet, vix aliquibus ad pericula obstinatis Czerstuiacziis relictis; misera Dioecesis (hoc est Polocensis) vacans ad praesens,<sup>61</sup> et tota Alba Russia Pastoribus unitis orbata. Siquidem ibi nullus penetrare nec ausus (f. 461) est, nec fuit suasum. Pro capite ponunt capitale odium Principalis Auxiliarium (hoc est Serenissimi Zarii Moschoviae) ex manifesto Principis Wiszniewietzki contra nos conceptum, in quo pro principali aversione a Moschovitis positum est excidium Polocense;<sup>62</sup> et sic magis modo etsi non ad mortem personarum, sed fortunae saevitum super Monasteria. Monasterium Beresvecense funditus devastatum, et dum adhuc quidam ex nostris Religiosis petierit, ut non faciant desolationem, vix evasit suspensionem. Zalesiis iam forsitan adusque nullus est subditus, hoc et de aliis Bonis Vilnensibus. Minsci ipse Scheremet (Generalissimus Exercitus Moschovitici) in Monasterio residet, nostris ad Aulam sive Palatium Domini Horscii commigrare quasi per amicabilem petitionem iussis. Sed multo magis Princeps Menzik<sup>63</sup> monstravit in verbis quod habet in corde, quando Senatoribus Lithuanis pro Monasteriis Zyrovicensi, et Bithenensi instantiam facientibus, haec formalia dixit: Toti Canes (hoc est nostri Religiosi), nec sunt Calvinistae, nec Lutherani, nec Romano catholici, imo plus illis addendum est. Unde haec Monasteria iam penitus ruerunt, cum nec modus superest ibi victum habere Religiosis, quoniam universim omnis plebs in Districtu Slonimensi unica glande vitam trahit, et ita sine gladio perimus, subtiliori et eo magis (f. 461v) nociva nobis martirisatione. Assignaveram pro Administratore Dominum Episcopum Pincensem,<sup>64</sup> sed nullus suasit se obtrudere, quia Principi Czetvertinscio,<sup>65</sup> Chioviae consecrato, Serenissimus Zar extradi fecit Privilegium pro Albae Russiae Episcopatibus, et etiamsi prompti essemus sanguine partam, sanguine tueri Unionem, tamen dum sine hoc fieri potest, cum omnes consulunt felicius et quidem breve expectare tempus, debemus salvare animas nostras. Forsitan brevi his nostris persecutionibus et continuis molestiis placabitur Dominus, et ex Saulo efficiet Paulum; quod etsi ex omnibus circumstantiis nobis videtur esse impossibile, sed quid Deo est impossibile? Rnd.mus Pincensis Episco-

<sup>60</sup> Dionysius Zabokrzyckij (1702-1714), qui fugam petere debuit, ne in manus Czari Petri I caderet. Sed anno 1709 ab eodem Czaro arreptus et in exsilium deductus obiit Moscoviae in carcere, confessor fidei.

<sup>61</sup> Post obitum Martiani Bilozor (1697-1707). Propter vacantiam in Metropolia Kioviensi tantummodo anno 1709 provisa fuit, instante S. C. de Prop. Fide.

<sup>62</sup> Die 11-12 Julii 1705, a Petro I, Czar Moscoviae, perpetrato.

<sup>63</sup> Princeps Menšikov, dux exercituum moscovitorum, qui praesertim in Ucraina agebat, annoque 1709 civitatem Baturyn, sedem Ducis Cosacorum, Joannis Mazepa, destruxit in poenam eius transitus ad castra Caroli XII, Regis Suecorum.

<sup>64</sup> Porphyrius Kulczyckij, Episcopus Pincensis (1703-1716).

<sup>65</sup> Sylvester Svatopolk Czetvertynskyj (1704-1727, qui tamen tunc temporis cathedram hanc possidere non potuit.

pus omnibus spoliatus, et accusatus (hoc est Serenissimo Zaro Moschoviae), quod est partium Principis Wiszniewetzki, ad arestum quaesitus, vix evasit, et iam cessit ex statione sua, quem et ego secutus ex Volhinia, alias in partes arripui iter. Dominus Zabokrzitzki (Episcopus Luceoriensis),<sup>66</sup> vir plane dolorum, nam non solum ab externis, sed etiam ab interno consanguineorum suorum odio ad mortem persequitur, et sic vix non omnes sumus fugitivi, alienum petimus solum, nullibi tutum solium habendo, hoc pro maxima (f. 462v) annumerando infelicitate, quod et scribere periculosum, attamen in spem contra spem perventionis huius Literae, quatenus et silentium nobis non esset perniciosum, istas afflictiones, et miseras nostras superficietenus tantum Vestrae Paternitati communico, ut sis particeps compassionis.

Pro coronide visum est aliquam facere mentionem de Coadiutoria Metropolitana<sup>67</sup> (etsi modo totaliter derelinquere liberet odiosum Officium), ad quam ego ex propensione mea erga personam Domini Episcopi Premisliensis,<sup>68</sup> non solum huic, sed et maiori dignitati parem iudico et iudicassem, sed quia dum nostri Patres (hoc est Religio, et alii Coepiscopi) propter maiorem conformitatem, ex eodem nido similis secum educationis ament, et volunt habere Praelatum, et in hoc igitur, si Paternitas Vestra deberet esse meta ad sagittam, aliquantisper expectare necesse, donec conveniamus in unum, quod feliciori fiet tempore, pro quo Datorem Pacis enixe petimus, et Paternitas Vestra in Sancto Loco non desistas pro Patria sua desolata fundere preces, cui faustissima quaeque precor et maneo

semper ferventissimus, semper addictissimus in Christo Pater, et Frater  
LEO, Metropolita Chiovien. Halicien. totius Russiae Unitae (mpr).

Kuassoviae, Anno 1708, die 15 Februatii.

(f. 462v) Ad latus literae Domini Metropolitanae Russiae  
ad Oratorem, sunt scripta sequentia:

Derelicta et modica et sordida Ill.mi Bialozor (Archiepiscopi Polocen.)<sup>69</sup> magnum mihi et Rnd.mo Prothoarchimandritae<sup>70</sup> facessunt negotium, ex quo Domus Bialozoroviana, et praesertim sui Nepotes, tum Perillustis Christophorus Bialozor, Canonicus Vilnensis, sibi illa vindicant, super hoc iudicium Compromissoriale designavimus, cui adiudicabuntur ille potietur. Franzkiewicz,<sup>71</sup> Archimandrita Czereiensis, omnino ab hoc gradu (hoc est Archiepiscopatu Polocensi) per Religionem impeditur ubique; Praesul Pincensis ab eadem mihi praesentatur; sed mavult esse Confessor, quam Martyr. Nec visco huic muneri in Ordine parem hac tempestate, cum et spe concidamus rehabendi totius Provinciae Albae Russiae.

Expetitam hanc expeditionem sine mora dedissem, nisi collatio distantissima literatoria cum Patribus Consultoribus, et continua periculorum nostrorum congeries, et a Postae distantia moram mihi ingessisset.

<sup>66</sup> Dionysius Zabokryckyj (1702-1714), qui anno sequenti a Petro I, Czaro Moscoviae comprehensus et in exilium abductus, obiit ut confessor fidei catholicae in carcere in Moscovia.

<sup>67</sup> Coadiutorem non habuit nam iam hoc eodem anno, die 21 Julii obiit.

<sup>68</sup> Georgius Vynnyckyj, Episcopus Peremysliensis (1700-1713) qui Leoni successit in Metropolia Kioviensi, electus a Hierarchia unita anno 1708. Confirmationem S. Sedis anno tantummodo 1710 obtinuit, et interea administratorem eiusdem Metropoliae agebat.

<sup>69</sup> Archiepiscopus Polocensis, obiit an. 1707.

<sup>70</sup> Leo Lucas Kiska, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1703-1713), dein Episcopus Volodimiriensis (1711-1728), et Metropolita Kioviensis (1714-1728).

<sup>71</sup> Joannes Chrysostomus Radziminski Franckiewicz, Archimandrita Czereiensis ab an. 1703.



**EPISTOLAE GEORGII VYNNYCKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS**

1708 - 1713







GEORGIUS VYNNYCKYJ, METROPOLITA KIOVIENSIS  
(1708-1713)



## GEORGII VYNNYCKYJ BIOGRAPHIA

De vita Gabrielis Georgii Vynnyckyj pauca tantummodo et fere nulla sunt nobis nota antequam anno 1700 Eparchiam Peremysliensem obtineret. Proveniebat ex familia, quae in Ucraina Occidentali, seu Galicia tunc Russia Rubra bona sua familiaria et haereditaria possidebat, modoque speciali in terra Peremysliensi auctoritate et potentia gaudebat. Iam inde ab anno 1650 Antonius Vynnyckyj, membrum huius familiae, Eparchiam tenuit Peremysliensem ex parte non Unitorum, quam totam e manibus Athanasii Krupeckyj, Episcopi Peremysliensis uniti eripere contendebat. Post eius fata an. 1679, postquam etiam Metropoliā non unitam Kioviensem obtinere satagit, ei in Eparchia Peremysliensi successit Innocentius Joannes Vynnyckyj, ex uxore nepos, qui simul cum duobus fratribus Martiniano, Gabriele anno 1692 in tota Eparchia unionem cum S. Romana Ecclesia promulgavit. Postquam eius frater, tunc temporis iam monachus, superintendentiam omnium monasteriorum in Eparchia Peremysliensi an. 1693 obtinuit, alter eius frater, Gabriel nempe, ut videtur, in statu permansit saeculari. Nobis videtur, eum fuisse natu minorem trium fratrum. Ubi et quando natus fuit, nobis hodie non constat. Attamen eum anno 1700 fortasse non plus quam quadraginta habuisse annos.

Anno 1700, die vero 14 Februarii, morte praematura e vivis correpto Innocentio Vynnyckyj, mox eius frater inter candidatos ad hanc Eparchiam consideratur. Prout ex obiectionibus, omnes Vynnicios fuisse laicos antequam ad Eparchiam promoverentur Peremysliensem constat, etiam Gabriel noster mense tantummodo Aprili die 20, an. 1700 in monasterio Lauroviensi saecularem exiit et religiosum induit habitum, et mox sacerdos ordinatur, nam iam die 6 Maii eiusdem anni Rex Augustus II eum, in novitiatu Lauroviensi degentem, Nobilitati et Clero commendat Peremysliensi, ut eum in Episcopum Peremysliensem eligere curent, die 5 Junii. Revera, iam die 6 Junii formatur processus informativus coram Episcopo Chelmensi Gedeone Oranskyj, et Pincensi Antonino Zolkevskyj. Clemente PP. XI die 14 Augusti 1700 certiorato, eodem adhuc anno Georgius, in Religione, Vynnyckyj in Episcopum consecratur Peremysliensem.

Regimen eius Peremysliense usque ad annum 1707 sine magnis percurrebat eventibus, etiamsi revera difficillimis temporibus vita eius pastoralis evolvebatur. Usque ad annum 1707 labor pastoralis Georgi Vynnyckyj confinia Eparchiae Peremysliensis non superabat. Anno tamen 1707, post obitum Episcopi Mukačoviensis, Josephi de Camillis (1706), ei, ut Episcopo viciniore, administratio Eparchiae Mukačoviensis commissa fuit. Curis et sollicitudinibus in propria Eparchia occupatus, Vicarium generalem pro Eparchia Mukačoviensi P. Petronium Kaminskij designavit, ut candidato Principis Rakoczy resisteret, qui administrationem eius impediēbat. Unde usque ad finem huius administrationis indirecte tantummodo in hoc territorio agere potuit.

Anno 1708, mense Julio, post obitum Episcopi Leopoliensis, etiam hanc Eparchiam amplissimam in administrationem accepit, cui mox administrationem ipsius

Metropoliæ Kioviensis et Eparchiæ Volodimiriensis adiunxit. Hoc eodem anno ab Episcopis: Chelmensi, Pinscensi, Luceoriensi electus fuit in Metropolitanum Kioviensem, qua de re Pontificem statim certiozem fecit petiitque ut confirmaretur. Cum tamen ob disordines in Regno Poloniae litteras praesentationis Regis Poloniae obtinere non poterat, inde usque ad annum 1710 Georgius tantummodo administratorem Metropoliæ aliarumque Eparchiarum agebat; munus hoc sat difficile ei evasit, ob Eparchias plurimas Pastoribus viduas. Anno tantummodo 1710, permittente S. Sede Apostolica, Georgius ad consecrationem et promotionem Episcoporum procedere potuit, obtenta Bulla provisionis Metropoliæ Kioviensis, die 7 Maii 1710 exarata, cui mox, die 14. VI. 1710, etiam retentio Archimandriae Dermanensis in Volhynia benigne concessa fuit. Sed etiam hac vice propter impeditam expeditionem professionis fidei praescriptae et iuramenti fidelitatis, fere usque ad finem huius anni etiam exercitium iurium metropolitanorum fuit impeditum. Sub finem tantummodo anni ad provisiones Eparchiarum procedere potuit, propriis sumptibus non parcendo. Emissa proinde professione fidei die 30 . X . 1710, iam die 9 Novembris ad consecrationem processit Sylvestri Pieszkevycz in Archiepiscopum Polocensem; Leopoliensi vero Episcopo, Barlaam Szeptycky, ex speciali concessione S. Apostolicae, iam die 21 Iulii 1710 consecrationem episcopalem impertivit, simul instando pro restituenda sibi Eparchia Haliciensi, cuius titulum ipse Metropolitanus inde ab Unione Berestensi gerebat. Negotium hoc tamen tunc temporis nondum fuit maturum. Anno tandem 1711 ad alias provisiones Ecclesiarum processit, Volodimiriensem nempe et Chelmensem.

Maximas curas hoc eodem tempore ei Eparchia Luceoriensis procurabat, ubi, abducto et carceribus intruso o Czaro Moscoviae Episcopo Dionysio Zabokrycky, Cyrillus Szumlanskyj sese intrudere contendebat, vi eiusdem inimici fidei catholicae nixus. Praeterea commissa ei fuit a Rege Poloniae Commissio de damnis et violentiis ab exercitu moscovitico in Ucraina et Bielarusja perpetratis, qua tamen in re arduae et periculosae protectionem S. Sedis Apostolicae implorabat et obtinuit. Hisce negotiis feliciter peractis, nec non Eparchia Luceoriensi Episcopo Chelmensi in administrationem commissa, ipse Georgius iterum rebus internis et religiosis sese dare potuit, tum in reformatione cleri regularis suae Eparchiæ Peremysliensis et Leopoliensis, tum in procuranda praesertim educatione clericorum in Seminario Peremysliae erigendo et Leopoli ampliando. Tempore administrationis Leopoliensis Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis coram eo professionem fidei catholicae emisit (1709), famosissimum vero monasterium Poczajoviense anno 1712 simul cum fide catholica eius superioratum supremum acceptavit. Anno 1713 Archimandriam Unioviensem sibi conferre procurabat, quam tamen Athanasius Szeptycky obtinuit. Praeterea, strenue de iuribus et privilegiis Cleri suae Eparchiæ et Metropoliæ decertavit quem ubique locorum defendebat. De prohibitione transitus ad Ritus Latinum iterum iterumque instabat et nova documenta romana obtinuit. Cura eius etiam ad Eparchiam Mukačoviensem usque ad eius mortem extendebatur, ipseque nominato Episcopo Mukačoviensi media sustentationis fraterne procurabat, antequam hic ad Sedem suam proficisci potuisset.

Anno 1712 magnam summam pecuniae, nec non bona sua quaedam et domum Peremysliae existentem Seminario destinavit, sed Seminarium proprium sub directione Basilianorum Peremysliae, ob resistentiam PP. Theatinorum Leopoliensium erigere ei datum non fuit. Tandem hoc eodem anno 1713 Vilnam profectus est, ut Capitulo

Basilianorum Vilenſi praesideret, iure « Nexus » Ordinem Basilianorum et Metropolitanum inter. Sed mox postquam e Lithuania Peremysliam reversus est, morbo correptus obiit die 22 Septembris 1713 Straszeviciis, prope Sambir. Corpus eius reconditum fuit in monasterio Lauroviensi, et incorruptum esse perhibetur. Post brevem administrationem Superioris Lauroviensis, Eparchiam Peremysliensem duo fere per annos Episcopus Volodimiriensis, Leo Kiska, administravit, et ut Metropolita Kioviensis de novo Pastore providit, in persona Hieronymi Ustryckyj. Et sic plus quam sexagenarium familiae Vynnyckyj in Eparchia Peremysliensi regimen cum obitu Georgii finem habuit.

Georgius Vynnickyj erat strenuus in Vinea Domini operarius, pius, humilis, pacificus, Cleri optimus pater, et populi protector. Vita eius brevis fuit, sed meritis plena.



**EPISTOLAE GEORGII VYNNYCKYJ  
BASILIANI, EPISCOPI PEREMYSLIENSIS, SAMBORIENSIS  
METROPOLITAE KIOVIENSIS  
(1700 - 1713)**

---

1.

*Straszewice, 14 . VIII . 1700.*

*Novus Episcopus Peremysliensis, Georgius Vynnyckyj, Pontifici reddit obedientiam adpromittitque fidelitatem.*

ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 122, fol. 367-368.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine, Domine clementissime.

Quando pos decessum Reverendissimi Innocentii Winnicki,<sup>1</sup> antecedanei et fratris mei, quem non aetas maturior, sed curae pro liberando Clero suo ab oneribus, quibus in Regno nostro opprimitur, confecerunt, meam imbecilitatem ad pascendum gregem Dominicum, assentiente vicaria in Illustrissimo ac Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico Sanctitatis Vestrae potestate, elegit Clementia, Serenissimi Regis nostri, et vota procerum ad idem instigarunt, nefas erat, et arduum refragari Providentiae omnium gubernatrici. Cum proinde onus regendi Ecclesiam, quam Christus sanguine suo acquisivit, susceperim, post impressa oscula scabello pedum Sanctitatis Vestrae, supplico humillimo et demississimo animo, mittat mihi Beatitudo Vestra auxilium de Sancto, et de Sion tueatur (f. 357v) me; infra vires enim meas onus hoc meum est ideoque de plenitudine gratiarum Sanctitatis Vestrae irrorata me rore caelestium benedictionum, reficiat, ac confortabor. Intelligo enim et credo firmiter propter testimonium Domini fidele Sanctam Romanam Ecclesiam esse matrem ac genitricem omnium terrarum in Orbe Ecclesiarum, quarum Sanctitatis Vestrae est caput post Christum, et Supremus Gubernator; et ideo ab illa posco opem, imploro auxilium, et ad Vestram recurro supplex Beatitudinem, ad quam refugiens nemo est, qui se abscondat a calore eius. Caeterum speciosis pedibus Sanctitatis Vestrae, evangelizantis pacem orbi, cum tota Dioecesi et clero meo, miserum in modum a nobilitate oppresso, me substerendo, ab hac dextra Sanctitatis Vestrae esurio Benedictionem, in qua sunt delectationes, usque in finem, et ubi iterum iterumque pedibus (f. 368) Sanctitatis Vestrae imprimo basia, ac eidem incolumitatem, et annorum longitudinem a Deo precor, profiteor quia sum

Sanctitatis ac Beatitudinis Vestrae, Domini, Domini mei Clementissimi  
Servorum infimus, Exorator indignissimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premysliensis  
cum S. Romana Ecclesia Unitus (m. p.)

Dabantur in villa nostra Straszewice, die 14 Augusti 1700.

---

<sup>1</sup> Obiit anno 1700, die 14 Februarii. Sepultus in monasterio Lauroviensi. Erat Episcopus Peremysliensis ab an. 1680.



## 2.

*Straszevyci, 14 . VIII . 1700.*

*Novus Episcopus Peremysliensis supplicat pro intercessione et defensione sui Cleri ab oppressione ex parte militum Dominorum terrestrium.*

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 27v-28

Emi.mi Principes, Excelsissimi, Ill.mi, ac Rev.mi Domini,  
D.ni, Patroni, et Protectores Clementis.mi.

Non dormitat, neque dormit, qui custodit Israel, sed et ipse vigilat, et super muros Jerusalem constituit Custodes ne Civitas Dei aut oppugnetur aut dissipetur. Agit excubias Ecclesiae Dei Sanctissimus, ac Beatissimus Pater, et Dominus Noster, sed et Vestras Emin.as Celsitudines, Dominos meos clementissimos posuit, ut ad omnes militantis Jerusalem partes aciem mentis vestrae convertentes, Vestrarum Eminentiarum Celsissimarum obtutibus sint iuvado, et Deus glorificetur in Sanctis suis. Idcirco post osculum sacrae Eminentiarum Vestrarum purpurae, etiam ego post fata Rev.mi Antecedanei, et Fratris mei Episcopi Ritus Graeci Premisliensis,<sup>2</sup> qui primus totam hanc Dicesim fecit Ovile Christo, Succedaneus eius, ad Sacrum Eminentissimarum Celsitudinum Collegium levo oculos meos; auxilium petendo, et expectando pro defensione Cleri mei, qui misere a nobilitate Polona vexatur, non obstantibus Legibus, qua muscas tantum instar arancarum non fucos venantur. Etsi enim Antecedaneus, et Frater (f. 28) meus in hoc negotio ad sacerrimum Eminentiarum Vestrarum consessum ante annos quinque supplicem libellum porrexerit supplicando, et opem implorando pro liberanda hereditate Dei, et eximenda a status popularis conditione, tamen gratiarum Sanctae Sedis Apostolicae effectum distulit funestum in nostro Regno post Christum saeculorum memoria dignissimi serenissimi Regis Joannis Tertii Interregnum<sup>3</sup> et etiamnum Sacerdotes uniti, ut viles Coloni tranctantur a plurimis, vecturis, clavium ab horreis portationibus, canum educationibus, et aliis inenarrabilibus malis dignitas eorum faedatur. Verbo, filii sunt excussorum. Iudicia parum, aut nihil iuvant, cum in iisdem suppositis oppressio, et iudicium subsistat. Vestrarum proinde Eminentissimarum Celsitudinum intercessionem ad SS.mum Dominum Nostrum pro Clero meo imploro, utpote ad supremum Patronum, Protectorem afflictorum, qui sortem Domini, et portionem educet in latitudinem, salvam faciet, quoniam voluerit illam. Et quoniam novellum regimen meum excubias personales pro Grege Domini requirit, dum facie in terram prona non possum tronos Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum meorum Clementissimorum adorare, submississima hac pagina numina Vestra tutelaria religiosissime colendo, et (f. 28v) reverendo, oras sacrae Eminentissimarum Clementiarum Vestrarum purpurae exosculor, qui ad summam horam sum

Eminentissimarum, Excellentissimarum, ac Reverentissimarum Celsitudinum Vestrarum, Dominorum, Patronorum, Protectorum meorum Clementissimorum  
humillimus Servus et indignus Exorator

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Praemisliensis cum S. R. E. unitus.  
Datum in Villa nostra Straszewice, 14 Augusti 1700.

<sup>2</sup> Obiit die 14 Februarii 1700.

<sup>3</sup> Anno 1696-1697.

## 3.

*Leopoli, 15 . VI . 1707.**Exprimit dubia et pericula administrationis Eparchiae Mukaczoviensis, a Sede Apostolica sibi commissae.*APF, *Scrit. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 559, fol. 601-602.Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.<sup>4</sup>

Auctus nova gratia Sacrae Congregationis, cuius Praefectura Eminentia Vestra meritissime ornata est, per delatum mihi munus Administrationis Episcopatus Munkaciensis a Sede Apostolica, mediante instantia et promotione eiusdem S. Congregationis, ad debitas easque profundissimas provoco gratias effundendas hisce in sinum Eminentiae Vestrae, ab eoque derivandas in alios etiam Eminentissimos Dominos meos. Ingrata quidem mihi haec gratia foret, spectata et imbecillitate virium meorum, et arduitate operis, quod mihi ingerit, procuraremque certo illud omni maiori submissione et reverentia deprecari, nisi memor essem quod vir obediens canit semper victorias; et quae sua virtute aggredi et superare nequit, obedientia adiutrice, comitem secum habente auxiliantem gratiam Dei, nulla difficultate vincit. Multae enim adessent mihi rationes quae me ab amplexu huius provinciae abducerent, sed id unicum semper habeo pro summa rationum, ne a nutibus ipsis tum Sanctae Sedis Apostolicae, tum S. Congregationis, quorum edicta omnia afflatu et autoritate divina tum concipiuntur, tum produntur. Arceret me imprimis vastitas propriae meae Dioecesis, cui aegerrime sufficio regendae et tuendae, praesertim hoc tempestosissimo tempore, quo omnia susque deque aguntur, ita ut Immunitas Ecclesiastica ab ipsis cardinibus suis evertatur. Qui enim non potest suae propriae causae providere necessitatibus, quomodo subveniet alienae, dum pluribus intentus, minor restat ad singula sensus. Secundario, deterreret me non minor etiam amplitudo administrandae Dioecesis, et protervum ingenium suoque Superiori et Pastori asuetum semper recalcitrare videtur illius, qui non semel immediate praeritum suum Pastorem<sup>5</sup> in discrimen vitae vocarunt odio Unionis, et amore schismatis, adhuc fere in omnibus, licet (f. 60lv) sub modio, latitantis. Quodsi in hos ausus proruperunt stante pacifico regno illius Status, et vigente protectione zelosissimi promotoris et tutoris Unionis S. et fidei catholicae Augustissimi Imperatoris,<sup>6</sup> quae nunc non audebunt in statu adeo perturbato illius Domini, in quo cuilibet datur arbitrium quamlibet sequendi religionem.

Tertio, quod cum Serenissimus Princeps Rakocius, qui supremas fasces usurpat sibi in illis partibus, destinaverit iam, nominaveritque ad dictum Episcopatum certum subiectum, vereor ne fomento eiusdem Kaminski<sup>7</sup> obices mihi ponat in apprehensione et executione istius administrationis. Missis tamen his omnibus rationibus et aliis multis, quae me deterrent in hoc munere captivo voluntatem meam in obsequium obedientiae SS.mi Domini nostri et S. Congregationis, pro qua si mortem etiam oppetere deberem, nil mihi desiderabilius et gratius eveniret. Fateor in vestibulo vacantiae dictae dioecesis optasse me aliquid servitii posse praestare illi, hocque desiderium meum in-

<sup>4</sup> Josephus Sacripanti, Praefectus S. C. de Prop. Fide (1704-1727).<sup>5</sup> Josephus de Camillis (1689-1706), qui erat primum Procurator Basilianorum in Urbe (1674-1689).<sup>6</sup> Leopoldus I (1657-1705).<sup>7</sup> Petrus Kaminskyj, Basilianus ex Galicia, et Eparchia Peremysliensi, qui tamen tunc temporis agebat in Eparchia Mukačoviensi. Obiit die 17 Junii 1710.

sinuasse Admodum R.do P. Trombetti,<sup>8</sup> Praefecto Collegii Pontificii Leopoliensis et Missionis Apostolicae, longe meritissimo, in cuius indefessi zeli circa promovendam bonum et rem Unionis, praecipue in his duabus Dioecesibus Praemisliensi mea, et Leopoliensi, laudes, tum assiduorum laborum, quae ad consumptionem sui suffert, si deberem excurrere Vestram Eminentiam solum onerarem, nec tamen illum unquam satis encomizare possem. Fateor, inquam, hoc in initio vacantiae praefatae Dioecesis desiderasse, ut possem illos, qui causa Ordinum ad me recurrerent, illis initiare, ne ob hunc finem destituti legitimo Ordinate confugerent ad Schismaticos; at zelus istius boni Operarii planeque Apostolici, providaque sollicitudo erga necessitates Unionis Sanctae ulterius se extendit pluraque mihi obtinuit, quam petatum sit a me, unaque sua benevolentia et studio gratificandi me oneravit. Prout igitur mei studii et conatus erit, ut haec aestimatio quam de me SS.mus Dominus Noster et Sacra Congregatio in commissione huius muneris praeseferebant non sit vana, ita (f. 602) quoque de benignitate utriusque polliceri possum, ut si quid in eo non fuerit a me ipsorum expectationi satisfactum, non meae id adscribent infidelitati aut ignaviae in rebus agendis, sed tenuitati virium, et magnitudini ac difficultati operis. Et nunc clementissimo patrocínio Eminentiae Vestrae ac totius Sacrae Congregationis operosissime me dicando, eiusdem sacram fimbriam devotissime exosculor, et maneo

Eminentissimae et Reverendissimae Dominationes Vestrae Domini, Patroni mei Colendissimi

humillimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisl. (mpr).

Leopoli, die 15 Iunii 1707.

#### 4.

*Leopoli, 15 . VI . 1707.*

*De eadem administratione Eparchiae Munkacsensis, eiusque difficultatibus et impedimentis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 559, fol. 603-604.

Ill.me et Rd.me Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Recepi per manus Admodum Rn.di P. Trombetti, Praefecti Collegii Pontificii Leopoliensis, et Missionis Apostolicae in hoc Regno, Breve SS.mi Domini Nostri,<sup>9</sup> quo mihi Sanctitas Sua, ad instantiam, ut existimo, Eminentissimorum Cardinalium de Propaganda Fide, DD. meorum, munus administrationis Episcopatus Munkacinensis in Regno Hungariae, orbatum pro nunc suo proprio Pastore, benignissime mandat, in quo quia lego luculentum argumenta existimationis meae in pectore tum SS.mi, Domini, tum etiam dictorum Eminentissimorum Dominorum insitae, prout incitor inde ad summam confusionem et erubescenciam, omnia imperia tantae aestimationis in me reperiens, ita omnibus iis, qui ad illam quocunque modo contribuerunt plu-

<sup>8</sup> P. Stephanus Trombetti, Theatinus, Rector Collegii Pontificii Leopoliensis (1706-1723). Hic S. Congregationem de Prop. Fide de omnibus, quae in Eparchia Leopoliensi et Peremy-sliensi praesertim eveniebant, certiore faciebat. Plurimae exstant in Archivio S. C. de Prop. Fide eiusdem Rectoris epistolae, magni momenti pro historia Ecclesiae Unitae.

<sup>9</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 9. nr. 627, sub dat. 7 . IV . 1707.

rimum me debere profiteor. Inter quos quia non postremum momentum Ill.mma Dom. Vestram dedisse minime ambigo, debiti mei idcirco esse censeo hisce testatum facere pro semper devictissimum Ill.mae Dominationi V. animum meum, cordicitus optando, ut quam gratiam ego ob exilitatem virium mearum compensare non valeo, Superi ipsi rependant. Licet autem maxime me sentio hac gratiosa delegatione Sanctitatis Suae honoratum, attamen non minus experior etiam oneratum, dum qui sub curis et solitudinibus propriae causae regendae (f.603v), pascendae, tuendaeque plane fatisco, praesertim in praesenti perturbatissimo statu Regni nostri, cogor adhuc curas et solitudines nihilo leviores alterius Ovilis in me assumere et quod maius, talis Ovilis, cuius oves necdum didicerunt perfecte vocem sui Pastoris audire, imo, quod compertum est, stante vita immediate defuncti<sup>10</sup> non semel ipsum aggressae sunt Pastorem, vitamque ipsius impetebant. Accedit quod me non minus ab acceptanda hac Spartha retrahit, quod sciam a Serenissimo Principe Rakocio dedisse iam nominationem certo subiecto, et hic de facto suprema sibi iura vindicat in illis partibus, unde merito metuere debeo, ne etiam ex hoc capite aliqua difficultas suboritur in adeunda et exercenda praedicta administratione. Omnibus tamen hisce difficultatibus et periculis antehabeo gloriam tanti et tam excelsi obsequii, omnia paratus tentare, ut morem geram voluntati SS.mi Domini, et Sacrae Congregationis, cuius ordinationes uti divinas veneror et adoro. Si quid vero adversi in hoc munere contingeret me experiri, non de alio queri mihi licebit, nisi de solo praefato Admodum Rndo P. Praefecto Collegii Leopoliensis, zelosissimi et indefessi Operarii Apostolici et Promotoris rerum Unionis Sanctae, praecipue in istis contiguis duabus Eparchiis, Leopoliensi et Praemisiensi mea, cuius labores, curae et solitudines nesciae stringi solis privatis parietibus Collegii, regimini suo commissi, excurrunt in omnes (f. 604) partes unitae nostrae Ecclesiae, omnes necessitates illius lustrant matureque illis succurrere satagunt; de hoc, inquam, si quae mihi dolendi materia offeretur in posterum per tractum dictae administrationis, quod primus ad hoc tam arduum opus me suggesserit, dolebo; quod dum aggredi me dispono, confido in bonitate tum Sanctitatis Suae, tum Eminentissimorum Dominorum meorum, quod si in aliquo non fuerit satisfactum conceptae de me existimationi, id non defectui studii mei ad implendum omne punctum illius, sed exilitati virium mearum et gravitati muneris adscribere dignabuntur. Et dum hoc ipsum exoro etiam ab Ill.ma Dominatione Vestra, una me eius semper perennaturae gratiae demississime advolvo, et maneo

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae, Patroni mei Colendissimi

humillimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisl. (mpr).

Leopoli, die 15 Junii 1707.

5.

*Monast. SS. Salvatoris, 20. X. 1707.*

*Gratias agit pro admissione Nepotis sui ad Collegium Graecorum de Urbe.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 560, fol. 262rv.

<sup>10</sup> Josephus de Camillis, Episcopus-Vicarius Apostolicus Mukačoviensis (1689-1706).

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Dum Nepotem meum<sup>11</sup> expediti in Urbem Sanctam, ut ibi particeps declaratae benignissimae Mensae Sanctissimi, in Collegio Romano-Graeco inbuatur a teneris annis suis pietate, sanctitate, et scientia, discendo simul reverentiam, cultum, et obedientiam erga Sanctam Sedem Apostolicam, quamvis nullum meritorum meorum erga Ill.mam Dominationem Vestram habeam calculum, nihilominus in spem vocatissimae bonitatis Ill.mae Dominationis Vestrae, eundem Nepotem meum in sinum gratiarum, favoris, et patrocinii Ill.mae Dominationis Vestrae repondere ausus, spondeo pro me, et illo perennem gratitudinem, obligationesque erga Ill.mam Dominationem Vestram mansuras in tota vita nostra. Et quia verebar, ne multi sylva desideriorum et necessitatum mearum Dioecesisque meae promovendarum, tum apud Sanctissimum Dominum Nostrum, tum apud Sacram Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Congregationem de Propaganda Fide, offenderem Ill.mam Dominationem Vestram (f. 262v) exostulavi cum Revd.mo Patre Clericorum Regularium vulgo Theatinorum Procuratore, petendo quatenus captata temporis opportunitate exponat Ill.mae Dominationi Vestrae omnes, et singulas necessitates meas meorumque, praecipue in negotio clausae per Principem Racocium administrationis iniunctae mihi a Sancta Apostolica Sede in Episcopatu Mukacinensi vacante, tum ratione incorporationis praetensae Monasteriorum meorum ad Provinciam Basilianorum Lithuanam, tum Decimarum, ne eas praetendat Clerus Ritus Romani a subditis Unitis, tum ratione transitus Unitorum ad Ritum Romanum contra prohibitiones Summorum Pontificum, aliisque negotiis, cui praefato Rnd.mo Patri Procuratori, ut Ill.ma Dominatio Vestra benignam aurem, et animum concedere non gravetur obnixissime orando, gratiae et benevolentiae eiusdem me recommendo, maneoque

Ill.mae ac Rend.mae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Clementissimi

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premislien. (mp).

Ex Monasterio S. Salvatoris, die 20 8bris 1707.

## 6.

*Monast. SS. Salvatoris, 26 . X . 1707*

*Gratias agit pro admissione Nepotis in Collegio Graeco, nec non de administratione Mukaczoviensi sibi commissa refert.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, f. 195.

Eminentissimi, Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini, Domini Patroni Clementissimi

Dignationem benignissimae gratiae, et declarationis gratiosissimae Sanctissimi Domini Nostri, Domini Clementissimi, gratissimo suscipiens aumo, Nepotem e fratre meum mitto in Urbem Sanctam, Nationum Patriam, et Orbis Magistram, ut ibi cadentium de Mensa Pontificia micarum particeps, a teneris unguibus suis discat

<sup>11</sup> Agitur de Antonio Vynnyckyj, filio Petri et Barbarae Kremaska, an. 13 (nat. 13 . II . 1695), e civitate Peremyshliensi, qui ingressus est hoc Collegium die 1 Januarii 1707. Discessit tamen iam die 7 Junii 1710, quia destinabatur ad vitam saecularem, ut ultimus familia Vinnickiorum,

sanctitatem, pietatem, disciplinam, observantiam, et obedientiam debitam Sanctae Sedi Apostolicae, a qua pendet felicitas, et salus Universi Orbis. Hunc igitur adolescentem, unicum et ultimum de stirpe mea, clementiae, patrocínio, promotioni apud Sanctissimum Dominum Nostrum Eminentiarum Vestrarum humillime recommendare ausus, spondeo pro illo, et me, quia prius ab oculis mortalium amolietur nos natura, quam obliviscemur tantae clementiae Sanctae Sedis Apostolicae, Matris, et Dominae nostrae, tum tanti beneficii Eminentiarum Vestrarum, Dominorum meorum Clementissimorum. Quorum sanctissimo, et amplissimo Collegio etiam illud pro debito meo deferendum existimavi, quia oblatam mihi non ambienti spartam administrandi vacantis Episcopatus Munkaczynensis (f. 195v) in Hungaria tanquam filius obedientiae susceperam et feci quod debui pro munere imposito mihi, non sine impensis ordinaveram Delegatos meos in illam Eparchiam (tenente me ipsum mole negotiorum in Dioecesi mea in procelloso statu Regni nostri) cum Oleis Sacris, visuros deinde ordinem et mores Cleri illius, et gregis. Sed quia spiritus contradictorius muneri meo Principis Racoci obstitit conatibus meis, non acceptantis hanc administrationem a Sanctissimo Domino Nostro et Sacra Eminentiarum Vestrarum Congregatione tenuitati meae iniuctam, debui ab illa super sedere, praestolando mandatum ab Eminentissimis Vestris, quale recipiam, tali parebo, pendens in omnibus a nutu, et imperio Sanctae Sedis Apostolicae, et Eminentiarum Vestrarum, quarum fimbrias Sacrarum Purpurarum humillime deosculando, profundissima iisdem inclinor veneratione, et maneo

Eminentissimarum, Illustrissimarum, Reverendissimarum Dominationum Vestrarum, Dominorum Clementissimorum

humillimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premislien. (mpp).

Dabantur in Monasterio S. Salvatoris, die 26. 8bris 1707.

## 7.

*Monast. SS. Salvatoris, 24. IV. 1708.*

*De iuramento praestando a Nepote Episcopi in Collegio Graeco, cui opponitur necessitas familiae Vynnyckyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 563, fol. 58-59.

Ill.me e Reverendissime Domine, Domine et Patrone Colendissime. <sup>12</sup>

Quamvis necdum comparuerit redex Dux et Comes itineris in Alman Urbem Nepotis mei, ille Dominus Italus, cui obtutibus, respectibus et protectioni consignavi eundem Ill.mae Dominationi Vestrae, nihilominus cum aliunde habeo, quantis comitatis, benignitatis, et beneficentiae symbolis praefatus Nepos meus, nulla comitante ad id sua dignitate, aut suffragante aliquo merito meo, receptus sit a gratiosissimo sinu Ill.mae Dominationis Vestrae, ne diu debitor manendo contractorum officiorum apud ipsam, reatum alicuius ingratitude et gravioris censurae incurram, festinus ruo in venerationem Ill.mae Dominationis Vestrae, cum profusione profundissimarum gratiarum pro tam prona in me, Nepotemque meum beneficiendi favendique voluntate, optando ut hanc gratiam, quam ego referre non possum, imbecillitate virium mearum obsistente, multo vero minus Nepos meus, minificentissimum Numen cornu copia sua-

<sup>12</sup> Fortasse agitur de Praefecto S. C. de Prop. Fide, Josepho Sacripanti (1705-1727).

rum ad vota Ill.mae Dominationis Vestrae benedictionum, praecipue autem ad summa in Ecclesia Dei fastigia dignissimam et meritissimam personam suam provehentium, retribuatur. Id tamen spondere possum de Nepote meo, et iam Clientis titulo honorato ab Ill.ma Dominatione Vestra, quod si a Rege fatorum diuturniori usurae lucis huius servatus fuerit, redituque prospero ad patrium coelum donatus, assiduum celeberrimumque ex eo Praeconem (f. 58v) beneficiorum et favorum suorum est habitura, apud quosvis terrigenas suos. De me autem, cum ad altiorem gradum gratificandi ascendere non possum, id unum polliceor, quod quoad spiro, semper suspirabo, ut Superi perenniter faelicem diutissime sospitem foveant Ill.mam Dominationem Vestram, et post sera fata remunerentur liberalissimo coelo eandem.

Dum vero accipio nunc recens exigi a toties fato Nepote meo certum iuramentum, quo obligari praetenditur ad amplexum status spiritualis, absequiaque missionis, cuius vinculi circa exhibitionem mihi gratiae a Sua Sanctitate supplicatae pro eodem ne minima quidem fuit facta mentio, mirari sane summe cogor hanc novam moveri difficultatem. Cum ego circa primam supplicationem meam tum Suae Sanctitati, Domino meo Clementissimo, tum S. Congregationi factam, sat clare explicuerim statum et conditionem huius juvenis, et etiam ipsimet Ill.mae Dominationi Vestrae innuerim, quod cum e vicinioribus Domus meae solus unicusque superstes remanserit, velim ipsum non in statu sterili spirituali Deo et Ecclesiae Matri servire, sed in statu civili, ut Domus suae occasui occurrere possit, si ita Superis visum fuerit. Proinde rogo humillime Ill.mam Dominationem Vestram, ut patrocínio ac ope sua id obtinere favoris pro eodem dignetur, ne hocce Sacramento Domui suae adeo praeiudicioso gravetur. Si enim id in vestibulo statim motum fuisset, haud dubie ad alias deflexissem eiusdem Nepotis mei dispositiones. Alteri vero iuramento circa conservationem Ritus sui nativi non modo non inficior, imo vero quam maxime devinctum eidem desidero. Quod totum dum (f. 59) in sinu patrocínii Ill.mae Dominationis Vestrae reverentissime depono, una ut quem semel fovere caepit sua beneficentia, eundem nunquam destituat, sed amplioribus et amplioribus semper augeat gratiis et beneficiis, enixissime rogando, me ipsum interim evictorem ipsius obligationum substituo, ac sigillatim etiam me gratiae Ill.mae Dominationis Vestrae opportunitatesque Ecclesiae meae devovendo, alias exoratas S. Congregationi, maneo, scriborque

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini et Patroni mei Colendissimi

Servus humilissimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premislien. (mpr).

Ad S. Salvatorem, die 24 Aprilis 1708.

## 8.

*Leopoli, 26. IX. 1708.*

*Refert de sua electione ad Metropoliam Kioviensem exponitque eiusdem provisionis Metropolitaniae Kioviensis difficultates.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 564, fol. 291.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini Patroni Clementissimi.

Post perspectam intimo sensu imbecillitatem meam, quamvis dudum cogitaverim etiam hoc onus meum episcopale capacioribus humeris cedere, postulaturus

micam aliquam de mensa Pontifica, Domini mei Clementissimi, sed quia Deus, in cuius manibus sortes meae sunt, aliam de me fecit ordinationem, disponendo erga me licet infirmum, et infimum corda votaque Illustrissimorum Dominorum Episcoporum, Confratrum meorum, qui me ad solium vacans Metropolitanum Kiioviense urserunt, et elegerunt. Si ea est vocatio Dei, et voluntas Sanctissimi Domini, Domini mei Clementissimi, ecce ego. Et dum ea humillime refero Eminentis Vestris, praestolor mandatum Sanctitatis Suae, Eminentiarumque Vestrarum, Dominorum meorum Clementissimorum. Et quamvis in procelloso Regni nostri statu non possim Sanctitati Suae praeviam Nominationem Regiam iuxta Jura Regni nostri exhibere,<sup>13</sup> tamen refero hanc electionem meam, ne si aliunde innotesceret Sanctissimo Domino Nostro, Domino meo Clementissimo, ac Eminentis Vestris, culparetur socordia mea, et ingratitude erga Coepiscopos Electores. Quod in hoc negotio visum fuerit Sanctitati Suae (f. 291v) et Eminentis Vestris, pariturus sum, tanquam filius obedientiae. Qua in parte etiam Illustrissimus Dominus Nuntius Apostolicus, pro singulari sua in me benevolentia, poterit ad Eminentias Vestras dare lucidam informationem, de canonica electione mea. Ego vero sacras Eminentiarum Vestrarum Purpuras humillime oxosculando, totum me voluntati, et dispositioni earundem Eminentiarum Vestrarum subiicio, maneoque

Eminentissimarum ac Revd.marum Dominationum Vestrarum, Dominorum, Patronorum meorum Clementissimorum

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisliensis (mpr).

Leopoli, die 26. 7bris 1708.

9.

Leopoli, 3. X. 1708.

*Episcopo Livoniae, ut apud Regem Poloniae intercedat, ut sibi a Rege daretur commendatio ad Metropoliam Kiioviensem, ad Summum Pontificem directa.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 256rv.

Extractum ex Litera authetina D.ni Episcopi Premisliensis Winnicki, electi Metropolitanae Russiae, ad Dominum Episcopum Livoniae<sup>14</sup> scripta.

Et quia vacante Sede Metropolitana Chioviensi, licet sine ulla opera mea, et quod magis est nec cogitabundus in eum gradum a D.nis Episcopis, Confratribus meis, electus sum (uti ipsa electio loquitur, cuius Copiam hic involvo), Dominus vero Kulczycki, Episcopus Pincen.,<sup>15</sup> obtento notis sibi viis Privilegio a Serenissimo Rege Stanislao,<sup>16</sup> res molitur alias contra punctum honoris mei. Idcirco enixe oro Ill.mam

<sup>13</sup> Episcopi eligebant, Rex tamen Poloniae Electum Pontifici Romano litteris ad hoc datis praesentabat, ut confirmaretur. Tunc temporis de Throno Regni Poloniae luctabantur duo Candidati: legitimus Rex Federicus Augustus II Saxo (inde ab an. 1697), et Stanislaus Leszczyński (1704); inde nesciebatur a quonam litterae hae dari debebant. Sors enim huius contentions nondum clara tunc temporis, et duae factiones in Regno Poloniae aderant.

<sup>14</sup> Theodorus von Ludinghaus Wolff (1701-1711), Episcopus Vendensis seu Livoniensis, et Piltensis seu Curonensis.

<sup>15</sup> Episcopus Pincensis (1703-1716).

<sup>16</sup> Stanislaus Leszczyński (1704-1708).



Dominationen Vestram, ne id infringere permittat, interponendo se apud Serenissimam Reginam, quaenus dignetur Sanctam Sedem Apostolicam, ac Sacram Congregationem de Propaganda Fide hoc in negotio plene informare, similem quoque, gratiam et ab Ill.ma Dominatione Vestra exostulans. Quod autem concordibus votis Dominorum Episcoporum quamquam infirmus et infimus ad hoc munus electus fuerim, ipsae eorum manus diiudicabunt. Subscripserat se ad hanc eandem Electionem et ipse Dominus Episcopus Pinscensis et in Literis ad Illustrissimum Dominum Nuntium<sup>17</sup> a Dominis Episcopis et seipso scriptis. Immo, post discessum aliorum Dominorum Episcoporum, distinctim scripserat ad Ill.mum Nuntium in negotio electionis meae, et postea res innovat, volens ad personam suam trahere gradum Metropolitanum, immutans priorem animum ad laesionem directe honoris mei, sed credo quod huic non dedignabitur Ill.ma Dominatione Vestra parentari. In brevi transmissurus etiam erit ad Sacram Congregationem (f. 256v) de Propaganda Fide et Ill.mus Dominus Nuntius authenticum Instrumentum electionis meae, contra quod nititur pugnare Dominus Episcopus Pinscen., quamvis non deberet neque conveniret illi altiora petere, vel maxime, cum non ambiens accessus voti ipsius electus fuerim in Metropolitanum, et quod maius est, hic idem Dominus Episcopus Pinscen. obtentum iam dudum privilegium benevole mihi resignavit, quanquam in Aula Regia zizania seminaverit, quod ego in contemptum Maiestatis Regiae directe recursum fecerim ad Sanctam Sedem Apostolicam, etc. etc. . . . . Interim maneo

Illustrissimae ac Rnd.mae Dominationis Vestrae

humillimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premislien. (mpp).

Leopoli, die 3. 8bris 1708.

## 10.

*Leopoli, 3 . X . 1708.*

*Pontificem certoriat de sua electione ad Metropoliam Kioviensem, eiusdemque electionis difficultates exponit.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 258rv.

Beatissime Pater.

Post oscula Pedum Sanctitatis Vestrae, ad debitum meum filiale pertinere ratus sum et deferre Sanctitati Vestrae, quae concernunt ordinem, et decus religionis nostrae, cum Sancta Matre Ecclesia Romana Unitae, quod et facio, submississime fatendo genuine, quia post perspectam tenuitatem, et imbecillitatem meam ad portandum onus episcopale imparibus humeris meis, sub auspiciis Sanctitatis Vestrae impositum, non semel volui capaciori resignare, sed cum turbidus Regni nostri, imo Universae Europae status, sincerarum cogitationum meas moraretur, aliud visum est Providentiae Divinae, quae corda, et vota Reverendissimorum Dominorum Episcoporum Collegarum meorum disposuit, ut me licet infirmum, et infimum ad vacantem Sedem Metropolitanam urgerent, et concordibus calculis eligerent. Maleo resistere vocationi Dei, quae inde liquebit, si assentietur electioni meae Beatitudo Vestra, quae imbecillitatem meam corroborare, et incapacitatem habilitare potens est in Domino, cuius Vicariatum in

<sup>17</sup> Nicolaus Spinola, Nuntius Varsaviensis (1707-1712).

terris feliciter gerit. Et licet Nominationem Regiam in humilem personam meam Sanctitati Vestrae in procelloso Regni nostri statu exhibere non possum, tamen ne si aliunde electio mea innotesceret Sanctitati Vestrae, culparetur socordia mea, foremque ingratus affectus Reverendissimorum Dominorum Collegarum meorum, (f. 258v) si illorum erga me propensionem Sanctitati Vestrae non referrem, et quid me voluerit facere, pro Oraculo non supplicarem, sed et vicaria Sanctitatis Vestrae in Regno nostro potestas poterit informare Sanctitatem Vestram de canonica ad Solium Metropolitanum electione mea, quam cum persona mea humillima, nutui eiusdem Sanctitatis Vestrae acclinis, cum summa gratiarum actione pro benignissima clementissimaque protectione Nepotis mei subiicio tanquam

Sanctitatis Vestrae devotissimus Filius  
 GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisl. m. p.

## 11.

*Leopoli, 3 . X . 1708.*

*Eiusdem argumenti litterae etiam grates actoriae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 260rv.

Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Fateor quod eo magnitudine ac numero gratiarum Eminentiae Vestrae, Domini mei Clementissimi, quas in me indesinenter profundere dignatur, redactus sum, ut non solum non sim par obsequiis meis illa rependendi, verum nec scio dignam referre pro ipsis gratiarum actionem Eminentiae Vestrae; praecipue cum etiam hac, qua SS. mus Dominus Noster me infimum servum suum nunc recens respicere dignatus est, dum ad indignissimas supplicationes meas duobus Nepotibus meis benignissime indulgere voluit facultatem iungendi se thoro matrimoniali, iure merito inter prima argumenta benevolentiae et beneficentiae E. Vestrae recensere debeam, utpote singularissimo patrocinio ipsius obtentam. Quod igitur virium mearum solum est, incessanter rogo benignissimum Divinum Numen, ut ipsum has gratias Eminentiae Vestrae, quibus metam ubertim replere et honorare dignatur, retribuatur cornu copia suorum donorum, et beneficiorum, eamque quam diutissime sospitem Reipublicae Christianae utilitati, servorumque et Clientum suorum subsidio et solatio servet. Quamvis autem expensa pro praefata dispensatione non correspondet tenuitati substantiae praedictorum meorum Nepotum, tamen spero quod etiam huic rei sciet occurrere et mederi gratia Eminentissimae Dominationis Vestrae, si prout hactenus consuevit, suffragari ipsa voluerit.

Quid etiam novarum rerum hic mecum agitur detuli nuperrime per manus Ill.mi Domini Nuncii Sacrae Congregationi, Eminentiae vero Vestrae hisce profundissime (f. 260v) supplico, ut illis manum opitulatricem et auxiliatricem porrigere dignetur, ut prout in aliis opportunitatibus meis ita etiam in his gloriari mihi liceat, omnia facilem sortire exitum, assistente mihi patrocinio et protectione Eminentiae Vestrae. Cuius nunc sacram purpuratam fimbriam dum devotissime deosculor, una toto corde profiteor

Eminentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Colendissimi,

Servus humillimus  
 GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisl. (m. p.)

## 12.

Leopoli, 23 . X . 1709.

*De promotione Procuratoris romani ad Sedem Polocensem, nec non de Nepote, quem vult ut transferatur ad Collegium Clementinum, vel Seminarium Romanum.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 569, fol. 679rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes,  
Domini, Domini Patroni Clementissimi.

Inclinato capite debitum submississimae observantiae Eminentissimis Vestris praesto homagium. Et quia tardius ad requisitionem Eminentiarum Vestrarum super puncta certa respondeo, non segnitia mea, sed elongationis ex hac regione, et implendi muneris administrationis ab Ill.mo Domino Nuntio mihi impositi necessitas moram causavit. Quantum igitur ad primum, ne per me promoveantur aliquae personae ad vacantes in Hierarchia nostra Sedes, religiose parvi et pareo mandato Eminentiarum Vestrarum, quarum voluntatem non tantum opere, verum etiam cogitatione nunquam me transgressurum spondeo. Quod vero attinet promotionem R. P. Procuratoris Generalis Ordinis<sup>18</sup> nostri ad Archiepiscopatum Polocensem, congratulor huic eximio, et multis talentis ornato viro, quod eam gratiam iuveniret in oculis Eminentiarum Vestrarum, ut etiam earundem calculis dignus iudicaretur Tiara Polocensi. Quale autem studium Fratrum meorum Coepiscoporum, et Ordinis nostri meique erga eundem R. P. Procuratorem sit, exponet R. P. Proto Archimandrita familiae nostrae Basilianae; a Coetu nostro nuper in Lithuania peracto ad Sacrum Eminentiarum Vestrarum Collegium destinatus Legatus brevi in Urbe Sancta compariturus, nisi eum retardaverint pericula undique nos circumvallantia. Ego in hoc negotio, uti debeo, polliceor me tanquam filius obedientiae expectaturum articula Sanctissimi Domini Nostri, et ulterioria imperia Eminentiarum Vestrarum, quibus obediendo non confundar in aeternum. Nuntiat deinde mihi, quia Nepos meus ex Clementia Pontificia, mediante benignissima intercessione Eminentiarum Vestrarum, inter Alumnos Collegii Graeci cooptatus, non potest ibi amplius subsistere sine emissione Juramenti, appello autem memoriam ipsarum Eminentiarum Vestrarum, Dominorum meorum Clementissimorum, quia ante expeditionem Nepotis mei Romam Sanctissimo Domino Nostro, et Eminentissimis Vestris supplicavi, et mentem meam (f. 679v) aperui, quia nolebam, uti etiam nunc nolo promovere Nepotem meum ad statum spirituales, ex quo unicus hic et solus remanserit surculus stirpis meae. Et quia receperam benignas declarationes pro admittendo Nepote meo inter Alumnos Collegii Graeci, nec ulla erat mentio necessitandi eum ad emissionem iuramenti, nisi eundem, ut imbueretur pietate, moribus, et disciplinis ingenuo in statu saeculari convenientibus. Cuius voti mei etiam R. P. Schiara, Ordinis PP. Theatinorum Procurator Generalis, iudicium et fidele poterit dare testimonium. Unde post actas Eminentissimis Vestris summas gratias pro favoribus et beneficiis Nepoti meo praestitis, quia eundem ad Collegium Clementinum aut Seminarium Romanum transferre statui, humillime supplico dignentur mihi Eminentissimae Vestrae, Domini mei Clementissimi, eam praestare benignitatem et clementiam, ut a Nepote meo pro mensa Pontificia per biennium impensae factae non exigantur

<sup>18</sup> Sylvester Pieszkewycz, Procurator in Urbe (1701-1709), dein Archiepiscopus Polocensis (1709-1719).

Si enim dilatata charitatis, et clementiae Pontificiae viscera capacia sunt ad implendum bonis Orbem terrarum, profecto sumptus pro Nepote meo benignissime impensus, non extenuabit aerarium Caelestis Clavigeri, ad quem omnium fidelium levantur oculi. Pro qua clementia geminando supplices preces meas, fimbrias vestimentorum Eminentiarum Vestrarum acclinis exosculor, tanquam

Eminentissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum, Dominorum ac Patronorum meorum Clementissimorum

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisliensis (mp).

Leopoli, die 23 Octobris 1709.

### 13.

Leopoli, 23 . X . 1709

*Excusat se ab obiectione se transgredi potestatem muneris administrativi, de nominatione Procuratoris Romani ad Sedem Polocensem, nec non de suo Nepote, Romae in studiis degente.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 569, fol. 681-682.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Literas Illustrissime Dominationis Vestrae, die 7ma Maii Anno currenti exaratas, et in illis adumbrationem gratiarum et propensionis erga me, cum ea qua par est observantia recepi, summas agendo Illustrissimae Dominationi Vestrae gratias, quia sine ullis praecedentibus meritis meis cumulata mihi offert, et testatur beneficia sua. Quia vero tardiozem ad easdem do responsum, non oscitantiae meae crimen est, sed distantia ex his oris, et imposita mihi ab Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico Vacantium Sedium administratio, quae me hinc avocaverat, moram fecerunt. Nunc captata opportunitate, ad eas brevibus lineis, sed proluxa Illustrissimae Dominationis Vestrae veneratione respondeo.

Quantum ad primum. Absit ut non solum opere, sed etiam cogitatione transgrediar ilmites mandatorum Sacrae Eminentissimorum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide. Idcirco nullo titulo, praetextu, aut colore statuere quidquid circa Successores vacantium Sedium ausurum me polliceor, sed praestolaturum mentem ac, voluntatem Sacrae Congregationis, aut Illustrissimi ac Excellentissimi Domini Nuntii Apostolici.

Quod attinet secundum punctum. Congratulor viduae Ecclesiae Polocensi, quia R. Pater Procurator Generalis Ordinis (f.681v) Nostri, <sup>19</sup> vir eximius, et multis dotibus insignitus, etiam suffragiis Sacrae Congregationis praedestinator ei futurus sponsus. Erga quem propensionem Collegii nostri Episcopalis, et Ordinis exponet, inter caetera, R. Pater Proto Archimandrita, a Congregatione nostra, nuper in Lituania peracta, <sup>20</sup> ad Sacram de Propaganda Fide Congregationem destinatus Legatus, brevi Romae compariturus.

Habeo deinde relationem, quia nepos meus, de Clementia Pontificia ad Alumnatum Collegii Graeci admissus, stringitur ad emissionem Iuramenti contra votum meum,

<sup>19</sup> Cfr. notam praecedentem.

<sup>20</sup> Capitulum Basilianorum Bilense an. 1709, diebus 26 Augusti et sequentibus. Cfr. M. M. WÓJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 20.

quamvis ante missionem eius Romam supplicaverim Sanctissimo Domino Nostro, et Sacrae Congregationi, quia non erat, sicuti nec est mens mea promovendi Nepotem meum ad statum spiritualem, cum solus, et unicus ille remanserit in Domo mea de Masculis. Unde quia eundem Nepotem statui transferre ad Collegium Clementinum, aut Seminarium Romanum, quemadmodum Sacrae Congregationi, ita Illustrissimae Dominationi Vestrae, Patrono meo Colendissimo, supplico, quatenus a Nepote meo pro mensa Pontificia impensae per biennium in Collegio Graeco benigniter factae non exigantur, non me duntaxat, sed et iuvenem Alumnum perenniter obligaturae. Sed etiam in hoc negotio planiorem dabit nucleationem, et preces meas exprimet R. Pater Proto Archimandrita (f.682) Ordinis nostri, dum in Urbe Sancta comparebit. Nunc vero prolixiori calamo amplissimas curas Illustrissimae Dominationis Vestrae non morando, gratiis et benevolentiae eiusdem me insinuo, profundissimo nominis et honoris Illustrissimae Dominationis Vestrae cultu concludendo, manendoque

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Colendissimi

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisliensis (mpr).

Leopoli, die 23 Octobris 1709.

#### 14.

Leopoli, 1709.

*Locatio fundi ad erigendum Seminarium Peremysliense.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 569, fol. 247.

Actum in Castro Inferiori Leopoliensi, feria sexta ante festum Sanctae Mariae Magdalenae proxima. Anno Domini Millesimo septingentesimo nono.

Ill.mus et Rev.mus Georgius Winnicki, Episcopus Ritus Graeci Uniti Premislien. Sanocen. et Samboriensis, Metropoliae Kiiovien. et Episcopatum Vlodimirien. et Brestensis, Leopoliens. Halicien et Camenecensis Podoliae Administrator, Archimandrita Pieczariensis. Sanus etc. recognovit: Quia ipse vota et intentiones suas respectu Alumnorum Ritus sui studiis, et artibus liberalibus ad augendam Gloriam Dei in Episcopatu suo Premisliensi erudiendorum, et alendorum continua meditatione praehabita ad effectum deducendo, pro erigendo, et fundando Seminario eorumdem Alumnorum in sua dioecesi Praemisliensi sub rati habitione Ill.mi et Rev.mi Domini Nicolai Spinola, <sup>21</sup> Archiepiscopi Thebarum, Nuntii Apostolici in Regno Poloniae, et M.D.L., habitoque consilio, voluntate, et consensu Religiosissimi et Rev.mi Patris Stephani Trombetti, <sup>22</sup> Ord. Cleric. Regul., Collegii Pontificii Leopoliens. Praefecti, novam foundationem in Civitate Sacrae Regiae Maiestatis Praemisli., in Palatinatu Russiae sitae et iacentis, Cathedra vero dioecesis suae Premisliensis, erigendi, fundandi, locandique constituit, prout de facto praesenti inscriptione eandem foundationem de nova radice impensum aeternitatis supremi Numinis erigit, locat, et constituit, pro extruen-

<sup>21</sup> Nuntius Varsaviensis (1707-1112).

<sup>22</sup> Rector Pontificii Collegii Leopoliensis (1706-1723).

doque eodem erigendoque Seminario, Conventu, et Claustro, Alumnorumque, Praelatorum aliisque necessariis bona sua propria hereditaria, Fundum videlicet certum, ad Portam a Leopoli dictam, ex opposito ipsiusmet Ecclesiae Cathedralis sub titulo Sancti Joannis.

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premislien. (manu pr).

## 15.

*Leopoli, 1709.*

*Informatio de Eparchia Mukaczoviensi, simul cum litteris P. Kaminskyj et cuiusdam Hungari acatholici, quae illustrant informationem Metropolitanæ.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 570, fol. 65-67.

Informatio transmissa a Dominio Episcopo Winnicki circa praesentem statum Vicariatus Monkaciensis.

De Episcopatu Mukaciovienſi, quatenus exprimat sensum R. P. Petronius Kaminski<sup>23</sup> adnecto iungens et brevem informationem de ipso P. Petronio, qui in caepto turbine Hungarico favoribus Principis Rakoczij sese immiscuit, quibus polens e Monasterio Mukaciovienſi, quod ad subsistentiam Episcopi destinatum est, expulſit pie defunctum Episcopum de Camillis.<sup>24</sup> Tandem, illo defuncto, obtinuit nominationem a Serenissimo Principe Rakoczio pro Episcopatu illo. Ast pie defunctus noster Metropolitanus ambiguitatem Jurispatronatus, et controversiam inter Principem, et Caesarem sciens ad consecrationem nullatenus se determinare voluit. Data vero mihi a Sede Apostolica administratione, ut favorabilius in his partibus effectuaretur, eundem Petronium tanquam gratum Principi constitueram Vicarium meum. Nihil quidem tunc egit ob impeditam per Principem administrationem. Tandem dum Princeps ad capessendum hoc munus me invitaverit, iterum eundem Kaminski litteris confirmavi, ut se pro officiali gereret, qui hanc rationem suae villicationis in litteris exprimit, nempe Dominium Calvinorum; calva tamen haec ratio est cum non nisi aliqui Domini A catholici in hoc tractu sua Dominia tenent, nec plusquam triginta Ecclesiae reperiuntur in Villis eorundem, tota autem quanta Dioecesis in Dominio Principis, vel aliorum A catholicorum consistit. Unde malitia eiusdem, quod non ipse fiat Episcopus, hanc impedit curam quod omnes plane praesbyteri recurrant ad Schismaticos. Hodermarscius vero,<sup>25</sup> stante irritatione Hungarorum et durante bello, ut huic praeficiatur Dioecesi nullo modo sperando, imo ipse inausus sit provocare ad pugnam Partes Racozianas. Unde nisi Princeps Rakocius compellaretur tertium aliquem per provisionem Apostolicam acceptare Episcopum, certe hoc rerum statu bonus ordo in hac dioecesi peribit, et omnes ad schisma relabentur, prout iam relabuntur. Hunc vero Patrem Petronium etiam Sedis Apostolicae mandato revocandum esse ad Religionem suam, cum hic semper novas turbas ciet, et Monasterium illud

<sup>23</sup> Petrus Petronius Kaminskyj, monachus Basilianus, Vicarius generalis Administratoris Mukačovienſis, et ipse Candidatus ad hanc Eparchiam. Obiit die 17 Junii 1710.

<sup>24</sup> Josephus De Camillis, Episcopus Sebastenus, Vicarius Apostolicus Mukačovienſis (1689-1706).

<sup>25</sup> Josephus Hodermarskyj, qui ut promoveretur ad Cathedram Mukačovienſem contendeat, sed S. Apostolica renuente, eam nunquam obtinuit.

Mukaciovienſe, in quo nullus ad praesens Religioſus aut Praeſbyter reperitur, ſed Calvinus quidam cum coniuge ſua poſſeſſionem tenet, reſtituendum eſſe Epilcopo, et melioribus Religioſis. Accludo etiam hic litteras alicuius Hungari in originali, eſſi a Calvino, ſenſu catholico tamen ſcriptas, ex quibus facile cognoscere quid poſſit, ſi vellet, idem Petronius perficere in Hungaria pro fide catholica, et etiamſi recentiſſime a me monitus, ut me melius curaret, et ageret, ſed vix ſpero aliquam meliorationem. Secundo ſcribit ſe non curare illum Epilcopatum, et tamen procurat in ſui favorem litteras.

\* \* \*

Extractum ex litteris P. Kaminski Petronii ad D. Epilcopum Winnicki.

Quid in Hungaria hic agitur, et antea actum, iam videor ſignificaffe quidem Ill. mae et Rev. mae D. Veſtrae, tamen denuo de his certioſem reddo. Epilcopi duo Schiſmatici Stoika, et Circa<sup>26</sup> Maromoſzi depositus. Circa autem Moncaſzioviae hic Epilcopalem gerit iurisdictionem, et munere Ordinarii indebite fungitur. Illi autem diviſerunt inter ſe Ordinarii huius loci poſteſtatem, Circa tenet Maromorizum, et aliquot diſtrictus poſt Coſſam fluvium, et (f. 66) omnem circum Varadum Valachiam; Stoika vero cunctos tam ex Polonia quam ex Hungaria venientes ordinat, iamque illorum quadringenti circiter ſunt ordinati. Imo ipſi Vicarii rurales cum litteris ſuis ad Stoikam promovent ordinandos. Cum autem tam multi ipſorum ordinati ſunt, depoſui querelam coram Excellentiſſimo Principe, qui reſpondit ad hoc: Ego ratione religionis nullos tumultus volo, iam ex parte mea feci quod potui, et optimum pro conſervanda unione indicavi, quodſi negotium non ſucceſſit, viderint illi, et dent coram Deo rationem per quos ſtetit, ne meae intentiones et conatus adimplerentur; hoc autem certum eſto quod ratione religionis nullos tumultus habere volo; his auditis, ſapienti pauca: iam Excellentiſſimum Principem amplius non moleſtavi, nec moleſtabo. Graeci Schiſmatici mercatores, quorum ſunt aliquot centena in Ungeria, videndo Jeſuitas expulſos, templa a Catholicis accepta, et Haereticis tradita, rati occaſionem optimam promovendi ſchiſmatis, cum Calvinis in unum convenere, ut ob defectum Epilcopi ad Schiſmaticos praenominatos ad ſuſcipiendos Ordines ſuos mitterent. Quod diligenter obſervatur adeo ut filius noviter ordinatus patrem ſuum proprium (veraciter haec aſſero) expellat, et in multis locis expulerit. Seniores, et antiquiores Praeſbyteri tamquam uniti cum ſint exoſi, ad iuniores Schiſmaticos turmatim accurrunt. Remedium vero huius mali nullum, et abſolutiſſime nullum. Requiretur ad id poſtentia militaris quam nemo praeſtabit ob metum tumultus in hac vicinia Moſchorum, quorum multi hic reperiuntur. Item exercitus praeſertim pedestris ſolus Ruthenus, in quo fratrum (f. 66v) aliquot centeni germanorum militant neoordinatorum Schiſmaticorum. Viſitare eccleſias periculoſum in bonis Celſiſſimi Principis utcumque, ſed in Nobilium, et praeſertim ubi Calvinus Dominus, certiſſima mors, martyrium nullum. Imo ſtolidum eſt ſe exponere periculo mortis nulla utilitate ſpirituſali, ſaltem apparente, viſa. Quapropter cernendo quaſi in ſpeculo futura iſta mala, Leopoli adhuc in praeſentiam Sacrae Memoriae defuncti Metropolitanſi iureiurando affirmavi, me nolle aſpirare ad hunc Epilcopatum quod et noviſſime, in Villa Uroz confirmavi, ita et nunc ſacro-

<sup>26</sup> Stoika Joſephus Joannes, Epilcopus Maramoroſienſis (1690-1711), an. 1705 depositus, et anno 1711 (initio) reintegratus, hoc eodem anno obiit. - Circa Joannes Hiob, Epilcopus Maramoroſienſis (1708-1710), poſt deſiſitionem Stoika. Etiam hic anno 1710 proceſſatus et depositus. Cfr. A. BARAN, *Historia Eparchiae Maramoroſienſis eiſque Unio*, Romae (ms.).

sancte dico, quia Episcopatum non curo, uti canis quintum pedem, neque ad adipiscendum paratus sum amplius pedem a terra levare. Feci quod debui, et potui. Verumtamen, ut non dem occasionem maiori, vel potius extremi mali, ad tempus custodiam Monasterium Moncacioviense tamquam unionis radicem. De Hodermarscio nihil valeo dicere, scio illum fuisse Parochum Ungaricum. Si modo habitum portat, hunc ipse perperam assumpsit, nam nullus illi in unione dedit, nec noviciatum absolvit. Propterea nullus est Religiosus, neque Religio ipsum pro membro suo agnoscere potest, et consequenter promovere, utpote immeritum in Ecclesia Dei. Nondum natus fuerit, quando unio, statim post pulsum Woloszinovscium,<sup>27</sup> ante triginta annos, tempore Patris Kiscæ<sup>28</sup> per me in Ungariam introducta fuerat, duobus autem ante annis in Croatiam. Et id non minimum de Hodermarscio, quod ipsi pie defunctus habitum noluit dare, novit enim perversitatem eius, et praemeditate ob hanc Causam in caelibatu mansit, ut post mortem (f. 67) eius in Episcopatum succedere posset, quod et vere fecit. Qualiter autem Clerum depascabat, testis est A. R. Pater Superior Lauroviensis. His exaratis, sufficientem habebō informationem et de Episcopatu, et de ipso Perillustri Hodermarski, quem si Seren. Princeps accepisset ad manus, certe in Carceribus moriretur.

Haec omnia sunt formalia illius praedicti Patris. 16 9mbris A. 1709

\* \* \*

Copia litterarum Hungari Acatotici ad D. Episcopum Winnicki.

Ill.me ac Rev.me D.ne, D.ne mihi gratiosissime.

In negotio Episcopatus Munkaciensis concurrentium personarum intentionem apprime scit Ill.ma ac Rev.ma D. Vestra. Quod nec Summus Pontifex contra iura patronatus intendat quidpiam facere, nec Serenissimus Princeps Autoritate Ducali Confaederationis, sed tamquam Dominus et Dux Munkaciensis legitime nominaverit Rev.mum D. Kamenski, id ipsum Ill.mae ac R. D. Vestrae bene stare non dubito. Ac proinde si Ill.ma ac Rev.ma D. Vestra Eminentissimo Nuncio Apostolico Serenissimi Principis Juspatronatu stabiliendo commendaverit Rev.um Dominum Kamenski, credo Serenissimum Principem per hoc et id pergrate recogniturum. Caeterum me gratiae Ill.mae et Rev.mae D. Vestrae humillime commedans maneo

Praetitulatae Ill.mae D. V. Servus humillimus  
NICOLAUS SZIRMAJ.

Unghvar, 13. 9bris 1790.

16.

Monast. SS. Salvatoris, 7 . V . 1710.

*Gratias agit et protectionem implorat.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 350.

<sup>27</sup> Anno circiter 1669. Cfr. A. BARAN, *Quaedam ad biographiam Josephi Vološynovskij, Episcopi Mukačoviensis (1667)*, in « *Analecta OSBM* », vol. II, pag. 209-227, Romae 1954.

<sup>28</sup> Fortasse agitur de P. Leone Kiška, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani, ab an. 1703.



Eminentissime ac Reverendissime S. R. E. Princeps, Domine et Mecaenas  
Clementissime.

Conglobata undique periculorum tempestate, inter bellorum fluctus<sup>29</sup> maxime Russia nostra laborans, dum Petrinam, unicum suae salutis spem respicit ratem, pluribus orbata Ecclesiarum Rectoribus, supplex per me, cui indigno a Suprema Apostolica Potestate gratiose commissum Administratorium Gubernium, ad Eminentissimam Dominationem Vestram recurrit, implorat patrocinium, opitulatricem poscit manum, quatenus in exponendis per Admodum R. dum P. Procuratorem Ordinis nostri<sup>30</sup> suis desideriis benignissimo Eminentiae Vestrae soletur affectu, et ad spes meliores erigatur, pro quo nomine totius Russiae Unitae dum iterata vice, et prece supplico, summas insimul grates pro praestitis Domui meae, in unico Nepote, beneficiis, Eminentissimae Dominationi Vestrae rependens spondeo, quod quotquot huius sanguinis sunt, et erunt, magno nomini Eminentissimae Dominationis Vestrae singulari vincula buntur nexu; ego vero ad Sanctiores Aras pro incolumitate et prosperitate Eminentiae Vestrae mea exsolvere vota uti non praetermisi, ita non praetermittam, qui et modo Sacram Eminentiae Vestrae basians Laciniam, in submissum me compono cultum, et maneo

Eminentissimae ac Reverendissimae Celsitudinis Vestrae, Domini mei Clementissimi

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premyslien. (mp).

Ex Monasterio Sancti Salvatoris ad Montes, die 7 Maii, Anno 1710.

17.

*Monast. SS. Salvatoris, 30 . IV . 1710.*

*Commendatur protectio Ecclesiae Unitae Cardinalibus S. C. de Prop. Fide.*

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 341.

Eminentissimi, ac Reverendissimi S. R. Ecclesiae Principes  
Domini, et Maccenates Clementissimi.

Meritis suis parem consecutus gradum Polocensis Archiepiscopatus Admodum Reverendus Pater Sylvester Pieszkiewicz,<sup>31</sup> Procurator Generalis Ordinis Nostri in Urbe, dum in Patriam, et destinatam sibi Dioecesim apparat iter, in locum eiusdem ex Ordine nostro substituendum duximus Admodum Reverendum Patrem Hilarionem Kruszevitz, praesentium exhibitorum, humili nostra recommendatione eundem comitantes ac simul supplicantes, quatenus Russia nostra, in Fide Catholica perseverans, nunc a suis afflictis adversariis, et sollicitis orbata Pastoribus, singulari patrocinio Eminentissimarum Dominationum Vestrarum foveatur, et protegatur. Insuper de qua idem Pater Procurator demissa prece pro nostra supplicabit indigentia, benigne eum exaudiri, ac cle-

<sup>29</sup> Bellum in Regno Poloniae inter Augustum II, Regem Poloniae et Stanislaum Leszcynski de Regno, et inter Carolum XII, Regem Suecorum et Petrum I, Czarum Moscoviae, de Imperio.

<sup>30</sup> Agitur de praecedenti Procuratore in Urbe, P. Sylvestro Pieszkewyc (1701-1709).

<sup>31</sup> Cfr. notam praecedentem.

mentiae pandi sinum postulamus, denique eo, quo par est, basio sacras Eminentiarum Vestrarum exosculamur lacinias, et perenni cultu manemus

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum

infimi servi, clientes, et exoratores perpetui  
 GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premysliensis,  
 Nominatus Metr. (mp.)

LEO KISZKA, Protoarchimandrita Ordinis Divi Basilii M. (m. propria).

In Monasterio Sancti Salvatoris ad Montes, die trigesima Mensis Aprilis, Anno 1710.

18.

*Monast. SS. Salvatoris, 7 . V . 1710.*

*Litterae grates actoriae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 349.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine, Domine, et Patrone Colendissime.

Singulari promotione Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae dignam meritis suis recepturus coronidem A. R. P. Pieszkiewicz, nominatus Archiepiscopus Polocensis, dum ad nos reditum parat, idem ipse toties testatus praestita Ill.mae Dominationis Vestrae meo Nepoti beneficia, ut in illo suo abitu, nomine meo, submissas rependat grates Ill.mae Dominationi Vestrae, rogatum esse eundem volui. Ego vero ipse in supplementum hac vicaria penna, interprete cordis mei, qua veneratione, quo cultu cupio debita gratitudinis officia a me exhiberi, exhibitor praesentium poterit explicare, et si verba non sunt paria, sufficiat obligatio imposita mihi etiam ad Aras incolunitati, et prosperitati Ill.mae Dominationi Vestrae Vota Sancta litare, quae cum termino vitae meae terminabuntur; et eo maior in me crescet obligatio, quo maiorem affectum, et gratiarum Ill.mae Dominationis Vestrae cum eodem meo Nepotulo A. R. P. Procurator modernus gratiosam experietur demonstrationem, cui edisserenda plurima commisi, unde ut benigne et clementer audiatur, et solitum Religioni nostrae patrociniū apud Ill.mam Dominationem Vestram inveniat, supplico sacrasque eius exosculatus manus, perenni cultu maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patronis mei Colendissimi

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premysliensis

Ex Monasterio Sancti Salvatoris ad Montes, die 7 Maii 1710.

19.

*Monast. SS. Salvatoris, 17 . V . 1710.*

*Gratias agit et de Nepote suo tractat nec non de Nominato Archiepiscopo Polocensi*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 353rv.

Illustrissime ac Rnd.me Domine, Patrone Colendissime.

Litteras Ill.mae Dominationis Vestrae, die 12 proxime elapsi datas, cum omni culto, et observantia recepi. Et quandoquidem tantis beneficiis, et favoribus Ill.mae Dominationis Vestrae non solum ego, verum etiam sanguis, et Nepos meus cumulamur, rubore suffundor, quia et capacitas mihi deest ad remerendum, et verba deficiunt ad condigne agendas gratias, quia illis quinimo praesens Regni nostri tem-

pestas,<sup>32</sup> et pericula viam praecludunt cum correspondendum. Actis nihilominus summis Ill.mae Vestrae Dominationi gratis, pro gratis, et tot benevolentiae argumentis tum exili personae meae, tum Nepoti meo exhibitis, si non valebo obsequiis officiisque meis et recompensare, oro Deum meum, ut teneritudines tantas Ill.mae Dominationis Vestrae incolumitate diuturna, et omni prosperitate retribuat.

Dum vero in iisdem literis placitum, et imperium Ill.mae Dominationis Vestrae, Patroni mei Gratosissimi, lego, ut Nepotem meum ex Urbe ad aliquod Germaniae Collegium ex rationibus insinuatissimis transferam, pareo mandato, sed primo Sanctissimo Domino Nostro, Domino meo Clementissimo, ad plantas eius provolutus pro benignitate ineffabili, tum Sacrae Eminentissimorum Principum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide Collegio per auctoritatem Ill.mae Dominationis Vestrae tum ipsi Ill.mae Dominationi Vestrae immortales debeo, et ago gratias pro beneficiis innumeris Nepoti meo largissime impensis, non ex meritorum meorum aut eius calculo, sed ex gratuita benevolentia, et quia nunc valetudinarius sum, non exaro gratiarum actiones calamo tam Sanctissimo Domino Nostro, quam Sacrae Congregationi, sed in hoc officii gratitudinisque meae puncto praestolor anxie mandatum Ill.mae Dominationis Vestrae. Quamvis vero trasferetur ab Urbe Nepos meus, nihilominus obsequiis Ill.mae Dominationis Vestrae eum consecrando, et ut se Alumnum Ill.mae Dominationis Vestrae in tota vita sua esse sciat, et praedicet etiam testamento eundem obligando, humiliter supplico, ut eundem vermiculum curae, et gratiae Rn.dmi P. Pieszkiewicz, Nominati Polocensis (f. 353v) recommendare Ill.ma Sua Dominatio non dedignetur, monstrando etiam viam, in quo Germaniae Collegio subsistendo non fruges tantum, et aetatem consumat, sed etiam animam sanctitate ornando, et ingenium tenerum moribus, ac disciplinis poliendo in virum evadat, aeternas Ill.mae Dominationi Vestrae cum tota Domo sua debiturus obligationes.

Jungo etiam humillimas gratias tum Beatissimo Patri, tum Sacrae Congregationi, tum Ill.mae Dominationi Vestrae, quia humilitatem meam ad apicem ulteriorem elevare dignamini, quamvis gradum hunc refugiebam, et refugio, conscius indignitatis, et infirmitatis meae ad portandum tantum onus, etiam angelicis humeris formidandum. Si tamen beneplacitum, et imperium Sanctitatis Suae, et Sacrae Congregationis, tum voluntas Ill.mae Dominationis Vestrae iusserint me, parebo non ex ambitu huius fastigii, sed tanquam filius obedientiae, confisus quia etiam in posterum obumbrabit mihi clypeus praesidiumque Pontificium, et assistet semper protectio Ill.mae Dominationis Vestrae.

Rn.dmo Domino Pieszkiewicz, Nominatio Polocensi, non minus Mitram, quam ei cuderunt virtus, et merita, ac tantos favores erga ipsum tum Ill.mae Dominationis Vestrae cordialissime gratulor. Pararunt ipsi virtus, et eximiae dotes Tiaram, imponunt clementia Successoris Petri, et Vicarii Christi, ac promotio candidissima Ill.mae Dominationis Vestrae, quamvis nec mea defuerit cooperatio apud Regem nostrum ad complementum requisitum ex ratione Status. Vivat ergo voce Petri designatus Infulatus, in cuius ulteriori progressu quidquid mihi Ill.ma Dominatio Vestra iubet, facta esse putet; probabo enim etiam hoc argumento, quia circa submississimum cultum Ill.mae Dominationis vestrae sum eiusdem

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Colendissimi

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premysliensis (mp).

Ex Monasterio S. Salvatoris, die 17 Maii 1710.

<sup>32</sup> Cfr. notam 29.

## 20.

*Monast. SS. Salvatoris, 26. V. 1710.**Conqueritur de Capitulo Vilnensi et protectionem invocat.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 573, fol. 461rv.

Illustrissime ac Reverendissime Domine et Patrone Colendissime.

Actum esse de rebus Russiae Unitae non solum propter inimicos suos inter media pericula versatae, sed etiam propter amicos Catholicos, iura eius convellentes, summe afflictas. Ego minimus Pastor ad regimen illius dum voce supremi in terris Christi Vicarii primo vocor, conclamarem, nisi animum resumere iubere Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae singularis affectus et benevolentiae mihi immerito demonstrata argumenta, quibus confidens ea qua par est veneratione ad sinum gratiae Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae audenter recurro et molestias, quas perfero et patior a Consistorio latino Vilnensi, a quo ultra caetera etiam captivari iubetur Vicarius a me constitutus, quia se nominat talem, ne sim molestus enarrando, commisi R.mo Patri Procuratori, pro nunc Nominato Polocensi<sup>33</sup>, exponendas. Adiungo preces easque supplices, quatenus pro novo illo regimine, ad quod si ita Sanctae Sedi Apostolicae placuerit evehor, validioribus contra hos ausus sim munitus praesidiis. Neque enim possum (f. 461v) utraque ex parte amica et inimica ferale sustinere ictus, maxime dum ille qui ferre debuit opem protrudit in praecipitum. Hoc ne est illicium adversariorum nostrorum? dum nos Matris Ecclesiae praedicamus utera, illi a particulari latino Episcopo inflictis nobis tubera intuendo, de caeteris eadem iudicando, nec nobis dari opem opinando, imo in vilipensione haberi aestimando fortiora cogitant, et audent, ut recentes abstrahunt et antiquos tollant. Unde si iam sat dedimus patientiae documenta cum exemplo perseverantiae, perferendo, latitando, si iam continuis insultibus ad paucum redacti sumus numerum, saltem residuitas nostra protectione et favore Ill.mae Dominationis Vestrae salvetur et assistentia Sanctae Sedis Apostolicae muniatur, supplex iterata prece exposco. Perenni gratitudine et nomini Ill.mae Dominationis Vestrae obligatione etiam in posteros meos derivanda hoc me accepturum profiteor et constanti cultu maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae D.nis Vestrae, Domini,  
Patroni mei Colendissimi,

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Praemyslen.

## 21.

*Monast. SS. Salvatoris, 24. VI. 1710.**Agit de morte P. Kaminskyj, nec non commendat negotia Eparchiae Mukaczoviensis.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Greci di Croazia, Dalmazia, Schiavonia, Transilvania, Ungheria*, vol. 1, fol. 155rv.

<sup>33</sup> Sylvester Pieszkewycz, Procurator in Urbe (1701-1709) et dein Archiepiscopus Polocensis (1709-1719).

Capitolo di lettera scritta da Monsignor Metropolita Rutheno  
a Monsignor Nunzio sotto li 24 Giugno 1710.

Quia Pater Petronius Kaminski,<sup>34</sup> nominatus a Principe Racocio<sup>35</sup> in Episcopum Munkacynensem, die decima septima praesentis obiit, denuncio Excelentissimae Celsitudini Vestrae, hic praedictus Pater defunctus ex commisso meo administraret praefatum Episcopatum nomine non re; nullam enim ad me relationem habuit, neque noveram de statu illius Episcopatus, et hactenus ignoro. Nihilominus in virtute arbitrii, et voluntatis Excelentissimae Celsitudinis Vestrae expedio in Hungariam certum Officiale meum cum caractere, et facultate administrandae illius Dioecesis, scribendo ad Principem Racocium, et sciscitando, si ratam habuerit illam administrationem; sed Excelentissimam Celsitudinem Vestram rogandam esse duxi, quantenus pro incomparabili zelo suo, et amore ad Religionem nostram, non dedignetur recordari illius dioecesis, in qua periclitatur Unio Sancta, dum quidam Pseudo Episcopus Stoyka nuncupatus multos ordinat in (f. 155 v) Praesbiteros, et eosdem Schismate inficit; ideoque multi relabuntur in priscos errores, cui vitio aliter obviari non potest, nisi per provisionem velocem proprii Pastoris, optime de Sancta Unione merito, et Consultore Ord. S. Basilii M.<sup>36</sup> qui etiam a Sacra Congregatione de Prop. Fide ad eandem cathedram promovetur, sed nondum ipsi venit expeditio, quem si acceptaverit nec ne, Princeps Racocius in ambiguo est, nisi auctoritas Vicariae Excelentissimae Celsitudinis Vestrae Potestatis se interposuerit. Atque dum haec Excelentissimae Vestrae Celsitudini defero, gratiae, et favoribus eiusdem solitis me insinuo, submississimo cultu et observantia summi nominis, et dignitatis Exc. Celsitudinis Vestrae concludendo, manendoque ..

Ex Monasterio S. Salvatoris, 24 Junii 1710.

## 22.

*Uroz, 24 VIII 1710.*

*De constitutione Procuratoris Romani, nec non de promotione Religiosorum ad Episcopatus, et de Cathedra Haliciensi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 359-60.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Inter densum . . . in Regno nostro agmen, quando nos auxiliaris ab Aquilone potentia premit, et ab Oriente Bystonica, ut vulgatur, instat, tum Angelus percussor extendit gladium suum plectendo peccata nostra, neque datur mihi spatium ad gratiarum actionem pro cumulatis in me Ill.mae Dominationis Vestrae beneficiis, imo neque audeo Ill.mam Dominationem Vestram importunare correspondentia mea, expers meritorum erga eandem. Resumpta nihilominus confidentia parendo amplissimis Ill.mae Dominationis Vestrae curis circa obsequiorum meorum exhibitionem, et observantiam debitam magni nominis et honoris Ill.mae Dominationis Vestrae

<sup>34</sup> Cfr. notam 23.

<sup>35</sup> Dominus comitatus Mukačoviensis, qui iure patronatus in Eparchia Mukačoviensi tunc temporis gaudebat.

<sup>36</sup> Videtur, hic innui P. Polycarpus Filipovycz, Procurator olim in Urbe (1690-1701), qui revera nominationem ad Sedem Mukačoviensem hoc anno obtinuit.

utor compendio. Proponit mihi R. P. Procurator Ordinis nostri modernus ad promotionem et curam negotiorum meorum Romae Magnificum D. Josephum Tinum, quasi ab Ill.ma Dominatione Vestra sibi monstratum, et porrectum; quodsi iste est praestolor in hoc ab Ill.ma Dominatione Vestra resolutionem. Memini siquidem alium mihi ab Ill.ma Dominatione Vestra fuisse designatum. Deinde quia idem R. P. Procurator noster inter puncta Sacrae Congregationi nomine meo humiliter porrecta praeter velle meum, et scitum inseruit duo puncta, nempe ut Religiosi nostri a suis Superioribus appellantes in Causis, omisso foro medio, nempe Metropolitanano, possint movere ad Tribunal Sacrae Nunciaturae Apostolicae. Alterum est, quia Religiosi nostri non possunt ad Dignitates et Officia promoveri, nisi a Metropolitanano, Proto Archimandrita, et Consultoribus Ordinis nostri simul sumptis. Quae puncta, quia Iuribus Metropolitanis repugnant, et praeter scitum et consensum meum sunt inserta, et porrecta, obnixè Ill.mam Dominationem Vestram rogo, ne approbentur, aut declarentur. Neque enim in Sancitis Congregationis nostrae, anno proxime elapso peractae, aut in Memoriali meo sibi porrecto, ostendet illa duo puncta R. P. Procurator. Potius Ill.mae Dominationi Vestrae supplico, ut inter reliqua haec duo puncta eiusdem (f. 360) R. P. Procuratoris promotioni recommendata, quae tamen nescio quare siluit, nimirum ut Cathedra Haliciensis a Metropolia Kiioviensi avulsa eidem Metropoliae reuniatur; alterum, ut circa Diploma Regium in personam meam emanatum possim obtinere Installationem pro Archimandria Unioviensi,<sup>37</sup> vicina Leopoli, quorum punctorum dabit enucleationem, et causas poscendi idem R. P. Procurator exponat. Desideria haec mea non ambitum, aut lucri odorem spirant, sed primum Iura Metropolitana, alterum necessitatem Hierarchiae, et Religionis nostrae concernit. Ideoque quia in gratia Ill.mae Vestrae Dominationis sortientur effectum minime ambigo, pro quo quia non me duntaxat, verum totam Religionem nostram arctissimis vinculis obligatam sibi habitura est Ill.ma Sua Dominationis spondendo, eiusdem Ill.mae Dominationis Vestrae benevolentiae solitae et futuri recommendo maneoque perenni cultu

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Colendissimi

Servus humillimus.

GEORGIUS WINNICKI, Episcopus Premisl. (mp).

In Vroz, die 24 Augusti 1710.

P. S. — Illud Ill.mae Dominationi Vestrae expono, quia in nexu Metropolitanano cum Religione cautum est, ut Promovendi Metropolitanano a Religione recommendentur, qui eos recommendet Regi in ordine ad aliquam dignitatem impetrandam, et obtinendam. De favoribus Ill.mae Dominationis Vestrae erga me specialibus refert mihi etiam R. P. Procurator, pro quibus summas agendo gratias, quemadmodum Officii huius mei Author extitisti, Gratosissime Patrone, ita ut mihi in eodem assistere digneris, benevolentiae eiusdem supplico. Sine protectione enim Ill.mae Dominationis Vestrae etiam vivere nolo, quam vitam meam obsequiis eiusdem immolo. Licet mihi R. P. Nominatus Polocensis<sup>38</sup> iniuriam fecerit, quia ad se accepit ex manibus Ill.mae Dominationis Vestrae expeditionem, quam hactenus non video, non

<sup>37</sup> Archimandriam hanc tunc temporis obtinebat adhuc Barlaam Szeptycky, Episcopus Leopoliensis, qui eam anno 1713 Athanasio Szeptycky cessit.

<sup>38</sup> P. Silvester Pieszkevycz.

sine damno bonorum ecclesiasticorum, pereuntium inique in manibus Possessorum saecularium, quae bona non possum vindicare absque expeditione, cum non sim adhuc actu Metropolitanus.

(f. 360v) Et in hoc mihi fecit iniuriam Rnd.mus P. Nominatus, quia Nepotem meum etiam ultra dispositionem Ill.mae Suae Dominationis secum ad me ducit, non relictum in Germania. Ego vero, uti et Ill.mae Dominationis Vestrae mens erat, volui perfectiorem in scientia et artibus videre Nepotem meum, quam nunc revertitur ad me. Ad extremum supplico humillime Ill.mae Dominationi Vestrae, dignetur manutenere Officium meum hoc, quod mihi, mediante benevolentia Ill.mae Dominationis Vestrae collatum est, ne luribus eius praëiudicetur a quopiam, imo etiamsi nomine meo porrigantur aliqua desideria, dignetur deliberare, donec constiterit de consensu meo; timeo enim cuniculos, quorum ferax est praesens saeculum.

## 23.

*Peremysl, 30. X. 1710.*

*Iuramentum fidelitatis novi Metropolitanæ.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 574, fol. 83-84.

Ego Georgius Winnicki, Ritus Graeci, Episcopus Premislien. ac Chiovien. et Halicien. Archiepiscopus, electus et confirmatus, satisfaciendo et conformando me mandatis S. Sedis Apostolicae, in Literis Provisionis de dicto Archiepiscopatu in forma Bullae more Romanae Curiae sub datum: Apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo decimo, Nonis Maii,<sup>39</sup> emanato expressis, fidelitatis iuramentum, quod mihi coram Illustrissimis et Reverendissimis Archiepiscopo Leopoliens. Ritus Armeni et Episcopis Chelmen. ac Luceorien. praestari iniunctum est, cum ob modernam in Regno Poloniae pestis ubique fere grassantis infectionem, ac difficilem viarum propter turmas militares hac et illac transmigrantes transitum, ipsos commode adire non possem, sub ratihabitatione S. Sedis Apostolicae, uti Matris indulgentissimae, hoc idem fidelitatis iuramentum ad Sancta Dei Evangelia in manibus et coram Ill.mo ac Rev.mo Domino Joanne Casimiro de Alter Boscum, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopo Premislien. latino,<sup>40</sup> residentiae meae Vicario, et in loco a contagione pestifera per Dei gratiam libero manente, prout in dictis literis Provisionis continetur, et est descriptum, praestiti.

Ego Georgius Winnicki, nuper Episcopus Premislien., in Kijovien. et Halicien. Archiepiscopum Electus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino Nostro Domino Clementi Papae XI<sup>mo</sup>, eiusque Successoribus canonice Intrañtib, non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet inferantur, quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam, Papatum Romanum et Regalia Santi Petri, adiutor eis

<sup>39</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 12, nr. 629.

<sup>40</sup> Joannes Bokum (1700-1718).

ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem, legatum Apostolicae Sedis ineundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae et Successorum praefatorum conservare, defendere, augere, et promovere curabo, nec ero in consilio, facto, vel tractatu in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel praeiudicialia personae, honoris, iuris, status, et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscunque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse et quantocius potero commode significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos, et rebelles Domino Nostro et Successoribus praefatis pro (f. 83v) posse persequar et impugnabo, vocatus ad Synodum veniam et nisi praepeditus fuero canonica praepeditione, Apostolorum Limina singulis decenniis personaliter ac per me ipsum visitabo, et Domino Nostro et Successoribus praefatis rationem reddam de toto meo Pastoralis Officio, deque rebus omnibus ad meae Ecclesiae statum, ad Cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim Mandata Apostolica praefata humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero praefata omnia adimplebo per certum Nuncium, ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio Capituli mei, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum Sacerdotem et, Clero deficiente, omnino per aliquem alium Presbyterum saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De eiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem proponentem in Congregatione Concilii Tridentini per supradictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad Mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae inconsulto Romano Pontifice, et Constitutionem super prohibitione Investiturarum Bonorum Iurisdictionalium, de Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam servabo, et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo.

Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Quam Juramenti formulam, sic ut praemissum est, praesentibus insertam cum profundissimo cultu ac veneratione Sanctae Sedis Apostolicae, ad pedes Sanctissimi Domini Nostri Papae provolutus remitto, et in fidem promissorum manu propria me subscribo, hac die trigesima Mensis Octobris, Anno Domini 1710.

GEORGIUS Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

Ita esse attestor Jo. Casimirus Episc. Premislien.

Praesens circa praemissa fui et ita facta esse attestor (mp).

LUDOVICUS WATHOVIC V. I. D. Proth. Apostolicus Can. Proc.

Et quia Ego Michael Iacobi Mielecki Cong. Jaroslaviensis, (f. 84) Publicus S. Auctoritate Apostolica et Actorum Curiae superscripti Ill.mi et Rev.mi et Domini Episcopi Premislien. Notarius, S. Regiae Maiestatis Secretarius, praemissis omnibus, dum sic coram praelibato Ill.mo et Rev.mo Domino Episcopo, praesente et assistente superscripto ipsius Causarum Auditore fierent et agerentur, tum circa subscriptiones tam Ill.mi et Rev.mi Domini Archiepiscopi Kioviensis, quam Ill.mi et Rev.mi



Domini Episcopi Premislien. atque ipsius Perillustris Auditoris praesens interfui, ac praemissum fidelitatis iuramentum, sic ut supra praestitum et auscultatum pensavi, ideo hoc praesens Instrumentum desuper conscriptum, manu mea propria subscriptum, signoque, nomine, et cognomine meis solitis, quibus in talibus utor communitum, extradidi rogatus et requisitus.

Idem qui supra, manu propria.

## 24.

Wielunice, 4 . XI . 1710.

*Transmittit professionem fidei et sese excusat de non observantia mandatorum S. Sedis in illa emittenda.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 574, fol. 79-80.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Nec modus habilis, nec verba paria reperiri possunt, quibus vel meas millenas obligationes, vel collata in me Ill.mae ac Reverendissimae D.nis Vestrae beneficia exprimere valeam; studio tamen omni et conatu adniti volo, ut vel minimum maximae meae gratitudinis et obligationis documentum Ill.mae ac Rnd.mae D.ni Vestrae sit perspectum, cui meae intentioni cum per praesentes Regni nostri, a Deo Maximo in virga ferrea visitati, calamitates satis fieri nequeat, cum spe, et in spe felicioris horae, et nunc debito cultu, et ea qua par est reverentia, gratiam et favorem Ill.mae ac Rnd.mae Dominationis Vestrae mihi toties (f. 79v) praestitum implorare praesumo, quatenus in rapraesentando emisso a me Juramento fidelitatis suam addere non dedignetur operam, et ut illud benigne rati habeatur interpositione sua efficere non abnuat. Erant quidem designati per Literas Apostolicas Ill.mi ac Reverendissimi D.ni, Archiepiscopus Ritus Armeni Leopoliensis,<sup>41</sup> Episcopi Luceoriensis et Chelmensis Ritus latini,<sup>42</sup> sed illi omnes, grassante peste, et aliis huius Regni molestiis perseverantibus, et extra suas dioeceses, et ultra quam adiri possunt degunt, ideo viciniorem, scilicet Ill.mum ac Reverendissimum Dominum Episcopum Premisliensem, uti docebunt documenta a me transmissa, eligere statui, non quidem gratia accelerandae accipiendae possessionis Ecclesiae Archiepiscopalis Kyovien., quia illa extra Regnum est, sed ad avertenda aliqua (f. 80) pericula Unioni S. imminetia, quae hic exprimere non est de tempore. Ab omni itaque Regimine Officii Metropolitanum abstinere mihi visum est, donec Sanctae Sedis Apostolicae placitum super emisso meo Juramento mihi innotescat. Nihilominus supplicandum Sacrae Congregationi Eminentissimorum Patrum, mediante etiam interpositione Ill.mae D.nis Vestrae, congruum duxi de aliquo oportuno remedio, admittendi me in possessionem Ecclesiae Halicien., quae etiam antiquis temporibus et per Bullam Clementis Octavi Cathedrae Kyovien. (quae nunc a me possideri nequit) perpetuum unita, a Leopoliensi Episcopo in Disunione possessa, nunc ut redeat et Metropolitanum reddatur, ipsa iustitia Ill.mae ac Rnd.mae D.nis

<sup>41</sup> Vartanus Hunanian (1700-1718).

<sup>42</sup> Alexander Wyhowski, Ep. Luceoriensis (1702-1714), et Casimirus Lubienski, Ep. Chelmensis (1705-1711).

Vestrae summe est necessaria, quam iterata vice et prece exposcens, circa debitam meam obligationem et submissionem constanti cultu maneo.

Illustrissimae ac Reverendissimae D.nis Vestrae, Domini, Patroni mei Colendis-  
simi

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI

Archiep. Metr. totius Russiae (mpr).

In Villa Wielunice dicta, die 4ta 9bris 1710.

P. S. - Literas, non inscriptas quidem propter oblivionem in itinere nominis Perillustri Domini Canonici de Biancardis, ni fallor, hic accludere praesumo in virtute gratiae Ill.mae Dominationis Vestrae, cui supplico quatenus eidem Domino Canonico consignentur ibidemque negotia expressa recommendentur.

## 25.

*Wielunice, 4 . XI . 1710.*

*Transmittit professionem fidei et explicat cur eam coram Episcopo Peremyliensi emisit.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 574, fol. 82rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Principes,  
Domini et Patroni Colendissimi.

Tenuitatis meae nullis suffragantibus qualitatibus aut aliquibus adstipulantibus meritis, sed unico favore et gratia Emin.marum Domi.num Vestrarum ad fastigium Archiepiscopatus Metropolitanus Russiae Unitae sublimatus, acceptis iam Litteris Apostolicis id ipsum gratiose confirmantibus, dum Mandata Vicariae Christi Potestatis ibidem expressa de emittendo Juramento coram Ill.mis ac Rnd.mis Dominis, Archiepiscopo Ritus Armeni Leopoliensi, Episcopis vero Ritus Latini Luceoriensi et Chelmensi, pro debita mea veneratione adimplere satago, et ingruentia in istud Regnum Divinae Nemesis, peccatis nostris promerentibus, plagarum diversa genera, signanter ingentis pestis et non cessantis exterarum militiarum hinc inde commeatus, eosdem Ill.mos ac Rnd.mos extra suas Dioceses, et longius quam a me adiri possent descendere fecerunt, sub futura ratihabitione Sanctae Sedis Apostolicae etiam viciniore pro nunc in Dioecesi Premisliensi residenti, scilicet Ill.mo ac Rnd.mo Domino Joanni Casimiro Bocum, Episcopo Ritus Latini Premisliensi, eum quoque maximo meo incommodo et viarum periculo reperiens, hunc honorem detuli, et Juramentum emittere necessitatibus Unionis S. sum coactus. Cuius Juramenti dum ad S. Sedem Apostolicam transmitti fidem, praemissa mea omni submissione Eminentissimis Domi.nibus Vestris, et non tot quin pluribus in vim receptorum ab Eminentissimis Domi.nibus Vestris beneficiorum gratiarum actionibus, et quoad vita supersit repraesentantibus etiam inter Sacras Aras particularibus meis obligationibus, humillime supplicatum venio, quatenus interpositione Eminentissimarum (f. 82v) Dominationum Vestrarum Sanctissimus Dominus Noster istud meum fidelitatis Juramentum taliter emissum clementissime ratihabeat meque tanquam fidelissimum S. Matris Ecclesiae Filium ad futuros in S. Unione, non modicum pro nunc periclitante, labores Apostolica Benedictione muniat et prosequatur. Et cum Cathedra Archiepiscopatus Kyoviensis extra limites Regni existat, et ideo possideri nequeat, Haliciensis vero et in antecessum et per Bullam Clementis Octavi perpetuo unita, stante solum Disunione, quae et gregem

et legem in Russia susdeque inverterat, per Episcopum Leopoliensem occupata, ast modo iam perseverante in his partibus S. Unione, et hodierno iussu Excellentissimi ac Rnd.mi Domini Nuntii Apostolici Neoconsecrato a me Episcopo unito,<sup>43</sup> ut redeat ad suum Sponsum Sponsa, et Pastori proprio reddatur Ovile, tum quae in hoc negotio exponet Rnd.us Pater Procurator Ordinis nostri,<sup>44</sup> ut benignam reperiat aurem, Emin.mas Dominationes Vestras exorandas esse percipio, quarum sacerrimas lacinias debito veneror basio maneoque

Eminentissimarum Celsitudinum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum, Dominorum, Patronorum meorum Colendissimorum devotissimus et humillimus

GEORGIUS WINNICKI,

Archiep. Metr. totius Russiae (mpr).

In Villa Wielunice dicta, die 4ta Novembris 1710.

## 26.

*Uroz, 21. XII. 1710.*

*De iuramento et professione fidei, de consecratione Archiepiscopi Polocensis, nec non de Cathedra Haliciensi.*

APP, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 576, fol. 572rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi Principes, Domini, Patroni Clementissimi.

Primis diebus Novembris cum debita submissione mea significavi Eminentissimis Vestris iuramentum fidelitatis meae emissum in manibus Ill.mi Domini Bokum, Episcopi Premisliensis,<sup>45</sup> quod si ratihabetur, gemino pro resolutione supplicationem meam. Enim vero tanquam fidelissimus filius obedientiae satago, ut etiam cogitatione mea non delinquam contra Sanctam Sedem Apostolicam. Sunt vero multa negotia peragenda, quae si differrem, immineret periculum Religioni nostrae, et tamen negotia haec non audeo aggredi sine notitia de ratihabitione praedicti iuramenti mei. In iisdem literis meis significavi Eminentissimis Vestris peractam esse die 9 Novembris consecrationem Ill.mi Domini Pieszkiewicz, Archiepiscopi Polocensis<sup>46</sup>; in villa quidem haec consecratio expedita est, sed decentissime, in frequentia Nobilitatis, et populi. Urbes siquidem adire non licet nunc apud nos, tum ob grassantem pestilentiam, tum propter transeuntes, et consistentes ubique varias copias militares. (f. 572v) Cathedra Haliciensis a primaeva sua creatione ad Metropoliam Kyoviensem spectans, ut per mandatum Eminentiarum Vestrarum eidem Metropoliae reuniatur, humillime supplico, metuendo ne silentium meum praeiudicet Iuribus Metropolitanis. In reliquo Sacras Eminentiarum Vestrarum Purpuras osculando, maneo profundissimo cultu, Emin.marum ac Revd.marum Dom.num Vestrarum, Dominorum Patronorum meorum Clem.

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Arch. Metr. t. Russiae

Urozijs, die 21. Xbris 1710.

<sup>43</sup> Barlaam Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1710-1715).

<sup>44</sup> Fortasse iam novus Procurator, P. Hilarion Kruševyč (1710-1712).

<sup>45</sup> Joannes Bokum, Ep. Peremysliensis (1700-1718).

<sup>46</sup> Primum Procurator in Urbe (1701-1710).

## 27.

Uroz, 21. XII. 1710.

*De eodem iuramento et professione fidei, de consecratione Archiep. Polocensis et de Cathedra Haliciensis.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 576, fol. 574rv.

Illustrissime et Reverendissime Domine, Domine, Patrone Observantissime.

Quamvis vereor plurimas easque gravissimas Ill.mae Dominationis Vestrae inquietare curas, nihilominus, persuasus de cumulo gratiarum et beneficiorum Ill.mae Dominationis Vestrae, audeo. Significavi iam Ill.mae Dominationi Vestrae primis diebus 9bris de Iuramento fidelitatis meae, emisso in manibus Ill.mi Domini Bokum, Episcopi Premisliensis, de cuius ratihabitione cum nullam adhuc a Sancta Sede Apostolica habeam resolutionem, pro hac per auctoritatem Ill.mae Dominationis Vestrae humiliter supplico. Multa enim instant negotia expedienda, quae tamen aggredi non audeo absque praevia ratihabitione, quamvis ex dilatione eorum negotiorum imminuant pericula Religioni nostrae. In iisdem Literis meis nunciavi Ill.mae Dominationi Vestrae peragendam consecrationem Ill.mi Domini Pieszkiewicz, moderni Archiepiscopi Polocensis, quae et absoluta est die 9na 9mbris in villa quidem, sed cum debita decentia et decore, in frequentia Nobilitatis, et populi; neque enim fas est nobis in praesenti rerum facie adire Civitates, tum propter ferventem variis in locis pestilentiam, tum propter discurrentes varias copias militares,<sup>47</sup> quae possent negotium aliquod facessere; unde nec mirum est, si in Cathedra mea non possum residere, nec pro eo mereo censuram. Nam per decennium, hoc est post apprehensionem Officii mei, ob multa discrimina latebras et aliquando extra limites Regni securitatem quaerere cogor, nihilominus (f. 574v) meditullio Urbium mearum Cathedralium, nimirum Premisliensis, Samboriensis, et Sanocensis, habeo residentiam in Monasterio meo, ex quo necessitatibus Cleri et gregis ... prospicio, sine detrimento in cura animarum, et Officii mei. Accedit et hoc, quia Episcopatus meus non habet praeter duas villas exiguas, et has praesentibus calamitatibus desolatas, et, nisi sustentarer ex bonis paternis, valde deberem egere, quamvis amiserim iam villam meam unam hereditariam propter expensas in necessitates Religionis, et pro augmento Unionis Sanctae. Propter quam plantandam et dilatandam etiam Antecessor et frater meus pie memoriae Innocentius Winnicki<sup>48</sup> diminuit bona nostra hereditaria, cum iniuria pupillorum, post alterum fratrem meum saecularem derelictorum. Quam iustificationem meam propter non residentiam meam in Cathedra, ne incidam censuram, dum expono Ill.mae Dominationi Vestrae, addo etiam hoc, quia Cathedra Haliciensis, a primaeva erectione sua ad Metropoliā Kioviensem spectans, ab eadem avulsa est, unde metuendo ne praedictum Juribus Metropolitanis inferatur ideoque per summam auctoritatem Ill.mae Dominationis Vestrae Sacrae Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Congregationi supplico, quatenus per speciale eius mandatum praedicta Cathedra Haliciensis Metropoliā Kioviensi tanquam pars suo toti reuniatur. Pluribus non

<sup>47</sup> Semper agitur de bello s. d. septentrionali, in quo tum Polonia, tum Suetia, tum Moscovia, nec non Ucraina cosacica Joannis Mazepa partem habuit. Bellum hoc praesertim in terris Ucrainae et Bielarussiae contendebatur. Inde innumerae fere copiae militares territoria haec percurebant, populos opprimendo et depraedando.

<sup>48</sup> Episcopus Peremyshliensis (1680-1700). Obiit die 14 . II . 1700.

onerando amplissimas (f. 577) Ill.mae Dominationis Vestrae curas, solitae eiusdem gratiae, et favoribus cum perenni obligatione bene merendi in illis recommendando, maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Observantissimi

Servus osequentissimus

GEORGIUS WINNICKI,

Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (impria.)

Die 21. Xbris 1710.

P. S. — Defero et hoc Ill.Mae Dominationi Vestrae, quia duos iam consecravi in Episcopos<sup>49</sup> circa proprium sumptum meum; adhuc restant quinque Ordinandi, si et illi meum sumptum et impensas pro suis inaugurationibus praetendent, amplius non sufficiam.

Scripsi etiam Ill.mae Dominationi Vestrae in Septembre adhuc, quia errore Domini Fini, quo non egebam pro Agente, porrecta sunt Sacrae Congregationi desideria mea in memoriali, talia de quibus multis neque somniavi. Igitur rogo Ill.mam Dominationem Suam, ut iubeat Procuratori Ordinis nostri, quatenus memoriale manu mea subscriptum producat Ill.mae Dominationi Vestrae, ex quo colliget quae desideria Sacrae Congregationi porrecta a meis discrepant.

28.

*Uroz, 1 . 1 . 1711*

*Gratias agit, de recursibus romanis, de Decimis, de Archiep. Polocensi, de expensis consecrationis Episcoporum, de Nepote, de nominatione Agentis Romani, de commendatione penes Regem Poloniae, et de iuramento et professione fidei transmissa.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 576, fol. 575-576v.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Observandissime.

Literas Ill.mae Dominationis Vestrae die 4. 8bris exaratas cum omni cultu, et osculo earum recepi nudius tertius, quae mihi in afflictionibus meis summum attulerunt solamen, ac levamen, dum in illis lego continuationem benevolentiae, et propensionis Ill.mae Dominationis Vestrae erga me, nullis meritis meis sibi obstrictum, pro quo non solum erubesco, sed etiam scrupulum habeo, quia tanta, et tot beneficia de manibus Ill.mae Dominationis Vestrae accipiendo, remereri ea nequeo; cum tamen memor sim eius moniti, qui aquam hauris puteum corona, post summas nihilominus gratiarum actiones pro tantis Ill.mae Dominationis Vestrae erga me favoribus, quia eos remerendi non datur campus mihi, precor iugiter Deum, ut Ill.mam Dominationem Vestram servet diutissime incolumem ac felicem Ecclesiae ac gloriae suae, tum mihi et Religionis nostrae, eius Ill.ma Dominatio Vestra singulare es decus, et columnen. Multam mihi parit obligationem candidum et venerandum Ill.mae Dominationis Vestrae monitum, ne scilicet in desideriis Religionis nostrae Officii que mei ad Urbem Sanctam recurram, inconsulto prius Ill.mo ac Rn.do Domino Nuntio Apo-

<sup>49</sup> Archiepiscoporum Polocensem, Sylsvestrum Pieszkevycz, et Barlaam Szeptyckyj, Episcopum Leopoliensem.

stolico in Regno nostro; promptus huic pariturque sum, quod etiam hactenus ab ipso limine Officii mei episcopalis observavi; semper enim in recursibus meis ad Caput Orbis Vicarios Apostolicos in Regno nostro pro tempore existentes consului, quamvis, nescio qua arcana sorte Religionis nostrae, et Officii mei desideria, nam privata non promovi, hactenus irrita manserint; quoniam et Clerus meus in eadem navi navigat, verum a potestate saeculari pressus, et decimae per Parochos latinos, non a subditis duntaxat, etiam Sacerdotibus unitis in Dioecesi mea etiam vi extorquentur, et oves meae de Ritu suo ad latinum, contra expressum felicissimae recordationis Urbani VIII, Pontificis Maximi, impune transeunt, quando vident Generosum Eliam Wislocki Nobilem unitum pro simili ausu inultum, neque revocatum ad suum anteriorem nativum Ritu, quem D. Wislocki caeteri, ac praesertim Nobiles pro speculo, et sibi idea proponunt, et imitantur. Unde reliqui Dioecesani mei sigillant me, quasi incurius sim, circa ea quae concernunt Officium meum, imaginanturque me non obviare pressuris his Cleri et Religionis nostrae, non intelligentes, quia huius rei temporum continua calamitas, et armorum fragor est causa, non mea incuria, et segnitie, aut vigilantissima, et clementissima SS.mi Domini Nostri circa nos, et Ritu nostrum providentia.

Quae mihi Ill.ma Sua Dominatio scribit de Ill.mo Domino Pieszkiewicz, Archiepiscopo Polocensi,<sup>50</sup> congratulor (f. 575v) huic Praelato, quod eam in oculis Ill.mae Dominationis Vestrae invenerit gratiam, etiam Religioni nostrae amplius, si haec augeri potest, quia in summo gradu est, profuturam. Neque ego a praefato Archipraesule aversus sum, et quando recepi Sacerrimae Congregationis, et ipsius Ill.mae Dominationis Vestrae mandatum pro ipso inaugurando, alacer executus sum illud, in Villa quidem, nam ab Urbibus arcet nos pestilentia, verum tamen in numerosa Cleri, Nobilitatis, et populi frequentia. Sumptum de proprio pro actu consecrationis eius, aequantem summam quinque millium florenorum polonicalium impendi, qui de paupertate mea certe debet ipsi sufficiens esse pro praemio in vim obsequii eius Romae mihi impensi. Enimvero ipse etiam exinanitus, ac deplumatus sum continua tum auxiliariis, tum nostris militibus solvendo Lytra pro miseris colonis. Episcopalia bona mea sunt duo viculi parvi, et hi desolati. Metropolia titularis tantum absque omni proventu, patrimonialia etiam bona mea ad extremam in his calamitatibus pervenerunt ruinam, quae etiam piae memoriae frater, et Antecessor meus diminuit, plantando in hac Dioecesi Unionem Sanctam, immo debita etiam nobis Successoribus reliquit, quae solvendo, atque etiam necessitates Religionis promovendo, ego quoque paternae substantiae non peperi, cum iniuria sanguinis mei; ad nullam vero ex vacantiis in Hierarchia nostra extendi manum, et tamen etiam alii competitores ad me convertunt oculos suos, ut de proprio pro consecrationibus eorum provideam sumptum, quem non habeo. Impossibile vero est humanibus in sicca arena antelucanum colligere rorem.

Quos vero favores, et beneficia Nepoti meo indigno hic Ill.ma Dominatio Sua praestare dignata est, mihi eadem praestitit, pro quibus omnibus dum uberrima gratiarum actiones Ill.mae Dominationi Vestrae exsolvo, spondeo cauturum me etiam testamento, ut Nepos meus cum tota Domo sua summo nomini, et honori Ill.mae Vestrae Dominationis pro cumulo beneficiorum tantorum sit obligatissimus, quem admodum et ego sum obligatus, etiam pro eo, quia ex speciali Ill.mae Dominationis Vestrae providentia et circumspectione Nepos meus non est recta ad me directus

<sup>50</sup> Consacratus die 9 Novembris 1710.

sed remansit Olomucii; exploratum enim habeo, quia Ill.mus Polocensis voluit eum ad me retrogradum facere, et vitulum missum bovem reducere. Superaddit et hoc mihi obligationes copiosas, quia Ill.ma Dominatio Vestra desideria mea, in Memoriali concredito R. P. Hilarioni Kruszewicz,<sup>51</sup> moderno Ordinis nostri Procuratori expressa, cribrare dignata est, neque omnibus credere, et admittere. Multa enim praeter meum scitum, et velle adiecta sunt, aliqua vero omissa, aut suspensa. Unde supplico humiliter, quatenus nulla unquam nomine meo porrecta desideria admittantur nisi signanter, et expresse manu mea subscripta. Pro nominatione etiam, quam gratisime accepto, Perillustris Domini Canonici Michaelis Bianczardy, ut assistat negotiis meis, et Religionis nostrae mancipatissimus sum (f. 576) Ill.mae Dominationi, neque alium flagito; haec tantum iniquior est sors mea, quia non datur mihi in praesentibus circumstantiis campus gratificandi ei pro impensis, et impendendis laboribus in rem mei, et Religionis. Curabo nihilominus modum satisfactionis debitae, in cuius propensione erga me dignetur Ill.ma Dominatio Vestra me solidare, et reciprocum affectum meum eidem spondere obnixè.

Auget in me gratiarum actiones etiam memoria, amor, et zelus Ill.mae Dominationis Vestrae erga Religionem nostram, cui compatiendo ruinas Polocensis Ecclesiae,<sup>52</sup> et pericula Religiosorum Ill.ma Dominatio Vestra dignata est exponere SS.mo Domino, Communi Orbis terrarum et nostro Patri, atque ab eodem ferventes instantias ad Regnatorem nostrum, tum ad Primatem ac Procancellarium Regni impetrare<sup>53</sup>, ut nos protegat, pro quo aeternum Ill.mae Dominationi Vestrae universa gens nostra unita debet, et erigit Colossus. Nuntiatum est mihi quia Sacra Maiestas Regia deputavit me pro indagandis iniuriis Religioni nostrae ab Auxiliariis irrogatis. Verum nondum pervenit ad me talis Commissio, quae licet sit mihi periculosa, nam est in materia odiosa, et res est cum potentia obnoxia Unioni Sanctae, et sumptus mihi deest, nihilominus sub auspiciis Petri, et Successoris eius, tum Ill.mae Dominationis Vestrae resolvam me paratus etiam vitam meam litare Unioni Sanctae. Tantum supplico Ill.mae Dominationi Vestrae pro instantia speciali Beatissimi Domini ad Serenissimum Regem nostrum, ut me protegat, et defendat ac quia vigore officii mei etiam longinquum mihi in Lithuaniam imminet iter, ut in hac Dioecesi, et in reliquis Patrimonii mei, absente me, sit securitas, protectioque Regia. Audeo adhuc supplicare Ill.mae Dominationi Vestrae, ut in Pontificia ad Regem instantia apponatur, quatenus beneficio aliquo ex bonis suis Regalibus sublevet indigentiam meam, pro quo iam supplicavi, et supplicabo adhuc Maestati.

Exposui iam Ill.mae Dominationi Vestrae primis adhuc Novembris, cur non potuerim in manus designatorum in Bulla Pontificia Episcoporum Juramentum fidelitatis meae deponere, sed deposui illud in manus Ill.mi Bokum, Episcopi Premisliensis, mihi vicini, quod Juramentum meum licet non ratihaberetur a Sancta Sede Apostolica, aequo id ferrem animo. Nam sicut ante non ambiebam, ita etiam nunc non ambio fastigium Metropolitanum, et accelerationem exercitii Jurisdictionis Metropolitananae, quae mihi haec luca attulit, scilicet tribulationes, dolores, curas, et labores, ac ruinam propriae substantiae (f. 576v), sed pulsat pectus metus periculi in Sedibus vacantibus, orbatis solatio Pastorum suorum,<sup>54</sup> quos instituere indispensabilis urget necessitas, qui

<sup>51</sup> Novus Procurator in Urbe (1710-1712).

<sup>52</sup> In persecutione Czari Petri I, Moscoviae, multum passa et perpressa tum in monasteriis, tum in ecclesiis ruralibus. Cfr. s. d. «excidium Polocense» a. 1705, diebus 11-12 Julii.

<sup>53</sup> Stanislaus Szembek, Primas Poloniae (1706-1721).

<sup>54</sup> Vacabant tunc adhuc Eparchia Chelmensis, Luceoriensis (ob deportationem Episcopi), Smolenscensis, Volodimiriensis, nec non Mukačoviensis in Ucraina Carpatica.

institui non possunt absque Metropolitanis, habente plenum ius etiam iurisdictionis. In reliquo dignetur Ill.ma Dominatio Vestra parcere, quia excessi terminos epistolae ob multas necessitates Religionis nostrae, onerando gravissimas curas Ill.mae Dominationis Vestrae, ad quam nimiam confidentiam dispensarunt me bonitas, gratia, et specialissimi Ill.mae Dominationis Vestrae erga me favores, quibus me etiam nunc insinuando maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae, Domini, Patroni mei Observandissimi

Servus addictissimus  
 GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
 totius Russiae (m.pria).

Uroziis, die 1ma Januarii 1711.

## 29.

*Monast. SS. Salvatoris, 19 . I . 1711.*

*Gratias agit et novam supplicat protectionem, praesertim in recuperanda Cathedra Haliciensi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 576, fol. 573rv.

Eminentissime ac Rnd.me S. R. E. Princeps, Domine, Patrone Colendissime.

Officium Archiepiscopatus Metropolitanis Russiae humeris meis satis impartibus, et exilibus a Sancta Sede Apostolica impositum, prementibus nos undique malis et gravaminosis pro Unione Sancta insultibus, certo me insufficientem deprimeret, nisi spes firma in assistrice gratia Sanctissimi Domini Nostri elevaret animum, eoque magis resumere vires ad omnes labores hortaretur, quo magis per notitiam, datam mihi de singulari affectu et favore Emin.mae Dominationis Vestrae erga Basilianam Religionem, cuius indignus et ego Alumnus, nunc vero ad praesidentiam assumptus, redderet me certum, quod auspiciatissima Emin.mae Dominationis Vestrae protectione etiam in mediis iis nostris periculis tutissime versari poterimus. Accurro itaque supplicem dextram Em.mae Dominationis Vestrae rebus nostris implorando, ut non dedignetur manu tenere nos, et nostra Russiae negotia, si quando, tunc modo fidei catholicae (f. 573v) experimenta dantis, quod alia posta, cum humili mea adoratione, Em.mae Dominationi Vestrae, si non ero molestus, edisseram, modo vero pro Ecclesiae Haliciensis semper meo Archiepiscopatu unitae, et solum licentia Schismatis, semper divisionem amantis, dismembratae, causa a nostro Admodum Rndo Patre Procuratore Ordinis E.mae Dominationi Vestrae enucleanda, dum acclini poplite adicio preces, sacram eius laciniam debito veneror basio, et perenni cultu maneo

Eminentissimae ac Reverendissimae Dominationis V. Servus obsequentissimus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
 totius Russiae (manu propria).

Dabantur in Monasterio SS.mi Salvatoris, die 19 Januarii 1711.

## 30.

*Monast. SS. Salvatoris, 19 . I . 1711.*

*Eiusdem tenoris nec non de Cathedra Haliciensi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 379.



Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Humiliter deprecor Ill.mam Dominationem Vestram pro crebris importunitatibus meis, ad quas dispensat me bonitas Ill.mae Dominationis Vestrae, tum necessitas urget Officii mei, instigante etiam gratia, et impensissima erga me immeritum Ill.mae Dominationis Vestrae voluntate, in humeros meos languidos recepti, cum fide, et spe adiutorii Ill.mae Dominationis Vestrae, et protectionis. Quia vero non pridem prolixitate literarum mearum oneravi innumeras curas Ill.mae Dominationis Vestrae, parciore nunc calamo gratiae, et protectioni eius recomendo interesse Metropoliae Kyoviensis, a qua Cathedra Haliciensis avulsa est; quando, quibus modis, et quare R. P. Hilarion Kruszewicz, Ordinis nostri Romae Procurator,<sup>55</sup> exponet, cui, ut benignam Ill.ma Sua Dominatio in hoc caeterisque Religionis nostrae negotiis benignam aurem praebere dignetur, obnixè oro. Simulque coram caelo protestor, quia non lucra venando, aut cupiditates, a quibus alienus sum, nutriendo, pro reunione Cathedrae Haliciensis Metropoliae, tanquam suo corpori, loquor, sed exonerando conscientiam meam, vitandoque notam socordiae meae apud succedaneos meos, et deinde nullum opportunius tempus reunionis huius praeter praesens. Si vero aliquis venali spiritu imaginatas apud se difficultates proponet Ill.mae Dominationi Vestrae, et sacerimo Eminentissimorum Principum Collegio, nullo negotio hae dissolventur, et mentietur iniquitas sibi. Reliqua R. P. Ordinis nostri Procurator. Ego profundo cultu Ill.mam Dominationem Vestram venerando, maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae D.nis Vestrae

observantissimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Archiep. Metrop. totius Russiae

Die 19 Jan. 1711.

### 31.

*Mon. SS. Salvatoris, 21 . I . 1711.*

*Attestat de sopita lite inter Metropolitam et Ep. Leopoliensem.*

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol, 3, fol. 330rv.

Georgius Winnicki Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kyoviensis Haliciensis, totiusque Russiae Episcopus Premisliensis, Sanocensis, Samboriensis, Archimandrita Dermanensis, et Dubnensis.

Universis, et singulis, quoru minterest, vel intererit notum facimus per praesentes, quas sub fide, honore, et conscientia nostra damus, quod ab Ill.mo, et Rev.mo pie memoriae Metropolitanano Russiae Leone Zaleschi habendo nobis commissum negotium requirendi Cathedram Haliciensem, quam pro tunc possidebat itidem pie defunctus Rev.mus Josephus Szumlanski, fundata adhuc possessione in schismate, tunc autem iam in Unione existens, et cum hoc fine, et motivo in anno 1700 ipso descenderimus Leopolim, supremus dux exercitus Polonici (f. 300v), singularis Protector Unionis Sanctae, eiusque incrementa procurans, maxime in Dioecesi Leopoliensi, auctor primarius exterminatae disunionis, pie mem. Ill.mus Jablonovius, nos in persona nostra studio invitatos, semotis arbitris, fortissime est dehortatus, ut non

<sup>56</sup> Ann. 1710-1712.

solum ego desisterem a praemeditata actione, verum etiam, ut et Ill.mus Metropolitanus pateretur tantisper, validissimas dando rationes, ne in recenti accessu suo exacerbaretur litigiis iuris canonici, cui non erat assuetus idem Episcopus Leopoliensis, et quod ille recuperaverit aliqua bona ab Ecclesia Haliciensi avulsa, et sic persuasit, quod propter bonum Unionis, tanquam recenter evadenti cum ampla Dioecesi, dissimulatum est. Quod ita factum est inter nos, et supradictum Ill.mum Supremum Ducem verbo Episcopi assero, et testor. In quorum fidem hasce sigillo nostro unitas manu propria subscripsimus.

Datum in Monasterio S. Salvatoris, die 21 Ianuarii 1711.

GEORGIUS Archiep. Metrop. totius Russiae (L. S.)

### 32.

*Sambor, 18 . III . 1711.*

*Professio fidei novi Metropolitanæ Kioviensis.*

APF. *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 577, fol. 259-260.

Ego Georgius, Archiepiscopus Metropolitanus Kyioviensis, Haliciensis et totius Russiae, firma fide credo, et profiteor<sup>56</sup> omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, scilicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Coeli et Terrae, Visibilium omnium et Invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum et ex Patre natum ante omnia saecula Deum..... Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factam, Consubstantialem Patri, per Quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de Coelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in Coelum sedet ad Dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius Regni non erit finis, et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, Qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas, et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquas eiusdem Ecclesiae observationes et Constitutiones firmissime admitto et amplector, item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero..... et interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor, profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino Nostro instituta atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium illaque gratiam conferre et ex his Baptismum, Confirmationem et Matrimonium sine sacrilegio reiterari non posse; receptos quoque et approbatos (f. 259v) Ecclesiae Catholicae Ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solenni administratione recipio et admitto; omnia et singula quae de peccato originali et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio;

<sup>56</sup> Solita professio fidei, Orientalibus praescripta ab Urb ano VIII.

profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi fierique conversionem totius substantiae Panis in Corpus et totius substantiae Vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia Catholica transsubstantiationem appellat; fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuari; similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Apostolicam, Catholicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas et anathematisatas ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam (f. 260) usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere, et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari quantum in me erit curaturum.

Ego idem Georgius spondeo, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Anno Domini Millesimo septingentesimo undecimo, die vero decima octava Mensis Martii Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Georgius Winnicki, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kiioviensis, Haliciensis et totius Russiae etc.: etc., flexis genibus coram Illustrissimo et Reverendissimo Domino Leone Kiszka,<sup>57</sup> Vladimiriensi Brestensi Episcopo, Ritus Graeci Uniti, legendo de verbo ad verbum suprascriptam professionis fidei formam cum solito iuramento, super Sancto Evangelio in manibus eiusdem Illustrissimi Episcopi emisit. Actum Samborae, in Conventu Patrum Bernardinorum S. Francisci de Observantia. Praesentibus Reverendissimis Dominis Benedicto Godebski, Innocentio Piechovic, Ordinis Basilii Magni, Dorohobuscensi et Mielecensi Abbatibus, Magnificis ac Generosis Dominis Michaelae Pinck, Poculatore Inovroclaviensi, Stansilao Nalkiewicz et allis plurimis testibus ad id rogatis et adhibitibus, fide dignis et me Martino Vladislao Mielecki, Canonico Varsaviensi, Curato Starosolensi, Prothonotario Apostolico.

Et quia ego infrascriptus, hanc Professionem Fidei excepi in praesentia suprascripti Prothonotarii Apostolici, testiumque supraspecificatorum, ad hoc specialiter adhibitorum, ideo in fidem praefatorum subscribo.

LEO KISZKA, Episcopus Ritus Graeci  
Vladimiriensis et Brestensis (mpr).

<sup>57</sup> Leo Lucas Kiška, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1703-1713), Episcopus Vladimiriensis (1711-1728), et Metropolita Kioviensis (1714-1728). Cfr. de eius vita et activitate *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum*, vol. IV, Romae 1958.

## 33.

*Monast. SS. Salvatoris, 26 . IV . 1711.**De erectione Seminarii Peremysliensis.*APF. *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 577, fol. 540rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Principes, Domini,  
Domini, Patroni Clementissimi.

In Literis Eminentissimarum Dominationum Vestrarum, ignoro cur tardo passu ad me perlatis, ea qua decet et a me debetur observantia cum submisso osculo receptis, postquam voluntatem Eminentiarum Vestrarum in ratione Seminarii Premysliae instituti expressam acceperim, praemissa mea Eminentis Vestris submissione et debito cultu, qua possum brevitate meas expono intentiones. Supplicavisse me pluries S. Congregationi atque SS.mo Domino Nostro in negotio isto, volendo quantotius videre perfectum hoc opus, et data mihi gratia atque pro inchoatione assignata summa (pro qua humillime uti retuli etiam nunc refero grates) iam institueram admoveere manum etiam, ut inscripta tum Domus Paterna in Civitate Premysliensi, tum alia quaeque consignarentur dispositioni Seminarii; ast Varsaviae, anno superiori, sollicitus sum per Illustrissimum Dominum Nuntium,<sup>58</sup> tum Rn.dum Patrem Trombetti de uniendo Seminario Premysliensi cum Leopoliensi Armenorum; opposui rationes et reflexiones impediens perceptum desiderium et putavi tam Ill.mum et Rn.dum Nuntium, quam Rn.mum P. Trombetti fuisse satisfactum, cum in hucusque amplius in hoc silentium erat. Nunc vero, notificato mihi mandato et imperio Eminentiarum Vestrarum, promptissime parere non recuso, uti a nutibus Eminentiarum Vestrarum totus quantus dependens, solummodo ut non graventur Eminentiae Vestrae benignam praebere aurem meis exponendis rationibus humillime supplico. Scilicet mentem meam fuisse, ornandi Clero docto et morigerato Diocesim Premysliensem, in vicinia tamen Cathedrae iuvenibus educandis, ut facilius in nidulo suo a teneris annis hic assuescant etiam locum amare non externo solacere caelo, tum etiam ut iuvenes commodo tempore et a studiis libero Chatedrae in devotionibus et choro assistant. Ritus, Cere monias ecclesiasticas in praxi addiscant et totos sese componant ad mores Cleri nostri; accedit quod Parentes supplicant mihi ut prae oculis habeantur filii, nullatenus concedendo, ut in Collegio mixto Armenis consistant; est enim aliquid internum, quod Ruthenos minime convenire cum Armenis toties comprobavit. Cum itaque in declivio dierum meorum, postposito etiam turbulento temporum statu, festine abrumpant casus vel occasus has cogitationes stabilire opus pium, et secutis sanguinis mei et fortunae paternae haeredum fati, ulterius augere proventus ex paupere haereditate (f. 540v) Antenatorum meorum Seminario Praemisliensi destino. Nihil mihi restat, nisi Eminensissimarum Dominationum Vestrarum clementissimam gratiam implorare, ut mediante illa SS.mus Dominus Noster superna benedictione confirmet quod operatus est in me ad decorem Cleri nostri a principio. Adjungo per P. Procuratorem nostrum pro Juribus Metropolitanis in causa Cathedrae Haliciensis informationem, in qua expressa documenta originalia penes me teneo, et volueram illa Illustrissimo Domino Nuntio praesentare, sed cum propter tempus praesens Illus-

---

<sup>58</sup> Nicolaus Spinola (1707-1712).

trissimas Dominationes Vestras, quatenus audito P. Procuratore nostro benigne an-  
nueunt et decident, exorandas duxi, uti circa humilem supplicationem facio sacrasque ea-  
rundem lacinias debito veneror osculo, et maneo

Eminentissimarum ac Rd.marum Domin. Vestrarum

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI Archiep. Metrop. totius Russiae

In Monasterio S. Salvatoris ad montes, die 26 Aprilis, Anno D. 1711.

34.

*Monast. SS. Salvatoris, 29 . VI . 1711.*

*Commendat negotia suae Ecclesiae a Procuratore in Urbe referenda.*

APF. *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 578, fol. 27.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Praemissa solita Ill.mae Dominationis Vestrae observantia, infelicem Episcopat-  
us Luceoriensis<sup>59</sup> uniti statum pro munere Officii mei Ill.mae Dominationi Vestrae  
referre non intermitto. Sed ne sim prolixitate gravis, commisi Venerabili P. Procu-  
ratori Ordinis nostri omnia, et singula Ill.mae Dominationi Vestrae nomine meo  
referenda. Cui ut facilem Ill.ma Dominatio Vestra aurem accommodare non dedi-  
gnetur dum enixe oro, solitae gratiae et protectioni Ill.mae Dominationis Vestrae me  
cum tota Hierarchia nostra recomendo, maneoque

Illustrissimae ac Revendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae (mpr).

Datum in Monasterio S. Salvatoris, die 29 Iunii 1711.

35.

*Monast. SS. Salvatoris, 23 . I . 1712.*

*De erectione Seminarii Peremysliensis ad Nuntium Poloniae.*

APF. *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 581, fol. 141.

Copia di lettera scritta dal Metropolita a Monsignor Nunzio intorno i Collegii.<sup>60</sup>

Illustrissime, Excellentissime et Rnd.me Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.

Jam per integrum lustrum et amplius, ex quo nimirum hoc grave Onus Pastro-  
rale caepit incumbere imbecillibus humeris meis, non destiti frequenti et sollicita prece

<sup>59</sup> Post exilium Episcopi Luceoriensis Dionysii Zabokryckyj, inde ab anno 1709, et depor-  
tationem eius in Moscoviam a Petro I, Czaro, procuratam. Nec non ob tentamina Cyrilli Szum-  
lanskyj, qui Eparchiam hanc auxilio eiusdem Czari occupare eamque ad schisma reducere  
contendebat.

<sup>60</sup> Nicolaus Spinola (1707-1712).

pulsare ostium munificentiae Sacrae Congregationis pro erigendo in hac Dioecesi mea Seminario. Verum cum angustiae et assiduae calamitates temporum praesentium obstant, quominus optato fructu supplicationum mearum gaudere possim, cupiens in declivio saltem dierum meorum videre aliqua quamvis tenuia iacta huius operis adeo necessarii fundamenta, et exordia, rem circa illud iterum inii cum Rev.mo Patre Trombetti<sup>61</sup> illamque cum ipso ita digessi, prout hoc humillimo foglio Excellentissimae Dominationi Vestrae oculis subiicio.

Quandoquidem id fixum semper animi mei decretum fuit et est, voluntate et placito Sacrae Congregationis DD.meorum Clementissimorum regere omnes intentiones et actiones meas, nollem etiam et in praesenti negocio ab hac Regula agentorum meorum vel ad latum unguem descendere. Proinde si, prout hactenus videtur, ab eadem desideratum et mihiq; per Excellentissimam Dominationem Vestram etiam aliquatenus intimatum hoc Seminarium incorporari debet cum Collegio eiusdem Leopoliensi, conferre paratus sum pro illo indilate in numerata pecunia decem millia florenorum polonicalium, idque in locum alterius aequalis summae inscriptae a me aliquot retro abhinc annis ad eundem effectum in certo stabili meo Praemissis sito cassandamque per istam. Si autem benigne annuere voluerit eadem Sacra Congregatio (ad quod magis vota mea me trahunt), ut idem Seminarium distinctim Praemissis ad Cathedram meam instituat, inscribere pro eodem polliceor in bonis meis haereditariis quadraginta millia florenorum polonicalium, minime ambigendo, quod haec studia mea in rem Ecclesiae obsequium eiusdem non intermittet secundare etiam ex parte sua Sacra Congregatio hac saltem beneficentia ad praesens, ut illa summa decem circiter millium, ex domo quoque mea promanata occasione certae dispensationis indultae, eidem ac primitus statim destinata pro hoc opere a S. Sede Apostolica, nec non etiam ab ipsa Sacra Congregatione appromissa caedat eidem Seminario. Quod vero concernit delectum Rectorum, quibus gubernari debet, depromet Excellentissima Dominatio Vestra circa hoc mentem meam a Rnd.mo Patre Trombetti, una cum aliis precibus meis, cuius operam hoc in passu efflagitavi, ut illas non gravaretur defferre in sinum gratiosissimum Excell.mae Dominationis Vestrae. In quem etiam ego totum me quantum obsequiosissimo et reverendissimo cultu coniciendo, eius sacram deosculor manum, maenoque

Excellentissimae Ill.mae Dominationis Vestrae

humillimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metrop.  
totius Russiae (manu propria)

In Monasterio S. Salvatoris, die 23 Januarii 1712.

### 36.

*Monast. SS. Salvatoris, 6 . VI . 1712*

*Conqueritur de Canonico Peremysliensi, Metlant.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 3, fol. 402rv.

<sup>61</sup> Stephanus Trombetti, Theatinus, Rector Pontificii Collegii Leopoliensis (1706-1723).

Illustrissime ac Revd.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Quia litteratoria tessera mea officiorum meorum erga Illustrissimam Dominationem Vestram interpolata est, non segnitiei mei crimen est, sed discretionis virtus, ne curas eius amplissimas importunitate mea distraham. Sed quia adactus primum privilegiis Religionis nostrae cum S. Matre Romana Ecclesia unitae, deinde laesione officii mei episcopalis et metropolitani, in basi gratiarum erga me Ill.mae Dominationis Vestrae, eidem haec significanda duxi. Quia Clerus latinus Dioecesis Premisliensis lateres super lateres amplificat Clero meo, et signanter R. P. Metlant, Canonicus Premisliensis, nititur convellere iurisdictionem meam, idque in hoc merito causae. Quidam Nobilis, Basilius Vstrzycki, origine et Ritu a suis Antecessoribus ab immemorabili tempore Graeco Unitus, possidens Villam Czelatycze nuncupatam tractus est ad Iudicium Consistoriale latinum Premisliense in Causa decimarum praetensarum ex praedio suo, et indebite citatus ad idem Officium Ritus Latini Premisliense Consistoriale non comparendo remedia iuris a Tribunali S. Nuntiaturae in Regno nostro exportavit, ubi stetit Decretum remittens citatum ad forum meum competens, quo non contentus Canonicus alte praefatus Metlant per cuniculos molitur hanc causam promovere et urgere in Areopago Signaturae Iustitiae. Quae causa dum per tertium caput meum tangit, et cardines iurisdictionis Hierarchiae nostrae unitae movere nititur (f. 402v), pietatem et zelum quo aestuat Illustrissima ac Rev.ma Dominatio Vestra erga nationem et Hierarchiam nostram excitandum, ac inflammandum duxi his precibus: salva nos, Domine. Immo dignetur a S. Eminentissimorum Dominorum Cardinalium de Propaganda Fide Collegio impetrare instantiam ad Tribunal Signaturae Iustitiae de confirmando Decreto illo S. Nuntiaturae, quo nobis illaesa iurisdictionis servatur in subditos nostros, immo et ad Excellentissimum ac Ill.mum Nuntium Apostolicum in Regno nostro nunc feliciter commorantem, quatenus non solum periclitantem humilem personam meam tueri, sed etiam universae Religionis et Hierarchiae nostrae opitulari non dedignetur. Reliqua Perillustris Dominus Canonicus Angelus Banczardy, quem rogo pro Internuntio ad Ill.mam ac Rndiss.mam Dominationem Vestram, cuius profundo cultu maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus, obsequentissimus Servus  
 GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
 totius Russiae (mpp).

Datum in Mon. S. Salvatoris, die 6 Junii 1712.

P. S. — Nolui esse molestus in hucusque Ill.ssimae ac Revd.mae Dominationi Vestrae implorando opem Clero meo seu Parochis in bonis praecise ad Mensam Regiam spectantibus, ubi stante Disunione ex fundis dotalibus ecclesiarum exigebatur census ad Fiscum Regium, sed iam ad Unionem venientibus Serenissimus pie defunctus Joannes III,<sup>62</sup> conformiter ad immunitatem ecclesiasticam, vetuit amplius hos fundos esse vectigales, et modernus feliciter regnans Augustus secundus<sup>63</sup> per sua rescripta idem vetuit, sed Domini Commissarii et ad Cameram deputati ad audiendas rationes proventuum Mensae Regiae minime huic sunt obedientes. Sicuti ergo Serenissimi Regis gratia vere Clero nostro est grata, ita privatorum odia sunt intollerabilia. Idem supplicandum duxi suae Ill.mae Dominationi, quatenus Sac. Congre-

<sup>62</sup> Joannes III Sobieski, Rex Poloniae (1674-1696).

<sup>63</sup> Annis 1697-1733.

gatio saltem Ill.issimum Dominum Cancellarium Regni Szembek<sup>64</sup> convenire dignetur de avertenda illa vexa in Oeconomia Samboriensi a fundis ecclesiasticis, et ut ille census absolute abrogetur.

## 37.

*Peremysl, 1712.*

*Actum iuridicum foundationis Seminarii Peremysliensis, inscriptum in libris Castrensibus Capitanealibus Peremysliensibus.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 587, fol. 390rv.

Actum in Castro Premysliensi, Feria tertia post Festum Sancti Martini, Pontificis, proxima, Anno Domini Millesimo septingentesimo duodecimo.

Coram officio et actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus personaliter comparens Ill. mus, Excellentissimus ac Rd. mus Dominus Georgius Winnicki, Archiepiscopus Metropolitanus Kioviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Premyslien. Sanocensis et Samboriensis, Archimandrita Kiovo-Peczarensis, Dermaniensis et Dubnensis, sanus mente et corpore etc. a Terris, Districtibus, Juribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premysliensi Jurisdictioni quoad actum hunc attinet se cum Successoribus ac bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo palam, libere, publice, ac per espressum recognovit. Qualiter ipse ab ipsis primordiis devoluti in se imbecillesque lacertos suos huius tam formidandi ipsis Atlanticis et Angelicis humeris Pastoralis muneris sui inter alias curas ac sollicitudines quas continuamente versabat, nulla magis in hunc usque diem premebatur et angebatur, quam quod videret non sine summo sensu doloris profundissimisque suspiriis ac gemitibus Agrum Dominicum curae suae providentiaeque commissum adeo male excultum, nec non nisi exiguum valde fructum coelesti Patrifamilias redentem, idque non ex alia ratione, nisi quod esto messis sit copiosa, operarii tamen idonei admodum pauci, et qui deberent sementem salutaris doctrinae iacere in corde fidelium ipsi plerumque defectu eiusdem laborant, praepediti quominus animum intendere possint ad literas et scientias necessarias tam inopia rerum temporalium, quam etiam aliis praessuris suis.

Proinde volens opportune pro modulo ac viribus suis occurrere huic malo Dioecesis suae, quandoquidem ad normam Cleri consuevit componi populus, quod pridem animo suo in hanc rem conceperat ad praescriptum Sacrorum Canonum, maxime vero Sacri Concilii Tridentini, fundandi et erigendi in sua Dioecesi Seminarium aliquod Clericorum necessarium institutioni Juventutis Nationis Ruthenae in scientiis et virtutibus, maxime statui clericali necessariis in eodem statu, suo tempore deserviturae Ecclesiae, praecipue autem in hac ipsa Dioecesi, hoc exequi modo intendens operique manum admovens, de illa licet exigua portione bonorum suorum quae accepta habet a munificentissima manu Dei gratiose, etsi praesentium angustiarum et calamitatum tempore, ad hunc effectum elargitur actuque donat et inscribit quadraginta millia florenorum ponolicalium moneta in Regno currenti. Idque in bonis suis haereditariis, Czaple dictis, cum attinentiis eorundem, videlicet Humieniec, Janow et

<sup>64</sup> Joannes Szembek, Cancellarius Regni Poloniae (1711-1731).



Wolica, in Palatinatu Russiae, Terra vero Premisliensi sitis, a quibus quotannis census ecclesiasticus, computando septem pro centum, perpetuis temporibus ab Haeredibus et Possessoribus eorundem bonorum indispensabiliter pendi punctualissimeque quolibet anno duabus temporum ratis, prima pro die et Festo Conversionis Sancti Pauli Apostoli, altera similiter pro die et Festo Sancti Michaelis Archangeli exsolvi debeat, nulla habita ratione ullarum prorsus calamitatum, ita ut ob illas diminui in qua parte sui ob easdem emergentes quascumque calamitates possit etsi id in aliis censibus practicari aliunde videretur. Idque sub vadio aliorum quadraginta millium florenorum polonicalium in casu per se Successoresque suos bonorum praenominatorum Villae Czaple cum attinentiis per Haeredes et Possessores contraventionis, nec aliter nisi in parata pecunia semper, non autem in frumentis ac aliis victualibus ad solvendum succumbendo, et coram quovis Iudicio spirituali sive etiam Officio Castrensi Capitaneali Premisliensi cum Successoribus, et bonorum dictorum Haeredibus et Possessoribus, preemtorie respondebit. Ad quam suam fundationem et Seminarii erectionem Curiam hic Praemisliae in Platea Leopoliensi, prope Ecclesiam Cathedralem Ritus Graeci sitam, in parte muratam in parte ex ligno extractam, valorum septem millium florenorum polonicalium, adscribit, associat cum libera dispositione et proventuum perceptione per Rectorem Seminarii erigendi. Intromissionem tam in bona Czaple cum attinentiis et censu annuo onerata quam et in Curiam praedictam admittit. Pro tuitione et evictione ab omnibus impedimentis cavet. Hoc tamen cautum sibi vult idem Excellentissimus Fundator, ut casu quo vellet ipse, durante sua vita, hunc censum redimere sublevareque sua bona isto onere, sive transferendo praefatam quadraginta millium summam, quam ad praesens inscribit, in alia bona sua munda cum obligatione eiusque census, sive comparando bona correspondentia huic summae et fructus ex illa proveniendi applicando eidem Seminario, id ei omnino liberum et integrum esse debet, minime tamen intendendo hoc ipsum servire debet aliis succedaneis suis haeredibus dictorum bonorum Czaple, nisi prout et in quantum ad maius bonum et commodum eiusdem Seminarii videretur id expedire Sacrae Congregationi (f. 390) de Propaganda Fide, aut Excellentissimo Nuntio in Regno Poloniae pro tempore. Quorum protectioni et potestati plene et perfecte in perpetuum subiicit praefatus toties iam Fundator ipsum hoc suum Seminarium, quodsi autem, Superis volentibus, contingeret, ut ante consumationem huius operis praecotiora fata evocarent eundem ex hac vita ad meliorem, declarat insuper hanc esse firmam absolutamque voluntatem hoc Seminarium non alibi erigi debere, nisi Premisliae ad Cathedralem suam Sancti Joannis. Item quod pro regimine et gubernio illius eligat Patres Ordinis Sancti Basilii Magni, Congregationis Lithuaniae SS. mae Trinitatis, designandos successive per Rev. mum Protoarchimandritam eiusdem Congregationis, qui etiam pro maiori commodo iuventutis dicti Seminarii Rutheni assument in se onus instruendi eandem omnibus ordinariis literis et scientiis tam humanioribus quam severioribus, absque eo quod discursare per vicos et compita Civitatis causa studiorum ad scholas externas debeant; qua in re ne impedi possint ab ullo, maxime vero a scholarum publicarum in eodem loco Praepositis, validissimum praesidium Sacrae Congregationis prospiciat. Quia autem ad bonam administrationem eiusdem non minimum conferre potest, ut tam Rector ipsius quam Professores si non perpetui sint, saltem tamen quam rarissime mutantur. Ideo idem Excellentissimus Dominus Metropolitae hoc etiam obtestatur cupitque opportune provideri hac in parte, tum per praefatum Rndi. mum Protoarchimandritam Ordinis, tum per Sacram Congregationem de Propaganda Fide ac Excellentissimum Dominum Nuntium Regni Poloniae, quod tamen totum ab eo dependet, si praefati Patres, cum quibus adhuc super hac re ob diversa sua impedimenta com-

municare non licuit mentemque ac animum ipsorum explorare, hanc eius in se benevolentiae affectusque significationem ratam gratamque habuerint onusque guberni illius Seminarii suscipere non detractaverint, iuxta propositiones et pacta suo tempore ipsis proponenda ac mutuo inter se definienda seorsivoque stipulativo instrumento roboranda et ab eadem Sacra Congregatione approbanda. Sin minus autem iidem consentire vellent ad suscipiendam curam regimenque illius, in tali casu reservat sibi Ius liberum deligendi alios in hunc finem.

Prout etiam (si iidem praefati Patres Basiliani quod minime credit) non responderent debito suo ac votis ipsius in regendo et gubernando eodem Seminario, ita quod vel res familiaris male per ipsos administraretur, vel deficerent in congrua educatione iuventutis illius, humillime eandem Sacram Congregationem implorat, quatenus auctoritate sua illos stare officiis suis compellat. Quandoquidem autem mens unica Fundatoris est iuvandi hoc opere Dioecesim suam per aptationem subiectorum et operariorum idoneorum, ideo vult idem Excellentissimus Recognoscens, ut iuventus, quam educari et instrui continget in dicto Seminario, speciali Juramento obstricta maneat non solum ad conservationem inviolabilem Ritus Rutheno Graeci, sed etiam ad amplectendum Statum Ecclesiasticum Saecularem in eodem Rito, ac ad perseverandum in hac Dioecesi eidemque obsequendum. Insuper hoc etiam cautum vult, ne proventus aliter, quam ipsa rei natura exigit convertantur, ut is qui administrationem illorum habebit, nimirum Rector Seminarii quotannis reddat rationem perceptorum et expensorum Sacrae Congregationi vel Excell.mo pro tempore Domino Nuncio, iuxta morem et consuetudinem, ut in aliis Collegiis et Seminariis Sacrae Congregationis praticatur. Cum autem optime notum perspectumque idem Excellentissimus Fundator sibi habeat, non posse ulla opera certioem habere firmitatem, stabilitatem ac perennitatem, nisi quae post Divinum Apostolico uti Vicario Eiusdem praesidio ac protectione succollantur et roborantur, ut hoc idem Seminarium tanto magis perpetuari possit ampliarique maioribus ac maioribus semper incrementis, prout superioris iam innuit, ita etiam nunc palam facit, non aliter velle illud constare, nisi ut perpetua subiectione et protectione gaudeat tam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quam Ill.mi et Excellentissimi Domini Nuncii, prout humillime reverendissimeque idem exorat, ne velint dedignari dictae protectioni et tutelae suae hoc eius debitaе observantiae devotionisque in se monumentum aggregare, hac sua praesenti personali Recognitione ad praemissa mediante.

## 38.

*Lavriv, 27 . I . 1713.*

*Refert de statu Eparchiae Mukaczoviensis.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 587, fol. 41rv.

Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. E. Principes, Domini,  
Domini Colendissimi.

Ex quo inclytum Hungariae Regnum internis bellorum motibus agitatam Regionis et Religionis perpetiebatur detrimenta, non sine amaro corde nostros Ruthenos Pastores orbatos, desertos et plane iegibus destitutos ad varios impingi scopulos spectare ex hac vicinia Dioecesis meae videbar, pro solatio erat spes in brevi exitu belli. Ast nunc felici iam stante illius Regni tranquillitate, tantum animarum christianarum catholicarum naufragium ad Schisma imo ad Calvinismum lapsus, Parochos non so-

lum a pseudo Episcopis Ordinibus initiatos, Parochianos suos ad schisma pertrahere aut cum iisdem in Calvinismum labi plures, Deus scit quibus modis sese pro sacerdotibus ostentando miseram seducere plebem, Chrisma Sacrum nec noscere, omnia denique polluere, quis cordatus absque summo cordolio percipiet, et amplissimam Provinciam Unioni Sanctae magnis conatibus, laboribus aggregatam tam facile divelli quis non doleat? solam et unicam Pastoris absentiam radicem tantorum malorum considerando. Quae etsi aliunde esse nota (f. 41v) Eminentissimis Dom.nibus Vestris non dubito, pro mea tamen debita in rem Unionis Sanctae et Ritus nostri propensione ac officio administratoriali, quod tamen paucissimi recognoverunt, ideo deferre Eminentissimis Dom.nibus Vestris iudicavi, quia tanto tractu temporis sperarem et hanc difficultatem inter Sanctam Sedem Apostolicam et Sacram C. Maiestatem installationi proprii Pastoris ad Sedem Munkaczynensem<sup>65</sup> obstantem iam explanatam esse, adeoque nihil restare, nisi gratiam Eminentissimarum Domi.num Vestrarum, et ad SS.num interpositionem ad maturandum et perficiendum opus S. Ecclesiae proficuum, salvandis animabus necessariissimum. Quam gratiam cum et ego ad solatium Herarchiae nostrae Roxolanae humili supplicatione ab Eminentissimis Domi.nibus Vestris exposco, sacras earundem lacinias devoto veneror basio, perennique cultu maneo

Eminentissimarum ac Rd.marum D.num Vestrarum

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae (mpr).

Ex Monasterio Lavroviensi S. Onufrij, 27 Januarii 1713.

### 39.

*Monast. SS. Salvatoris, 5. III. 1713.*

*De fundatione Seminarii Peremysliensis et de praedjudiciali luribus Metropolitanis nominatione Coadiutoris Leopoliensis.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 587, fol. 388, 392.

Eminentissimi ac Rn.dissimi Sacrae Romanae Ecclesiae Principes,  
Domini, Patroni Colendissimi.

Ex literis Eminentissimarum Dominationum Vestrarum, adhuc anno elapso in Novembri datis, a me vero anno et die praesenti, ea qua par est veneratione, ac debito earundem osculo receptis, intellexi, etsi exile, pro tenuitate fortunae meae, Collegio Leopoliensi praestitum obsequium placere Eminentissimis Dominationibus Vestris, et intentiones meae circa Seminarium Premisliense per Admodum R. Patrem Trombetti relatae ut promoveantur, exhortari me ab Eminentissimis Dominationibus Vestris itidem vidi. Jam vero eas esse effectuatatas, et Excellentissimus ac Rnd.ssimus

<sup>65</sup> Post obitum Josephi de Camillis (1689-1706) Sedes haec usque ad annum 1715 vacabat, ob dissensus circa ius nominationis Episcopi, Sedem Apostolicam, Aulam Viennensem et Principem Rakoczy inter. Anno 1710 nominationem a Sede Apostolica P. Polycarpus Filipovycz obtinuit, sed ab Aula Viennensi admissus non fuit. Et viceversa Candidatus Aulae Viennensis, Josephus Hodermarskyj non potuit obtinere confirmationem S. Sedis.

Dominus Nuntius,<sup>66</sup> cui inscriptionem authenticam quadraginta septem millium communicavi, debuerat Sacrae Congregationi notificare, et Ill. mus ac Rnd. ssimus Dominus Secretarius,<sup>67</sup> cui itidem hoc iam delatum est, perspectum habere, et non solum haec summa, sed et maior, Deo dante, adinveniri poterit, etsi deberem iniurius esse ex paternis sortibus sanguini meo. Non pro gloria aut iactantia aliqua mea exponere Eminentissimis Dominationibus Vestris necesse duxi, sed ut quantocius (quod etiam humillima prece exposco) consequar operis huius et officiosae inscriptionis ratihibitionem et confirmationem. Jam enim hoc vere fundamenta iacere, aedificia disponere, Professores inducere, et studium inchoare statui, nihil intermittens, ut quam primum videam consummatum negotium, Dioecesi huic plurimum proficuum (f. 388v) et saluberrimum Unioni Sacrae, pro cuius tuitione et praeterito turbine contra potentiam oppositione, ultra praeteritas persecutiones, millenorum odiorum praesentia spiramenta, et omnium Schismaticorum conspirationes, ac tum per literas Aquilonaris Potentiae,<sup>68</sup> tum per verba promissas vindictas dum perpetior et sustineo, gloriae mihi duco, non dolori; ast ab amicis et Collegis meis opprimi, et in iuribus Officio Metropolitanano servientibus iacturam sentire, cum summo sensu doloris et cum cordialissima resolutione prorsus hoc officium abdicare, quam talia sufferre, Eminentissimis Dominationibus Vestris aperire, praemissa debita ac submissa veneratione, muneris mei esse iudicavi. Rnd. ssimus enim Dominus Episcopus Leopoliensis<sup>69</sup> clanculum, per subiecta in Unione dissensionem facere studentia, procuravit in personam Nepotis sui saecularis<sup>70</sup> Coadiutoriam a Sacra Regia Maiestate, omisso Officio Metropolitanano (cuius confirmandi ad has Dignitates ius est), ad Episcopatum Leopoliensem, et Haliciensem in lite existentem, ita ut immediate ab Urbe petat confirmationem et consecrandi sibi facultatem, ad ultimum dedecus ordinatissimae Hierarchiae nostrae, et primum scandalum vicinis adversariis nostris. Non spero hoc illi successurum vel exemplo Antecessoris sui Rnd. mi quondam Szumlanski,<sup>71</sup> qui in simili negotio remissus fuit ad meum Antecessorem Metropolitanum. Nihilominus ne adinventis rationum figmentis, et palliata Unionis S. manutentione aliquid praeeconcepta nonnullorum tentet vaficies, sed ut ille futurus Orator, et huius causae Promotor vere incompetens (f. 392) collisionem magis Hierarchiae nostrae procurans redarguatur et reiciatur, humillima supplicatione hoc meum praeveniens epistolium plantis Eminentissimarum Dominationum Vestrarum quam reverentissime substerno. Imo cum iam cessere pericula (quod verbo episcopali assero) definitivam pro Cathedra Haliciensi, tam diu protractam, avidissime expecto ab Eminentissimis Dominationibus Vestris, quarum Sacras Purpuras submisso veneror osculo.

Eminentissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum

humillimus Servus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae (m. propria).

Ex Monast. S. Salvatoris, die 5 Martii 1713.

<sup>66</sup> Hieronymus Grimaldi, Nuntius Varsaviensis (1712-1720).

<sup>67</sup> Silvius de' Cavalieri, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1707-1717).

<sup>68</sup> Agitur de Moscovia, eiusque Czaro Petro I (1682-1725).

<sup>69</sup> Barlaam Szeptyckyj (1710-1715).

<sup>70</sup> Athanasius Szeptyckyj, dein Episcopus Leopoliensis (1715-1746), et Metropolita Kioviensis (1729-1746).

<sup>71</sup> Josephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis (1677-1708), qui Eparchiam hanc S. Sedis Apostolicae an. 1700 univit.

## 40.

*Monast. SS. Salvatoris, 5 . III . 1713.*

*De Coadiutoria Leopoliensi, Iuribus Metropolitanis praecudiciali, et de recuperatione Cathedrae Haliciensis.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 587, fol. 389, 391.

Illustrissime et Rnd.ssimè Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Pluries a me molestata Ill.ssimam Rnd.ssimam Dominationem Vestram in negotio Cathedrae Haliciensis non solum pro hoc ausu placandam, verum non amplius inquietandam, regula morum discretio iussit; ast novum molimen Rd.ssimi Leopoliensis Episcopi etiam ultimam meam patientiam rumpere adegit, et pulsare officium pristinae gratiae Dominationis Vestrae Ill.ssimae, mihi faventissimae, persuasit nullis legibus detenta necessitas Iura Metropolitana tuendi et sustinendi. Dum enim summa cum mortificatione productis tot documentis luculentissimis pro Cathedra Haliciensi, Metropolitanis debita, cuius inanem tutelam, mihi a SS.mo Domino nostro datam gero, suspensam tantisper resolutionem praestolor, ecce spes meas eludere conatur Rnd.ssimus Leopoliensis,<sup>72</sup> adinvento medio, et procuratione alicuius (cuius nomini parco, quia necdum de illo sum persuasus), obtinet Nominationem Serenissimi moderni Regis, clanculum, et plane dolose, pro persona Nepotis sui, adhuc aciu saecularis iuvenis, et hanc directe ad Urbem vel direxit vel dirigendam habet, insciis tum me, tum caeteris Dominis Coepiscopis, firmiter sperans, et quasi promissum iam habens, votorum suorum in obtinenda confirmatione, et iurium meorum pessumdate, competentem fore. Non scio tamen, quo suo merito aut aliquo insigni in Unionem Sanctam facto. Claudat prius oculos meos ultima hora, quam aspiciam a primordio, ut dicam, christianitatis in Russia usu receptas et practicas, et nunc apud Schismaticos retentas, meis vero antecedaneis in accessu Unionis a Sancta Sede Apostolica roboratas, confirmatas, (f. 389v) et per alterum saeculum inviolabiliter mantentas praerogativas atque facultates, nunc in diebus meis miseris persecutionum, martyriorum plenis, incipere collabi, et astu unius subiecti ad incitas impelli. Non sufficebat extorsisse a me consecrationem,<sup>73</sup> additis potentiorum minis, nisi etiam et iura mea eriperet, non dico mea, iam enim debilitate virium et negotiorum mole protrudor ad occasum, sed quisquis ille futurus, qui sentimento doloris tanta facta percipiet, et gratiosum operatorem in vinea Domini sese exhibebit, ignoro. Nisi me fulciret gratiosus affectus Dominationis Vestrae Ill.mae et aequitas ipsa causae, quod non patietur confirmationem Episcoporum Metropolitanis solis debitam eripi, et necdum terminatae causae novam admitti implicentiam, vere animo desponderem, et ab omnibus curis et officiis longe me constituerem; supplico itaque Dominationi Vestrae Ill.mae, benignissimam in hoc porrigat dexteram, et redundat ora iniquissime promoventium novarum dissensionum materiem; si vero tanta necessitas huius creandi Coadiutoris, adinventis millenis figmentorum demonstraretur, ut ita dicam, larvis, ergo prius decidatur in Cathei dram Haliciensem nullum ius exstare Metropolitanis, et titulus mihi et antecedaneis mes-

<sup>72</sup> Barlaam Szeptyckyj (1710-1715).

<sup>73</sup> Barlaam Szeptyckyj ante suam consecrationem plurimas sustinere debuit contra se obiectiones, modoque speciali de paucis tantummodo spiritu catholico. In Episcopum tamen a Nobilitate postulabatur. Et revera optimum se monstravit Episcopum et pastorem gregis Domini.

a Sanctissima Sede Apostolica datus tollatur et eliminetur, uti iam ille et non dat, nec dare vult, et illo ipso gaudeat residens Kiioviae Pseudo Archiepiscopus. Confirmandi tamen Episcopum futurum Leopoliensem, ut hoc spoliari iure, quo demerito, qua culpa mea? non video; et cur felicior extitit Ill.mus pie defunctus (f. 391) Zalenski, Antecessor meus,<sup>74</sup> qui simili causae Leopoliensi obstando, a Sacra Congregatione remissam ad se obtinuit causam, non invenio. Haec pro obligatione mea conscientiosa Ill.mae Domini Vestrae exponere dum necesse habui, oro atque supplico, quatenus efficacissime interponat se apud Sacram Congregationem, ut suum cuique esse iubeat, quo magis in fraterna charitate et debita subordinatione Sancta aedificetur Sion, et unanimes pro pace et in pace fiant orationes, quas pro incolumitate et felici successu Ill.mae Dominationis Vestrae neque ego intermittam, cui omnia faustissima semper apprecans, plenissimo cultu maneo

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae

addictissimus Frater et Servus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae (mpr).

Ex Monast. S. Salvatoris, die 5 Martii 1713.

P.S. — Praemonitus et assecuratus de singulari gratia Dominationis Vestrae Ill.mae et data facultate, literas Perillustri Domino Canonico consignandas hic includendi nunc praesumpsi, fidens huic gratiae. Unde ne mihi vitio vertatur summe precor.

#### 41.

*Monast. SS. Salvatoris, 5 . III . 1713.*

*Refert de obitu Episcopi Luceoriensis, et explicat necessitatem provisionis eiusdem Ecclesiae.*

APF, *Scr. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 588, fol. 97.

Emin.mi ac Rn.dissimi S. R. Ecclesiae Principes, Domini et Patroni Colendissimi.

Dioecesis Luceoriensis, permanente misero statu captivati et in remotissimas terras abducti loci Ordinarii,<sup>75</sup> in hucusque solabatur spe reditus Pastoris sui, et sustentabatur ab Administratoribus. Nunc vero, cum et hac spe sit destituta, siquidem ultra particulares ex Moscovia relationes etiam ab ipso in Moschoviam expedito Poloniae Legato de obitu Luceoriensis Episcopi nostri vulgata fama, adhuc anxiam mentem, et ad providendum Successorem cunctantem tenebat animum. Ast modo a primariis Ministris Serenissimi Regis nostri cum certum accepi clausisse dies suos Illustrissimum ac Rn.dissimum Dominum Zabokrzyccium, mediis diebus Iunii 1712, omnibus nobis in summo dolore, et moerore, Ecclesia vero sua in viduitate relicta, idcirco (praemissa eaque submissa Eminentissimis Dominationibus Vestris gratiarum actione, quod et Dioecesim hanc inter summas fluctuantem procellas manutenuerint auctoritate apostolica, et me ob eandem Dioecesim etiam vita periclitantem gratiosa fo-

<sup>74</sup> Metropolitanus Kioviensis (1694-1708).

<sup>75</sup> Dionysius Zabokryckyj, deportatus in Moscoviam a Czaro Moscoviae, Petro I, an. 1709. Obiit in carcere ut confessor fidei catholicae.

verint protectione, Serenissimo Rege per suam praesentationem ad hanc sedem vacantem subiectum dignum nominante, Ecclesiae vero miserrimo statu exigente, non minus territante machinatione Apostatae et Intrusi a potentia externa Szumlanscii,<sup>76</sup> qui omnino satagit reinductionem sui, ad consecrationem et institutionem iam Nominati et Electi descendere pro iure et facultate Metropolitanis Russiae concessa descendere necesse iudico et iam accingor, quod Eminentissimis Dominationibus Vestris referendum pro mea debita ac solita S. Sedi Apostolicae submissione minime distuli, ut in hoc opere, in quo res Unionis Sanctae periculo expositas stabiliendas spero, apostolica iuvar benedictione Eminentissimarum Dominationum Vestrarum, quarum sacras venerabundus exosculor purpuras et maneo

Eminentissimarum ac Rnd.ssimarum Dominationum Vestrarum

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Archiep. Metropolitanus  
totius Russiae (mpr).

In Monas. S. Salvatoris, die 5 Maii 1713.

#### 42.

*Suprasl, 13 . VIII . 1713.*

*De Seminarii Peremysliensis fundatione, et de aliis negotiis Ecclesiae suae, praesertim vero de Ecclesia Tylicensi.*

APF, *Scrirtt, rif. n. Congreg. Generali*, vol. 590, fol. 205rv, 208.

Eminentissimi ac Rnd.mi Domini, Domini, Patroni Colendissimi.

Pergendo Vilnam pro Congregatione generali Ordinis nostri Basiliani, post elapsam quadriennium pro solita praxi designata,<sup>77</sup> recepi in via literas Eminentiarum Vestrarum die 8 Maii datas. Ex quibus cum osculo, summaque veneratione receptis ac perlectis intellexi mandatum Eminentiarum Vestrarum, ut coadunem Seminarium meum Premisliense Seminario Leopoliensi. Et quia in via distantissima a Posta, et in eremo quasi recepi has litteras, non potui statim ad illas respondere, nunc tamen nactus opportunitatem, praemissa Eminentissimis Vestris, Patronis meis Colendissimis, debita observantia compendiose, nam in itinere respondeo, pari humilitate ac veritate, quia nunquam votum meum erat coniungendi Seminarium meum Premisliense Leopoliensi Seminario, pro quo Leopoliensi Seminario R. P. Stephanus Trombetti, Collegii Pontificii Leopoliensis Praefectus, recepit a me summam viginti millium florenorum polonicalium, destinatum pro Seminario Premisliensi, quam summam R. P. Trombetti enumeravi, reddidi, quietationemque authenticam ab eodem, quam copiatim involvo, recepi, postea vero ex mandato Eminentiarum Vestrarum aliam summam maiorem de paupertate mea in bonis meis hereditariis pro Seminario meo Premisliensi inscripsi in Actis Castrensibus Premisliensibus,<sup>78</sup> idem Semina-

<sup>76</sup> Cyrillus Szumlanskyj, qui hoc anno cum auxilio Czari Petri I Eparchiam Luceoriensem occupare contendebat; instante S. Sede, a Rege Augusto II repulsam tamen passus est. Cfr. Brevia Pontificia in *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, pag. 26 et sequentibus, ann. 1711-1712.

<sup>77</sup> Agitur de Capitulo Generali Basilianorum Vilenensi an. 1713, diebus 25-31 Iulii. Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 21.

<sup>78</sup> Cfr. supra, sub anno 1712.

rium meum Premisliense Regimini et Curae Fratrum Ordinis nostri Basiliani commisi et in realem eorum possessionem, quam iam apprehenderunt, tradidi, fundationem meam in manus Ordinis nostri reddidi, atque ab eodem Ordine scriptum stipulativum recepi; tantum ignoro qua fatalitate mea fundatio (f. 205v) mea huius Seminarii authentica, adhuc in limine huius anni in manus Eminentissimi Domini Nuntii Apostolici moderni a me transmissa, non pervenit ad Sacram Eminentiarum Vestrarum Congregationem, quomodo ergo possem mutare intentionem meam, et quae iam statuta et firmiter conclusa sunt irritare? Sed de his fusius Eminentias Vestras informabit Congregatio generalis Ordinis nostri, nuper absoluta. Ego vero protestor coram ipsis Eminentissimis Vestris, Patronis meis Colendissimis, quia omnia et singula Eminentiarum Vestrarum imperia, tanquam filius obedientiae, paratus sum exequi, praeter haec, quia ex praemissis rationibus ab iisque non possum Seminarium meum Premisliense copulare Leopoliensi, proptereaque humillimas preces meas simultaneas iungo, ut Eminentiae Vestrae pro sua pietate, bonitate, zelo, et amore erga Religionem nostram unitam non dedignentur desideria omnia, pro quibus mecum tota Religio, et Ordo noster humillime supplicant, optato effectu coronare, nempe in negotio prohibiti transitus Ruthenorum unitorum ad Ritum Latinum, Cathedrae Haliciensis, spectantis ad Metropoliā, et Coadiutoriae Leopoliensis,<sup>79</sup> quam pro Nepote suo, Laico ex Curia Regia, exportavit Rnd.mus Episcopus Leopoliensis, cum praeiudicio Jurium Metropolitanorum. Ego vero addo negotium Ecclesiae Tylicensis afflictumque statum gregis illius uniti. Haec ex itinere incommodissimo breviter scribendo et supremae Eminentiarum Vestrarum protectioni me cum toto Ordine et Hierarchia Religioneque nostra unita recommendando, cum humillima deprecatione (f. 208), meo et totius Status nostri Hierarchici nomine, quia amplissimas Eminentiarum Vestrarum curas publicas inquietamus, fimbrias vestimentorum sacrorum Eminentiarum Vestrarum osculor maneoque

Eminentissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum

Servus humillimus

GEORGIUS WINNICKI, Archiepiscopus Metropolitanus  
totius Russiae (mpr).

Datum in Monasterio Suprasliensi, die 13 Augusti 1713.

---

<sup>79</sup> Coadiutoria haec locum tunc non habuit, sed post obitum Barlaami Szeptyckyj, Athanasius Szeptyckyj nominationem obtinuit ad Sedem Leopoliensem. Tunc temporis tantummodo Archimandriam obtinuit Unioviensem.





# INDICES



## INDEX NOMINUM ET RERUM

*Numeri referuntur ad paginas. Numeri cum « n » referuntur ad notas.*

- ABBAS 88. - Melecensis 84. - Suprasliensis 74.
- ABBATES advitalitii benedicti 108.
- ABBATIA Dermanensis 28. 145. - Dubnensis 145. - Suprasliensis 168. 177.
- ABBATIAE pro mensa Archiep. 83.
- ACADEMIA Cracoviensis 64. - Regni 54. - Zamosciensis 64.
- ACATHOLICI 239.
- ACTA Capituli Minscensis 182. - Novogrodecensis 164. 182. - Castrensia Premisliensis 272.
- ACTUS fundationis Seminarii Premisl. 265 - 267.
- ACTUS Cong. Basil. 109. - v. Basiliani.
- ACTUS juramenti 111. - v. Martiszkiewicz
- ADMINISTRATIO Eccl. et Bonorum in Russia 84. - Eparchiae Luceoriensis 222. - v. ibidem - Episcopatus Munkacincensis 227. - Monasteriorum 123. - Sacramentorum 77. 88. - Sedium vacantium 237.
- ADMINISTRATOR Metropoliae 5.
- ADVITALIATUS Superiorum 164. - v. Basiliani.
- ALBA RUSSIA 5. 97. 109. 163. 197. 204. 207. 214.
- ALEXANDER VII. PP. 34. 106. 109. 125. 154.
- ALTIERI Pauluzzo, Praef. S. C. de Prop. Fide. 138n. 192n.
- ALUMNATUS 54. - Collegii graeci 237. - in Germania et Polonia 39.
- ALUMNI Basiliani 180. - v. Basiliani.
- ANKUDOWICZ Josaphat, sacrist. 208. 209.
- ANNIHILATIO Capituli 87.
- ANTISTES Leopolit. 10.
- APPELLATIO ad S. Sedem Apost. 167.
- ARA sacra Beati Josaphati 207.
- ARCHIDIOECESIS Kiov., Halicien. totiusque Russiae 183. 184. - Metropolitana 169. 170. - Russiae 134.
- ARCHIEPARCHIA Metropol. 169n. - Polocen. 5. 6. 7. 177.
- ARCHIEPISCOPATUS Russiae unitae 251. Polocen. 80. 90. 158. 171. 185. 193. 194. 215. 236. 242. - Smolenscen. 83.
- ARCHIEPISCOPI Ruthen. uniti 27.
- ARCHIEPISCOPUS Corinthi 15. - Ephes. 68. 69. - Graec. unitus 73. - Kiovien. 249. - Minscen. 100. - Polocen. 198. - Russiae 52. 53. 72. 96. 97. 98. - Smolenscen. 160. - Leopoliem. latin. 58. - 58. - Leopoliem. Armen. 248. 251.
- ARCHIMANDRIA Berezvecen. 76. - Braslavien. 82. - Czereien. 79. 83. Dermanen. 5. 11. 13. 222. - Grodnen. 83. 162. - Leszczynen. 5. 14. 29. 32. 113. - Onuphrien. 82. 83. - Peczaren. 53. 76. - Pustinen. 83. Supraslien. 7. 76. 82. 143. 144. 148. 150. 152. 159. 183. - Uniovien. 222. 273. - Vilnen. 212. 213. - Zydicinen. 76. 80. 157. 158. -
- ARCHIMANDRIAE Volhynen. 143.
- ARCHIMANDRITA Bythenien. 158. 163. - Dubnen. 5. 38. - Melecen. 69. 116. - Minscen. 163. - Dermanen. 30. 38. - Uniovien. 69. - Zydicinen. 79. - schismatic. Melecen. 89.
- ARCHIMANDRITAE 88. - advitalitii 107. 157. 163.
- ARCHIPRAESBITER Vilnen. 27.
- ARCHIVA Metropolit. 170.
- ARCHIVUM S. C. de Prop. Fide 228. - Metropolit. 85.

- AREA** Archiepiscop. 148. - Vitepscen. 73. - v. Basiliani.  
**AREOPAGUS** 264.  
**ARMENI** pop. 261.  
**ARIANISMUS** 72.  
**ARTICULUS** Fidei de Filioque 151.  
**ARX** Bialla 189. - Pinscen. 146. - Polocen. 209.  
**AUGUSTUS II.** Rex Poloniae 178.  
**AULA** regia 234. - Viennen. 268n.  
**AVVINIONA** 16.
- BABINSKI** Josephus, OSBM. Superior 87. 94. 100. 101. 113.  
**BANCZARDY** Angelus, Canon. 264.  
**BANITUS** 71.  
**BAPTISMUS**, validitas 72.  
**BARANOWICZ** Hilarion 121.  
**BARBERINI** Antonius, Praef. S. C. Prop. Fide 23n.  
**BARBERINI** Antonius, Card. 134n.  
**BARBERINI** Carolus, Card., 103n. 104 20In. 203.  
**BARBERINI** Franciscus, Card., Dec. S. Collegii 106n. 156. 190n.  
**BASILIANI** 5. 6. 7. 25. 35. 56. 64. 72. 80. 84. 87. 88. 91. 92. 93. 98. 109. 112. 117. 119. 131. 134. 135. 140. 142. 148. 149. 154. 155. 158. 161. 162. 165. 168. 170. 171. 177. 178. 195. 201. 204. 208. 211. 213n. 222. 267.  
 — **Congreg. Lithuaniae** 266. - in Russia 5. 102.  
 — **Area Archiep.** Vitepscen. incorporata Ordini Basil. 73.  
 — **Area pro erectione Monasterii Witebscen.** 81.  
 — **Actus Capit.** Zyrovicen. 109. - Actus Congreg. Novogroden. 101.  
 — **Capitula** 164. - Beresten. 89. 95n. 96 107n. 109. 118. 123. 125. 154. 155. 189n. - Bilen. 237n. - Bythenien. 120. - Chelmen. 59. - Lavrysiven. 120. - Minscen. 7. 86. 87. 90n. 97. 103n. 104. 106. 107. 114. 126. 128. 161. 182. - Novogrodevicen. 118. - Novogrodecen. (1684) 130. - (1686) 7. 90n. 94. 96. 98. 103n. 104. 106. 107. 110. 114. 115. 126. 128. 132. 133. 135. 149. 151. 152. 153. 159. 161. 171. 182. - Ru-  
 thaen. 128n. - Supraslien. (antiCapitulum) 107. 125. - Torokanen. 119. 125. - Vilnen. 222 - 223. 272. - Zyrovicen. (1661) 125n. - (1675) 60. 120. 121. 155n., (1679) 6. 56. 58n. 90n. 108n. 109n. 118. 124. - Capitulum pro electione Generalis 110. - Generale 86. -  
 — **Congregatio Basilian.** 86. 157. - Bresten. 110. - Bythenien. 195. - Minscen. 85. 100. Novogrodecen. 114. 150. - Vilnen. 90. 111. 113. 154. 204. - Zyrovicen. 124.  
 — **Congregationes OSBM.** 86.  
 — **Constitutiones** 7. 120.  
 — **Consultores Russiae** 159.  
 — **Curia generalis** 92.  
 — **Dependentia a Metropolita iuxta iura Orientis** 97. 155.  
 — **Dependentia a loci Ordinario in Oriente** 87.  
 — **Exemptio** 82. 87. 95. 105. 129. 156. 159. - a iurisdictione Metropolitanis 77. 81.  
 — **Excerpta ex Actis Capitulorum** 119 - 129  
 — **Ius Metropolitae ad convocanda Capitula Basil.** 84. 109. 155. - **Ius Basil.** Sede vacante Metropolitana 126.  
 — **Metropolit. praesidendi Capitulo** 84.  
 — **Metropolitani - Generales Ordinis** 84.  
 — **Monasteria** 5. 84. 97. 105. 155. - Berezvecen. 45. 78. 79. 80. 89. 91. 97. 108. 149. 158. 159. 162. - Bresten. 80. - in Oriente 88.  
 — **Novitiatus** 7. - **Procurator in Urbe** 38. 51. - **Procurator Generalis** 237. 242. 247. 252. 254. 257. 261. 262.  
 — **Promotio ad Episcopatus** 157.  
 — **Protoarchimandrita** 67. 88. 124. 129. 149. 195.  
 — **Provincia** 58. - in Lithuania 230.  
 — **Trucidati in Eccl. Polocen.** 207.  
**BASILICA** Vilnen. 75.  
**BASILIVS** Patriarcha Caesareae 23.  
**BASILIVS S.** 155. 162.  
**BATURYN**, civ. 214n.  
**BELLUM** Cosacicum 12. 17. 19. - de Imperio 242. - in Regno Poloniae 242. - septentrion. 253n. - Turcicum 32. 33. 39. 52. 68.  
**BENEFICIA** pro praesbyteris unitis 192. - schismatica 52.

- BENTINUS, Auditor 143. 144. 167.  
 BERENDT, S. J. 133.  
 BERESVECZ 163.  
 BERYNDA Pambo, script. 136n.  
 BIALA Cerkiew, op. 19.  
 BIALOZOR Christophorus, Canon. 143.  
 148. 151. 153. 168. 215.  
 BIALOZOR Martianus, Episcop. Pinscen.,  
 deinde Archiep. Polocen. 25n. 29n. 30n.  
 57. 59. 61. 74. 76n. 93. 97. 99. 101. 121.  
 132. 143. 144. 145. 147. 160. 163. 166.  
 169. 193. 194. 197. 200. 214. 215.  
 BIANCZARDY Michał, Canon. 256.  
 BIBLIOTHECA Vaticana 70. 71.  
 BIELARUSJA 6. 178. 222. 253n. - v.  
 Alba Russia.  
 BIENIEWSKI Stanislaus Casimirus 20.  
 BIENKOVSKI Gregorius, Procurator 83.  
 120.  
 BILKIEWICZ Hieronymus, OSBM. 87.  
 94.  
 BILY Stephanus 21.  
 BOHOCZENKO Simeon 21.  
 BOKUM Joannes Casimirus, Ep. latin.  
 Premislien. 248. 249. 251. 252n. 253.  
 256.  
 BONA Borkowszczyzna 80. - Czaple 265.  
 262. - Vilnen. 91. - Episcopalia 143. -  
 Kruszewo 181. - mensae Kiovien. 53. -  
 mensae Premislien. 53. - Metropoliae  
 164. 193. 194. - Przylepy 78. - Quarze  
 181. - Sudilowicze 80. - Torokanie 79.  
 80. 158. - Unitorum 77. - Vilnensia 214.  
 - Usiaz 81. - Zalesia 214.  
 BORKOWSCZYŻNA, praedium Witebscii  
 171.  
 BOROWSKI 80.  
 BOROWICZ Theodosius 121.  
 BORYSOWICZ Innocentius, OSBM., Sup.  
 Poloc. 100. 101. 114.  
 BORYSTHEN flum. 21.  
 BOSNIA prov. 150.  
 BOUFAT, dom. 171.  
 BREST op. 75. 107. 109. 110. 114. 145.  
 155. 164. 182. 189. 210. - v. Dioecesis.  
 BREVE Alexandri VII. PP. 89. 107.  
 126. 153. 155. 156. - annullat. Cap.  
 Minacen. 96. 97. 98. 99. 100. 102. 106.  
 - Apostol. 90. 94. - Urbani VIII. PP.  
 64. 124. 125. 127. 154. 155. 156. - In-  
 nocentii XI. PP. 7. 154. 156.  
 BREVIARIUM, Imprimatur 74.  
 BRUNSBERG op. 204.  
 BRZOSTOWSKI Constantinus, Ep. Vilnen,  
 204.  
 BULA 80.  
 BULLA 6. - Clementis VIII PP. 32. 77.  
 110. 115. 156. 157. 250. 251. - Clemen-  
 tina 116. - pro Coad. Metropol. 31. 37.  
 - provisionis Eccl. Metropol. 185. 222.  
 - Unionis 192.  
 BULGARI pop. 150. 151.  
 BUSINSKI Stephanus, OSBM., Protoar-  
 chim. - v. Martyszkiewicz.  
 BYTHEN 5. 54. 162. 163.  
 BYZANTIUM 17.  
 CAESAREAE Archiep. 23. - Archipraesul  
 23.  
 CALVINI 239. 240.  
 CALVINISMUS 267. 268.  
 CALVINISTAE 214.  
 CALVINUS 240.  
 CAMILLIS Josephus de, OSBM., Procur.  
 in Urbe 38. 65. 66. 69. 70. 71. 104. 134.  
 137. 138n. - Ep. Sebasten. 239. 268n.  
 - Ep. Mukacsovien. 65n. 66n. 71n. 221.  
 227. 229n.  
 CANCELLARIA Varsaviae 64.  
 CANCELLARIUS Mag. Ducatus Lithua-  
 niae 26. 27.  
 CANONES Sacri 119.  
 CANONIZATIO Kuncewycz Josaphati 26.  
 28. 31. 33. 35. 36.  
 CAPITULA Basiliana - v. Basiliani.  
 CAPITANEA Mosyrscensis 142.  
 CAPUCCINUS 131.  
 CARDINALES S. C. de Prop. Fide 202.  
 229. 230. 237. 244. 264.  
 CAROLUS XII, Rex Suecorum 207n. 214n.  
 242n.  
 CASANATA Hieronymus, Card. 42. 44.  
 45. 46.  
 CASIMIRUS Joannes, Rex Poloniae 10.  
 27. 80. 84.  
 CASTELLANUS Palatin. Vilnen. 172.  
 CATALOGUS Episcop. Smolen. 40n.  
 CATHEDRA Halicien. 247. 252. 253. 258.

261. 269. 270. 273. - Kiovien. 53. 250.  
251. 253. - latina 59. 64. - Mukačovien.  
239n. - Novogroden. 196. 197. - Polocen.  
171. - Premislien. 238. 266. - Ruthena  
64. - Smolenscen. 40. - Vilnen. 201. -  
Vladimirien. 200. 206.  
CATHEDRALES 253.  
CATHEDRALIS Vitebscen. 148.  
CATHOLICI 11. 15. 47. 63. 72. 102. 240.  
245. - latini 63. - rutheni 63. - uniti 15.  
66.  
CAUSA decimarum 264. - Ep. Pinscen.  
167. - Supraslien. 141. 142. - Vilnen.  
28. 29. 33.  
CAVALIERI Silvius de, Secr. S. C. de  
Prop. Fide. 269n.  
CHANENKO Michael, dux Zaporosien. 12.  
18. 19. 20. 21.  
CHELM op. 59. 62. 64. 140. 204. - v. Dioe-  
cesis, Eparchia, Episcopus.  
CHIOVIA civ. 10. 53. - v. Kiovia.  
CHEMELNYCKYJ Bohdan, Dux Cosacco-  
rum 50n.  
CHEMELNYCKYJ Georgius, Dux Ucrainae  
43n.  
CHODKIEWICZ Carolus Georgius, Castra-  
metator Lithuan. 145.  
CHODKIEWICZ Stanislaus 145.  
CHODKIEWICZ, Collator 48.  
CHODKIEWICZOWA 79.  
CHRISMA Sacrum 268.  
CHRISTIANITAS in Russia 270.  
CHRONICA Collegii Graecor. 177.  
CIOTCZE, praedium 93. 171.  
CIOTCZENSE stagnum 171.  
CIRCA Joannes Hiob, Ep. Maramoro-  
sien. 240.  
CISOWICZ Hierotheus 121.  
CIVES Vilnen. 26. 28. 31. 34.  
CLEMENS VIII PP. 32. 43. 72. 77. 85.  
88. 97. 105. 110. 111. 115. 116. 129.  
130. 203n. 204. 206.  
CLEMENS XI PP. 221. 248.  
CLERUS latinus 230. - lat. Chelmen.  
64. - lat. Premislien. 264. - ruthenus  
53. 206. 211. - Premislien. 221. - Pinscen.  
167. - regularis 7. - saecularis 7.  
COADIUTOR Metropoliae tot. Russiae 56.  
- Polocen. 32.  
COADIUTORIA Kiovien. 6. 25. 31. 32. -  
Leopolien. 273. - Metropolit. 215.  
COENOBIA 88. - Volynien. 112. - Polocen.  
209.  
COLLATIO Chodkiewiciana 142.  
COLLEGIA S. Congr. 267.  
COLLEGIUM Clementinum 236. 238. -  
germanicum 244. - graecum 5. 9. 38n.  
54. 140. 177. 179. 195. 203. 212. 236.  
238. - Gregorianum 196. - Leopoliem.  
261. 263. 268. - nationale 70. - Olomucen.  
180. - Pontif. Vilnen. 95n. 202n. -  
Sacrum de Prop. Fide 135. 138. 139.  
140. 195. 197. 198. 201. - Soc. Jesu Lu-  
blinen. 64. - Vilnen. 48n.  
COLLOQUIUM Lublinense 6. 53. 56. 72.  
89. 98n.  
COMITIA Grodnen. 75. 86. 168. 170. 177.  
- Lithuaniae 51. - Varsavien. 6. 51.  
73. 98n. 155. 170.  
COMMENTATIO ad Ordines 83.  
COMMISSARIJ 85. 92. - Catholici 11. -  
Cosatici 11. 12. 13. 19. - Doroszenko-  
viani 18. - Hanenkoviani 18. 20. - Za-  
porosiani 22.  
COMMISSIO in Russia 102. - Nuntia-  
turae 146. - Ostrogiensis 5. 11. 12. 15.  
18. 19. 20. 22. 23. - Vilnen. 25. 26. 27.  
28. 31.  
CONCILIA Oecumenica 130.  
CONCILIUM Florentinum 78. - Triden-  
tinum 130.  
CONCORDIA cum Roman. Pontif. 10 -  
in Fide cathol. 58. 62.  
CONFINES Moscoviae 55.  
CONFLAGRATIO Cathedrae Vladimirien.  
182.  
CONFRATERNITAS Stauropegiana 222.  
CONGREGATIO Basiliiana - v. Basi-  
liani.  
CONGREGATIO de Prop. Fide 22. 23.  
26. 27. 28. 29. 30. 39. 42. 43. 51. 56.  
58. 59. 61. 63. 66. 70. 83. 88. 92. 93.  
96. 98. 99. 102. 106. 127. 128. 129. 130.  
132. 133. 136. 139. 140. 149. 150. 151.  
152. 153. 155. 156. 158. 159. 162. 165.  
169. 182. 190. 192. 198. 202. 203. 210.  
211. 212. 213. 214n. 227. 228. 232. 234.  
237. 238. 244. 246. 261. 263. 266. 267.

- Rituum 5. - Gener. Inquisition. 43. 72.  
 CONGRESSUS Cosaticus 13. 14. 15. -  
 Lublinen. 89. - Uitorum 63. - Varsa-  
 viae 96.  
 CONSACRATIO Episcop. 254.  
 CONSESSUS Minscen. 96.  
 CONSILIA Cosatica 11.  
 CONSISTORIUM Vilnen. latin. 245.  
 CONSTANTINOPOLIS civ. 52. 59.  
 CONSTITUTIO Clementis VIII. PP. pro  
 Unione 73.  
 — Regni 84.  
 CONSTITUTIONES Josephi Rutscii 109  
 112. 116. 118. 119. 125. 128. - reassumptio  
 121. 124. - confirmatio 125.  
 — Comitiorum 162.  
 — Ordinis Basilianorum - v. Basiliani.  
 — Summorum Pontificum 119.  
 CONSUETUDO obedientiae Episcop. 88.  
 CONSULTORES Russiae Basiliani - v. Ba-  
 siliani.  
 CONVENTUS Patrum Bernardinorum 260.  
 CONVERSIO Russiae 85. - Ruthenorum  
 51. 89. - non Uitorum 54. 59. 61. 62.  
 72. 91. 93. 105.  
 CONVOCATIO Regni Poloniae, Lithua-  
 niae 193. 194.  
 CORONA Poloniae 102.  
 CORPUS Religionis 114.  
 COSACHI 5. 11. 12. 13. 14. 15. 18.  
 95. - non - Uniti 26. - Ukraini 5.  
 COSSA fluv. 240.  
 COZAREVICZ Isidorus, OSBM, Vic. Dub-  
 nen. 100. 101. 114.  
 CRACOV op. 204. 210.  
 CROATI pop. 150.  
 CROATIA 241.  
 CURIA Apostolica 46.  
 — general. Basilianorum - v. Basiliani.  
 — Regia 273. - Romana 111.  
 CUSTOS Vatican. Bibliothecae 70. 71.  
 CYBO Eduardus, Secr. S. C. de Prop.  
 Fide 133. 168n. 169.  
 CYBULSKYJ Arsenius, OSBM 197.  
 CYPRIANOVICZ Simeon, OSBM., Con-  
 sultor 57. 59. 61. 66. 97. 110. 113. 114.  
 115. 130. 142.  
 CYPRIANOWICZ, relig., Commisarius Nun-  
 tiaturae 146.  
 CYRILLUS et Methodius SS. 151.  
 CZAPLE villa 266.  
 CZAR Moscoviae 21n.  
 CZELATYCZE villa 264.  
 CZERECKYJ Samuel, alias Prokopovycz  
 Theophanes 196.  
 CZERNCY seu monachi 88.  
 CZERNIECHOVIA 20.  
 CZERSTUIACZI 214.  
 CZERSVIAT praedium 171.  
 CZETVERTYNSKYJ Gedeon Sviatopolk,  
 Ep. Luceorien., Metropolita Kiovien. non-  
 Unitus 44n. 52n. 69n.  
 CZETVERTYNSKYJ Sylvester, princ. 214.  
 CZYZ Anselmus, OSBM., Proc. general.  
 100. 101. 114.  
 DALMATI pop. 150. 151.  
 DATARIA Apostolica 162. - concessa  
 Metropolitanis Russiae 148.  
 DAVIA Joannes Antonius, Nuntius Varsa-  
 vien. 192n. 199n.  
 DECANI Ritus uniti 166.  
 DECANUS Vilnen. 31.  
 DECIMAE Ruthen. tributiones 59. 65.  
 Chelmen. 64.  
 DECRETA Conciliorum 119. - Congr.  
 Novogroden. 56. - Regum 171. - S. Ro-  
 man. Rotae 59. 64. 65.  
 DECRETUM de Intimatione Cap. Minscen.  
 86. - S. C. Generalis 160. - S. C. de Prop.  
 Fide 107. 108. 119. 160.  
 DEFENSIO Unionis 33.  
 DEPENDENTIA a loci Ordinario 87. 88. -  
 in Russia 89. - ab. Episcop. 130. - a  
 Metropolita 89. 111. 112. 124. 126. 129. -  
 monachorum a Metropolit. et Ordina-  
 riis 128. - generalis a Metropolita 111.  
 129. - monachorum ab Ordinario loci  
 more Orientalis Ecclesiae 89. 112. 116.  
 122. - non a Protoarchim. 89. - a iuris-  
 dictione Metropolit. 116. 122. 124. - mo-  
 nachorum probatur ex Breviario Romano  
 112.  
 DEPUTATI Equestris Ordinis 12.  
 DERMAN mon. 28. 65.  
 DE' ROSSI 104.  
 DEVASTATIO turcica 43.  
 DIARIUM excidii Monast. Polocen. 207.



- DIOECESIS Bresten. 172. - Camenecen. 204. - Chelmen. et Belzen. 160. - Halicien. 204. - Leopoliem. 42. 43. 44. 165. 204. 212. 228. 258. - Luceorien. 165. 204. 222. 271. - Mscislavien. 33. - Munkaczovien. 211. - Pinscen. 9. 144. 145. 160. - Polocen. 214. - Premislien. 160. 165. 204. 212. 228. 261. - Ruthena 211. - Sanocen. 204. - Smolenscen. 92. Vittepscen. 33. - Vladimiriem. et Bresten. 160.
- DIOECESSES Rutheno-unitae 33.
- DIPLOMA Regium Wladislavien. 157. - Regium 247.
- DIPLOMATA Regum Poloniae 122. 162.
- DIRECTIO Seminarii Peremysliae 222.
- DISSACRATIO Ecclesiae Vittepscen. 208. 209.
- DISTRICTUS Pinscen. 143. - Slonimem. 214.
- DISUNITI 12. 16.
- DOLCZE praedium 117. 171.
- DOMUS Bialozoroviana 215. - Pinscen. 80. - Romana 183.
- DOROHOBUSENSIS Archim. 109.
- DOROSZENKO Petrus, Dux Cosacorum 11. 12. 18. 19. 21n. 28n. 43n.
- DOROSZENKOVIANI, Legati 19. 21.
- DOROSZKOWSKI, OSBM. 134. 143. - administ. Supraslien. 146. - Archiman. Leszczynem. 172. 205.
- DUBNENSIS Archimandrita 5.
- DUBNO op. 47.
- DUBOWICZ Joannes 121.
- DUCATUS Lithuaniae 5. 12. 14. 15. 17. 20. 22. 30. 40. 53. - Ostrogien. 77. - Polocen. 11.
- DUCES exercit. Lithuan. 81.
- DUX Cosacorum 11. - de Ostrog 76. - Polonici exercitus 258. - Lithuaniae 78. - Moscoviae 15. 40. 50. 52. 53. 77. 83. 162. 165. - Munkacsien. 241. - Zaporovien. 21. 22.
- ECCLESIA S. Athanasii, Romae 5. 66. - S. Joannis Premisliae 239. - SS. Petri et Pauli, Brestae 155. - SS. Sergii et Bachi, Romae 66. 137.
- Belzen. 4. - Grodnen, archimandritalis 162. - Halicien. 250. 251. 259. - Kiovien. 26. 250. - Pohosten. 145. 166. - Polocen. 5. 7. 237. 256., abbatialis 78., cathedralis 78. 209. - Premislien. 266. 8 Tylicem, 273. - Vilnem. 98. 117. - Vittepscen. 73. 208.
- Graeca 21. 34. - Latina 64. 91. - non-unita 47n. 62. 98. - Soc. Jesu 22. - Occidentalis 16. - Orientalis 167. - Ucraina cathol. 47n. - unita 5. 6. 8. 11. 17. 29n. 50n. 169n. 177. 178. 228.
- ECCLESIASTICI latini 165. - non - Uniti 39. 51.
- EDITIONES non-Unitorum 54n.
- ELECTIO Arhimandritae 141. - Canonica Generalis OSBM. 84. - Generalis ex monachis 89. - Generalis quadriennalis 84. - Metropolitae 233. - 234. 235. - Protoarchimandritae 86. 154.
- ELIGIBILITAS Metropolitan. in Protoarchimandritam 125. 154. 155. 156. 160. 164.
- EPARCHIA Chelmen. 256. - Halicen. 222. - Kamenecen. 177. - Leopoliem. 6. 42. 177. 193n. 207n. 208n. 221. 222. 228n. 229. 269n. - Luceorien. 6. 11. 177. 207n. 208n. 222. 256n. 272n. - Mohilovien. 6. - Munkacsien. 150n. 212. 221. 222. 227n. 246n. 256n. - Ostrogien. 11. - Peremyslien. 6. 168n. 177. 184n. 207n. 208n. 221. 222. 227n. 228n. 229. - Pinscen. 45n. - Volodimiriem. 172n. 177. 178. 222.
- EPHARAIM 17.
- EPISCOPATUS Albae Russiae 55. 197. 199. 214. - Bresten. 185. - Chelmen. 157. - Halicien. 296. - Leopoliem. 43. 184. 269. - Luceorien. 44. 193. 262. - Munkaczovien. 211. 214. 228. 230. 231. 239. 241. - Mscislavien. 25. 26. - Ostrogien. 77. - Premislien. 184. 238. - Russiae 53. 162. - Smolenscen. 39. 40. 55. - Vittepscen. 25. 26. 30. - Vladimiriem. 185. 193. 194.
- EPISCOPI Catholici 73. - Graeci uniti 55. 66. 73. 198. - Latini 30. 58. 59. 85. - Neouniti 67. - Rutheni 27. 87. 88n. 92. 182. - Russiae 69. 74. 86. 127. 159.

160. 161. - Uniti 6. 8. 26. 62. 68. 85. 86. 131. - non - Uniti 89. 92.
- EPISCOPUS Borysthen. 178. - Chelmen. 30. 59. 64. 84. 96. 98. 109. 111. 116. 120. 121. 124. 164. 222., ruthen. 116. 126., latin. 248. 251. - Culmen. 27. - Leopoli. 47. 48. 49. 53. 67. 70. 71. 73n. 89. 126. 156. 221. 252. 259. 271. 273., non - unitus 250. - Luceorien. 52. 89. 156. 222. 271., latin. 248. 251. - Miscislavien. 6. - Munkaczovien. 222. 256n. - Pinscen. 6. 25. 29. 30. 32. 113. 120. 121. 143. 164. 222. 233n. 234. - Premislien. 52. 53. 70. 71. 73n. 89. 96. 98. 113. 114. 163. 211. 250. - Samogitien. 6. 25. - Smolenscen. 55. 256n. - Venden. 6. 25. - Vitepscen. 6. 11. 32. - Vladimiri. 6. 30. 32. 96. 98. 120. 121. 164. 177. 256.
- ERECTIO Semin. 71. 238. 239.
- ERRORES Phociani 69. 73. 129. - schismatici 189.
- EXCIDIUM Polocense 209. 214. 256.
- EXEMPTIO Basilianorum a. i. latin. Relig. 84. 87. 93. 105. - v. Basiliani.
- EXERCITUS Cosaticus 19. 50n. - Moscovit. 178. 209. 214. - Regni confederat. 193. 194. - Ruthenus 240. - Zaporosien. 18. 21. 22.
- FABRONUS Carolus Augustinus, Secr. S. C. de Prop. Fide 193.
- FACULTAS congregandi Capit. General. 107.
- FESTUM convers. S. Pauli 266. - S. Parasceves 13. - S. Michaelis Archang. 266.
- FIDES Catholica 13. 65. 66. 88. 89. 242. - Latinorum 210. - Graecorum 210.
- FIDELES uniti 131.
- FILIPOWICZ Polycarpus, OSBM., Procur. in Urbe 136. 137. 138. 139. 147. 148. 151. 152. 153. 157. 158. 159. 183n. 201n. 202. 246. 268.
- FIORAVANTI, Commiss. Nuntiaturae 146.
- FISCUS Regius 264.
- FLORENTINUS Archiepiscopus 25.
- FORMA Baptismi schismatici 72. - prof. fidei pro Orientalibus 67.
- FRANCISCANI Fratres 77.
- FRANCKIEWICZ, delegat. Palatini Vilen. 171.
- FRANCKIEWICZ Joannes Chrisostomus Radziminski, Archiman. Czereien. 215.
- FREDERICUS Augustus II. Saxo, Rex Poloniae 193n. 197n. 207n. 210. 221. 233n. 242n. 264.
- FUNDATIO ad SS. Sergium et Bacchum 66. - Curiae Premislien. 266. - Seminarii Premislien. 238. 266. - Monasterii Polocen. 81.
- FUNDATIONES Monasteriorum Basilianorum 81.
- GABELLAE Reipublicae 80.
- GALICIA seu Ucraina Occidentalis 135.
- GALINSKI Alexander Michael, Canon. 40. 41. 55.
- GENERALATUS Basilianus 96.
- GENERALIS advitalitius 89. - quadriennalis 128.
- GENS Poloniae 22. - Roxolana 68. - Ruthena 56.
- GENTES Slavonicae 165. - Illyricae 137.
- GERMANIA 65. 248.
- GERMANI acatholici 200.
- GIROLAMO à Jesu, Carmelitanus 95.
- GODEBSKI Benedictus, OSBM., Abbas Dorohobuscen. 260.
- GLEYT (litterae passus) 171.
- GLINSKA Anna, domina 177.
- GLINSKYJ Benedictus, Archim. Kobrynen. 120. 180 - Ep. Vladimiri. 30n. 121. 127. 177.
- GRAECI non - uniti 240. - uniti 264.
- GRAECIA 16. 52. 57.
- GRAPPI, Auditor 30.
- GRATIANOPOLITANUS Episcopus 6. 25.
- GREGORIUS VIII. PP. 195. 203.
- GREMIUM S. Sedis Apostolicae 92.
- GRIMALDI Hieronymus, Nuntius Varsavien. 269n.
- GRODNO op. 51. 55. 98n. 147. 148. 149. - v. Archimandria, Comitata, Ecclesia.
- GRODZICKI Josephus, OSBM., Archim. Polocen. 78.
- HAERETICI 25. 34. 35. 40. 47. 240.
- HALICIA op. 10. - v. Archidioecesis, Cathedra, Dioecesis, Ecclesia, Eparchia.
- HEGEMONIA Europae Orientalis 207n.

- HEGUMENATUS advitalitius 157. 163.  
 HEGUMENI convocati ad Capitula 108.  
 HEGUMENUS advitalitius Berezvecen. 149.  
 158. 163.  
 HERBURTOWNA Theresia, Abbatissa  
 Basiliana 106. 109.  
 HIERACHIA Episcoporum 162. - Roxo-  
 lana 268. - Unita 5. 172n.  
 HODERMARSKYJ Josephus, sac. 239.  
 241. 268.  
 HOLANDA 150.  
 HORODOK praedium 171.  
 HORTUS Monasterii Polocen. 77.  
 HOSCILOWSKI Joachimus, Sup. Czer-  
 lon. 120.  
 HOSPITIUM SS. Sergii et Bacchi 5. 65.  
 70. 116. 134n.  
 HOSTILITAS Moscovitica 49  
 HOSTYLOVSKI Gervasius 121.  
 HOVINIUM 142.  
 HRYNKIEWICZ Dominicus, instigator Cu-  
 riae Metropolit. 141.  
 HUMIENIEC loc. 265.  
 HUNGARI 151. 239.  
 HUNGARIA 137. 240. 241. 246.  
 HUTOROWICZ Josaphat, alumn. 134.  
 HYMNI S. Damasceni 54.  
 ICONA divi Josaphat Vitebsci. 208.  
 ICUNIOSYC Theophanus, sac. 147.  
 IDIOMA Polonicum 73. - Slavonicum  
 165.  
 IHNATOWICZ Dionysius, sac. 145.  
 IMMUNITAS ecclesiastica 227.  
 INCREMENTUM Religionis Basilianae 91.  
 133. - S. Unionis 133. 139.  
 INCURSIO Tartarorum 143. 145. 193. 194.  
 INDUMENTUM pontif. ecclesiae Zyro-  
 vicien. 187.  
 INGRESSUS in Religionem 113.  
 INNOCENTIUS XI PP. 7. 39. 51. 69.  
 INNOCENTIUS XII. PP. 164. 192.  
 INSIGNIA exercitus Zaporosiani 22.  
 INSTALLATIO Archimandriae Uniovien.  
 247.  
 INSTANTIA Protoarchim. 162.  
 INTERREGNUM Joannes III. Regis Po-  
 loniae 226.  
 INTERROGATORIA facta monachis Ba-  
 silianis 152. 153.  
 INTIMATIONES Capitulum Basiliano-  
 rum 84. 108. 109. 123. 124. 155.  
 INVASIO Schismaticorum in Episcopatus  
 85.  
 IRREGULARES ad Ordines 83.  
 IVAN V., Magnus Dux Moscoviae 151n.  
 165n.  
 JABLONOVIVS dux 258.  
 JABLONOWSKI Stanislaus Joannes, Cam-  
 pidx exercituum Poloniae 67.  
 JACHYMOWICZ Basilius, sac. 145.  
 JACKIEWICZ Symeon, Archim. Bythe-  
 nien. 79. 121. 149. 158.  
 JANOW loc. 265.  
 JAROSLAVIA civ. 51.  
 JAROSZENKO Jacobus 21.  
 JAVOROVIA civ. 47.  
 JAWORSKI Stephanus, Admin. Patriarch.  
 Moschoviae 207.  
 JESMAN dom. 171.  
 JESUITAE 240.  
 JOANNES III. Rex Poloniae 169.  
 JOANNOWICZ Theoctistus 121.  
 JUDICIUM Consist. lat. Premislien. 264. -  
 totius Russiae Metropolit. 144.  
 JURA Cath. Roman. Ecclesiae 15. - Cle-  
 mentina 116. - Ecclesiae Orient. 92. 128.  
 Episcop. schismatic. 89. - Metropolitana  
 85. 112. 125. 131. 157. 247. 252. 253.  
 261. 270. - Monasterii Bythenien. 79. -  
 Orientis 105. 112. 122. - ad praedium  
 Rutae 171. - S. Sedis Pontif. 131. - Re-  
 gni Poloniae 233. - Reipublicae 131. -  
 Unionis 12. 14. 15. 193. 194. 199. - Uni-  
 torum 14. 198.  
 JURAMENTUM fidelitatis Metropol. Vyn-  
 nyckyj 248. - 249. 250. 251. 253. 256. -  
 in Cap. Ruthaënsi 128.  
 JURIDICA Metropolitana 171.  
 JURISDICTIO Ep. Vilnen. 28. 31. 33.  
 35. - Hierarchiae unitae 264. - Metro-  
 politica 25. - Metropolitanæ 89. 91. 116.  
 155. 159. 256.  
 JUS caducitatis 31. 34. - collationis 79.  
 158. - Monaster. 157. - gladii Metro-  
 polit. Kiovien. 31. 34. - Metropolitanæ

6. 84. 88. 109. 155. Patronatus 130.  
157. 162. 211. - Regium 126. - Relig.  
Basilianae Sede Vacante 126.  
JUVENTUS Basiliana 54.
- KACZYNSKI Sebastianus, Sup. Bresten.  
119. 120.  
KAMIENSKI Petrus, OSBM. 99. 101.  
113. 212.  
KAMINSKYJ Petronius, Vic. gen. Muka-  
czovien. 221. 227. 239. 240. 241. 246.  
KASZCZYC Constantinus, OSBM. Vic.,  
Polocen. 100. 101.  
KAZIKALOWICZ Basilius, Archidiac. 145.  
KIOVIA civ. 77. 182. 198. - ecclesia 7. -  
Metropolia 5. 6. 7. - v. Archidioecesis  
Archiepiscopus, Cathedra, Coadiutoria,  
Ecclesia.  
KIRIATT Simeon, OSBM., Consultor 100.  
101. 113.  
KISIEL Adamus, Notarius 72. 91. 148.  
149.  
KISKA Leo Lucas, OSBM, Protoarchim.,  
deinde Ep. Vladimiriens., deinde Me-  
tropolita Kiovien. 215n. 223. 241. 243.  
260n.  
KISZCZYC Antonius, confess. 78.  
KIZIKOWSKI Jacobus, OSBM., Sup. Mo-  
nast. Vilnen. 209.  
KNYSZEWICZ Jacobus, OSBM. 209.  
KOBRIK 182.  
KOBYLNICKI Varsonophius, OSBM. 87.  
93. 100. 101. 113.  
KOIALOWICZ Albertus Wijuk, Soc. Jesu  
script. 139.  
KOLBECZYNSKYJ Theophanus, OSBM.  
208.  
KOLCZYSKI script. 182.  
KOLENDA Gabriel, OSBM., Archiep. Po-  
loen., Metropolita Kiovien. 5. 6. 8.  
10. 31n. 37. 55. 76n. 79n. 81n. 89. 95.  
107. 110. 113. 119. 120. 125. 126. 129.  
154. 155. 164.  
KOLENDA Gabriel, OSBM. 209.  
KOLLONITSCH Carolus Leopoldus von,  
Card. 138n. 150. 151.  
KONDRATOWICZ Meletius, OSBM. 209.  
KONEMENSKI Joannes, OSBM., Consul-  
tor 99. 101.  
KOPYSTYNSKI Meletius 121.  
KORSAK Basilius 171.  
KORSAK Josephus 97. 149. 158. 163.  
KORSAK Paulus, Archim. S. Onufrii  
120.  
KORSAK Raphaël, Protoarchim. OSBM.,  
Archiep. Halicien., Metropolita Kiovien  
79. 80. 108n. 120. 127. 128. 129. 154.  
KORSAK Thomas 25. 26. 35. 171.  
KORYTYNSKI Daniel, OSBM. 100. 102.  
114.  
KORZENIEWSKI Joannes, OSBM., Sup.  
Monast. Vilnen. 87. 93. 113.  
KOSAKOWSKI Adrianus, OSBM. 138n.  
KOWALEWSKI Michael, OSBM. 209.  
KOZACZENKO Germanus, alumn. 196.  
KOZINSKI Barlaam, Archim. Minscen.  
20.  
KOZIOL Fabrianus Polczewski, Capitan.  
171.  
KRAKOWSKI Clemens, Sup. Rosanen.  
120.  
KREUSA Leontius, OSBM, Aep. Smolen-  
scen. 121.  
KRUPECKYJ Athanasius, Ep. Peremy-  
slien. 221.  
KRUSZEWITZ Hilarion, OSBM., Procur.  
242. 252n. 256. 258.  
KUASSOVIA, opp. 215.  
KULCZYCKI Martinianus, OSBM. 87. 93.  
96. - Sup. Vilnen. Monast. 100. 101.  
113.  
KULCZYCKI Porphyrius, Ep. Pinscen.  
214. 233.  
KUNCEWYCZ Josaphat S. 5. 28n. 33.  
34. 35n. 48. 49. 72n. 121. 128. 139. 148.  
151. 197n. 199. 208.  
KURCZ Stephanus, Castellan. 20.  
KVASNINSKYJ Andreas Zloty, Ep. Pin-  
scen., Archiep. Smolenscen. 50n. 119.  
120.  
LACKA Isabella, Capit. di Mozyr 152.  
158. 163.  
LAICI Regulares 83.  
LAMPUGNANI Joannes Baptista, Secr.  
187. 189.  
LANIEVSKYJ Justinus, OSBM., alumn.  
197.

- LATINI 17. 64.  
 LAURIA M., Card. 70. 71.  
 LAYA praedium 171.  
 LAZAROWICZ Isidorus, OSBM. 87. 94.  
 LEGATUS Poloniae 271.  
 LEGES monachorum unitorum 122. -  
 patriae 63.  
 LEGIFER (S. Basilius) 112.  
 LEOPOLDUS I., Rex Hungariae 150n.  
 227n.  
 LEOPOLIS civ. 47. 126. 132. 150. 184.  
 204. 211. 213. 222. 228. 233. 234. 237.  
 238. 240. 258. - v. Archiepiscopus, Coa-  
 diutoria, Collegium, Dioecesis, Eparchia,  
 Episcopus.  
 LESZCZYNSKI Stanislaus, Praetendes ad  
 thronum Poloniae 207n. 242n. - Rex Po-  
 loniae 233n.  
 LEX Concilii Chalcedonen. 155. - depen-  
 dentiae a loci Ordinario 88. - Polona 62. -  
 publica Comitiorum Regni 149.  
 LEXICON Slavonicum 136. 139.  
 LEYBA, haebreus 162.  
 LIBOWICZ Franciscus, Cappell. 189.  
 LIBRI Coll. Graec. 116. - ecclesiastici  
 illyrici 70. 71. - eccles. slavonici 58. -  
 schismat. 98. - slavonici 54. - visita-  
 tion. Patris General. 77.  
 LIMINUM S. Sedis Apost. visitatio 192.  
 LINGUA slavonica 83.  
 LITHUANIA 7. 46. 106. 110. 114. 119.  
 172. 196. 203. 204. 208. 213. 222. 236.  
 237. 256.  
 LITHUANI Commissarii 13.  
 LITHUANUS miles 193. 194.  
 LITURGIA 7. 120.  
 LITURGICON 150. - graecum 7. - ru-  
 thenum. 7. - Zochovskianum 140n.  
 LIVONIA prov. 20. 196.  
 LOCKI Hieronymus, dom. 146.  
 LODZIATA Alexander, Ep. Chelmen. 139n.  
 LOZOWICKI Nathanael, OSBM., Archim.  
 Zydicinen. 80.  
 LUBIENSKI Casimirus, Ep. Chelmen. lat.  
 248. 250.  
 LUBLIN. op. 6. 56n. 62. 63. 68. 200. - v.  
 Colloquium.  
 LUBOWIZKI Joannes Franciscus, Castel-  
 lanus 20.  
 LUBYCZ op. 177.  
 LUKA Boiarska 171.  
 LUPICHINA Solomea 50.  
 LUTHERANI 10. 214.  
 LYSZCZYNSKA dom. 147.  
 MAGISTER Novitiatus 84. 162.  
 MAGISTRATUS Vilnen. 26. 28. 33. 34.  
 MAGNUS Ducatus Lithuaniae 106. 110.  
 112. 162. 165. 200. - v. Lithuania.  
 MAGNUS Dux Moschoviae 150. 151.  
 159. - v. Moscovia.  
 MALACHOVSKYJ Joannes, Ep. Peremy-  
 slien. 5. 32n. 34. 68. 69. 74. 157.  
 MALEJEVSKYJ Georgius, Archiep. Smo-  
 lenscen. 79n. 94n. 146. 163.  
 MALEIEWSKI Georgius, OSBM., Consultor  
 57. 59. 61. 66. 74. 79. 87. 95. 96. 97.  
 104. 105. 115n. 126. 130.  
 MALEJEVSKYJ Innocentius, alumn. 202.  
 MALUSZ Romanus 21.  
 MANASSES Rex Iudaeorum 17.  
 MANIEWSKI de Piglovicz Georgius, Da-  
 pifer Kiovien. 20.  
 MARESCHALUS Lithuaniae 171.  
 MARESCOTTI Galeazzo, Nuntius Varsa-  
 vien. 11. 13. 14. 22. 29. 76.  
 MAROMOSZ 240.  
 MARTELLO Franciscus, Nuntius Varsa-  
 vien. 47n. 51n. 56n.  
 MARTINIANUS, Ep. Pinscen. 86. 93. - v.  
 Bialozor.  
 MARTYROLOGION 151.  
 MARTYSZKIEVCZ Stephanus, OSBM., Pro-  
 toarchim. 7. 57. 59. 60n. 61. 66. 68.  
 69. 74n. 75n. 76n. 79. 82. 83. 86. 90.  
 97. 105. 110. 111. 113. 114. 115n. 124.  
 125.  
 MASOVIA prov. 20.  
 MAZEPA Joannes, Dux Cosacorum 214n.  
 253n.  
 MENOLOGIA, libri liturg. 54.  
 MENSA Archiepiscopalis 143. - Metro-  
 politana 79. - Pontificia 238. - Regia  
 264.  
 MENSIKOV, princ., Dux exercituum Mo-  
 scovit. 214.  
 MESSA Latina 95.  
 METATOR Castrorum 142.

- METATRIX Magni Ducatus Lithuaniae 143.
- METLANT, Canon. 264.
- METROPOLIA Kiovien. 23. 26. 53. 76. 77. 79. 158. 169n. 170. 172n. 190. 191. 192. 214n. 215n. 222. 247. 252. 253. 258. - Kiovien. non - unita 38. 39. 221. - Lithuaniae 203. - Polocen. 6. - Russiae 161. 185.
- METROPOLITA unitus 26. 46. 72. 73. - non - unitus 12.
- METROPOLITANI Kiovien. 169n. 211. - Russiae 78. 86. 157. 6. 272. - Russiae uniti 34. 52. 157. - v. Basiliani.
- METROPOLITANUS Russiae 34. 53. 54. 62. 70. 74. 76. 77. 84. 85. 131. 157. 162. 167. 181. 233.
- MICHAEL, Rex Poloniae 20. 80. 84.
- MICHNIEWICZ Benedictus, OSBM. 82. 86. 93. 99. 101. 113.
- MICHNIEWICZ Joannes, Secr. 38.
- MICHNIEWICZ Josaphat, OSBM., Archiman. Supraslien. 48. 82.
- MICHNIEWICZ Sigismundus, Relig. 147.
- MIELECKI Martinus Vladislaus, Canon. 260.
- MIELECKI Michaël Jacobus, Notarius 249.
- MIKOLSKIE Porohy, praedium 171.
- MILENKOVICZ Chritophorus, Vic. Supraslien. 119. 120.
- MIMONSKI Petrus, OSBM., Protoconsultor 120.
- MINIEWSKI Bartholomaeus, OSBM., Vic. Monast. Supraslien. 77. 87. 94. 100. 101. 113. 146.
- MINISTRI Regni et Lithuaniae 200.
- MINSK op. 97. 110. 116. 182. 214. - v. Archiepiscopus, Archimandrita, Synodus.
- MISSALE 54. 71. 74. 136. 140. 151. - Nerlianum 139. 140. 150. - slavonicum 136. 139. 140. 150. 151. 165.
- MOHYLNYCKA Anna, domina 5. 9.
- MONACHI 52. - v. Basiliani.
- MONACHI vulgo Czerncy 88.
- MONARCHA Poloniarum 185.
- MONASTERIA 88 - Dubnen. 114. - unita 122. - Ruthena (foundationes) 70.
- MONASTERIUM Bythenen. 39n. 41n. 54. 79. 149. 152. 157. 158. 214. - Czereien. 78. 79. 115. - Dermanen. 30. 76. 89. - Dubnen. 76. 89 - Grodnen. 78. - Laurovien. 221. 223. 268. - Leszezyn. 114. - Lyskovien. 81. - Minscen. 75. 82. 86. 113. 115. 130. - Munkacsioven. 239. 240. 241. - Poczajovien. 222. - Polocen. 77. 79. 80. 89. 114. 210. 214. - prope Novogrodecum 81. - S. Crucis 76. 77. - S. Salvatoris 230. 231. 232. 244. 246. 257. 259. 262. 263. 264. 269. 271. 272. - SS. Trinitatis 48. 50. - Supraslien. 74. 89. 146. 273. - Vilnen. 78. 113. - Vitepscen. 73. 81. - Zyrovicien. 47. 68. 78. 79. 80. 177. 209. 214. - v. Basiliani.
- MONASTERIUM Schismaticorum Cassuten. 114. - Marcoviense 148. - Polocen. 209.
- MONCASZIOVIA 240.
- MONIALES OSBM. 209.
- MOSCHI 30. 50. 77. 240.
- MOSCHOVITAE 171.
- MOSCOVITICA hostilitas 81.
- MOSCOVIA civ. 6. 23. 24. 43n. 70. 72. 83. 115. 148. 150. 151. 165. 193n. 195. 203. 262n. 271.
- MOSCOVITAE 6. 16. 95. 120. 214. - v. Moschovitae.
- MOSCUA 52. - v. Moscovia.
- MOZER Adrianus, Sup. Lublinden. 120.
- MSCISLAVIA civ. 10.
- NALKIEWICZ Stanislaus, dom. 260.
- NATIO Moscovitica 56. - Ruthena unita 204. 265.
- NEGOTIA Unionis et Religionis 56.
- NEPOTES Episcoporum 27.
- NERLI Franciscus, Card. Nuntius Var-savien. 7. 25n. 27. 29n. 32. 39. 56. 92. 150. 151. 161. 164. 166. 168.
- NOBILES Pinscen. 167. - Poremyslien. 221. - Poloniae 226. - Volhyniae 205.
- NOMINATIO Metropolitae 233. 235.
- NON-Uniti 73. 169n. 221. - v. Schismatici.
- NOVITIATUS Basilian. 39. 41. 54. 80. 81. 161. 162. 163. 177.
- NOVITAS in Ritu Orientali 105.
- NOVOGRODEK op. 10. 46. 47. 85. 100. 101. 103. 106. 109. 110. 116. 136. 137.

138. 139. 170. 182. 196. 199. - Metropolis Archiep. Russiae 96. - v. Cathedra, Synodus.
- NOWAK Nicolaus, Procur. Ecclesiae Unitae in Urbe 121.
- NUNTIATURA Apostolica 141. 167. 168. 169.
- NUNTII Apostolici 83. - Cosatici 11.
- NUNTIUS Apostolicus 14. 23. 32. 36. 52. 65. 75. 76. 86. 89. 96. 125. 126. 129. 130. 144. 153. 155. 233. 237. 241. 254. 255. 273. Apost. in Regno 264. - Apost. Varsavien. 191. - Doroszenkovien. 12. - in Polonia 87. 93. 136. 266. - S. C. de Prop. Fide 235. - Varsavien. 11. 76.
- OBSIDES 12. 13. 18.
- OCTOECHOS, liber liturg. 54.
- OFFICINA lateraria Monast. Grodnen. 78.
- OFFICIUM Archiepiscopatus Russiae 257. - Castrense Capit. Premislien. 266. - Divinum 54. - Episcopatus Pinscen. 145. - Immac. Conceptionis 46. 47. - Ritus Latini Premislien. 264. - Sanctum 34.
- OGINSKI Martianus, Cancell. M. D. Lithuaniae 117n.
- OHILEVY CZ Pachomius, OSBM., Protoarchim. 6. 57. 59. 60n. 61. 66. 74. 80. 91. 108. 109. 110. 111. 119. 120. 124n. 128.
- OHURCEVY CZ Simeon. OSBM., Protoarchim. 151. 161.
- OLEXIEIENKO Basilius 21.
- OLOMOUC in Moravia, op. 177. 179. 204. 256.
- OLSZANICA Theophilus, Sac. 121.
- OLSZOWSKI Andreas, Ep. Culmen. 34.
- ONERA militaria 81.
- ORANSKI Gedeon, OSBM., Ep. Chelmen. 157. 159. 160. 166. 205n. 221.
- ORANSKI Pachomius 121.
- ORATOR Metropolitanus 85.
- ORDINARII Russiae 161.
- ORDINATI a Schismaticis non reordinandi 72.
- ORDO Basilianorum - v. Basiliani.
- ORDO Praedicatorum 24.
- ORIENS 105. 112. 115. 156. 161. - Bystonica 246. - convertendus per Ruthenos 57. - unitus cum S. Roman. Ecclesia 164.
- ORIENTALES Ecclesiae 77. 111. 116. 135. 161.
- OSTROGIUM civ. 11. 12. 13. 14. 18. 19. 20. 22. - v. Eparchia.
- OWLOCZYNSKI Paulus, Sac. 121.
- PAC Christophorus, Cancell. Lithuan. 34. 117.
- PAC, eques Meliten. 146. 166. 167.
- PAC Nicolaus, Ep. Vilnen. lat. 85n.
- PACTA Zborovien. 12. - Halicien. 12. 15. 18. - Vladislavian. 12. 17. 20.
- PALATINATUS Beresten. 45n. - Macislavien. 82. - Polocen. 5. 15. 32. - Russiae 266. - Smolenscen. 40. 50.
- PALATINUS Czernihovien. 11. 17. 19. - Polocen. 172. - Vilnen. 97. 170. 171. 172.
- PALATIUM Regium Varsaviae 67.
- PALLAVICINI Opitius, Nuntius in Poloniae 68. 72n. 74n. 93n. 134. 152. 156. 157. 181.
- PAMPILIUS et Phamphilia, principes 106.
- PAROCHI a Pseudoep. ordin. 267. - 268. - latini 255. - schismat. 98.
- PAROCHIA Pohosten. 145. 146. 166. - latina 165.
- PAROCHIUS latinus 167. - Pohosten. 166. - Ungaricus 241.
- PASZKIEWICZ Bonifacius, 82.
- PASZOWSKI Josephus, OSBM., Vic. Kasuten. 100. 101.
- PARTES Racozianae 239.
- PASTOR Russiae 92. 105. 158. - v. Metropolitanus.
- PASTORES uniti Albae Russiae 214.
- PASTRICIO Don Joannes, Prof. in Prop. Fide 136. 140.
- PATER Georgius 111. - Ierotheus 113. 146. - Innocentius 113. - Oecumen. Orbis 37. 41. - Procopius 114.
- PATRES Basiliani - v. Basiliani - Carmelitani Scalzi 47. - Carmelit. Discalceati 85. - Dominicani 46. - Franciscani 77. - latini et graeci de Process. S. Spiritus

42. - Soc. Jesu 85. 204., v. Jesuitae. - Theatini 222. 230.
- PATRIARCHA Constantin. 140. 193. 15. 16. 18. - Graecorum 52. - Moscoviae 16. 69n. 193n. - totius Russiae 16. - Oriental. 162.
- PATRIARCHATUS Moscovien. 6. - Russiae 35. 59.
- PATRONI eccl. schismat. 52.
- PAULUS V. PP. 46. 47.
- PEREMYSLIA op. 51n. 223. - v. Premislia.
- PERICULUM Cosaticum 25.
- PERISTROMATA 78.
- PERSECUTIO Czari Moscoviae, Petri I. 178. 256n.
- PERSECUTIONES Cosaco-Schismaticae 44. - Schismaticorum 36. 41.
- PERSECUTOR S. Roman. Eccl. et Unitorum 39.
- PERSONAE Regulares 83.
- PETRUS I, Czar Moscoviae 151n. 165n. 193n. 207n. 208. 209. 210. 214n. 215. 222. 242n. 262n. 269. 271n. 272n.
- PETRUS S. PP. 165.
- PHOCIANA haeresis 17.
- PIASECZYNSKI Joannes, Castell. Chelmen. 20.
- PIASECZYNSKI Stephanus, Capit. Braslaven. 20.
- PIECHOVICZ Innocentius, Abbas Mielecen. 260.
- PIECHOVSKYJ Innocentius, alumn. 196.
- PIESKOZACILI praedium 91.
- PIETKEVY CZ Josephus, OSBM., Sec. General., Procur. in Urbe, Protoarchim. 57. 59. 61. 66. 74. 109. 128n. 134. 161. 163n.
- PIESZKIEWICZ Sylvester, OSBM., Procur. in Urbe 202. 203. - Archiep. Polocen. 212. 213n. 236. 237. 242. 243. 244. 245. 247. 248. 252. 253. 254n. 255.
- PIESZKOWSKI Michał, Sup. Novogroden. 120.
- PIGNATELLI Antonius, Nuntius Varsavien. 75n. 95. 107. 125. 155n. 164n. deinde Innocentius XI. PP. 155n.
- PIGNATELLI Franciscus, Nuntius Varsavien. 205n.
- PILICHOUSKI sac. 74.
- PILICHOWSKI Samuel 19.
- PINCK Michael, dom. 260.
- PINSK op. 145. - v. Clerus, Dioecesis, Districtus, Eparchia, Episcopus.
- PRIVILEGIUM Stanislai Regis 233.
- PIXIS vas sacr. 78.
- PLATEA Leopoliensis. 266.
- POCIEY Michael, Ep. Vladimiriensis. 125.
- PODBERESKI, Theologus 127.
- PODOLIA, prov. 43. 203. 204.
- POGORZELSKI Andreas, S. J. 48.
- POHOST op. 145. 146. - v. Ecclesia.
- POKUTIA, prov. 43.
- POLKOVSKYJ Serapion, Ep. Mohiloviensis. 197. 198. 199. 200.
- POLOCIA civ. 116. 142. 143.
- POLOCK 38. 67. - v. Archieparchia, Archiepiscopus, Cathedra, Dioecesis, Ecclesia, Synodus.
- POLONIA 5. 6. 7. 12. 15. 23. 24. 92. 94. 114. 163. 172. 181. 192. 193. 194. 196. 198. 204. 206. 211. 240. 253n.
- POLONUS miles 193. 194.
- PONTIFEX Summus 88.
- POPULUS neoconversus in Premislia, Luceoria 207. - Ruthenus 211. - slavonicus 150n.
- PORTA Leopolit. 239. - Ottomanica 6. 11. 21n. 43n.
- POSSESSIONES Cosacorum 21.
- POTENTIA Ottomana 95.
- POTESTAS Metropolitae 89. 95. - Vic. General. 123. - Suprem. Apost. 242.
- POTIJ Hypatius, Ep. Volodimiriensis, Metropolitae Kioviensis. 8. 53n. 116. 129. 203n. 204.
- POTIJ Joannes, Ep. Volodimiriensis. 125n.
- PRAEDIOLUM Wolyncowo 81.
- PRAGA civ. 204.
- PRAELATI Moscoviae 208. - uniti 62. 73.
- PRAELATUS Chelmen. lat. 64.
- PRAESCRIPTA Metropolitana 82.
- PRAESUL Albae Russiae 200. - Pinscen. 215.
- PREMISLIA op. 204. 238. 261. - v. Cathedra, Clerus, Dioecesis, Ecclesia, Eparchia, Episcopus.
- PRESBYTERI non-catholici 52. - Albae



- Russiae 200. - Russiae 54. - Ruthenorum. unitor. 165.
- PRIMATUS Sedis Apostolicae 189.
- PRINCEPS Boguslaus 27. - Moldaviae 18. - Unionis Sanctae et Russiae 44. - Valachiae 18.
- PRINCIPATUS Russiae 11.
- PRIORATUS Cassutensis 82. - Czerlomen. 83.
- PRIVILEGIA Episcop. 88. - Regia 90. - Regum Poloniae 79. 80. - Unionis Sanctae. 199. 200.
- PRIVILEGIUM Episcop., concessum in Conc. Trident. 167.
- PROCERES Lithuan. 200.
- PROCESSIO S. Spiritus 72.
- PROCESSUS contra Ep. Pinscen. 167.
- PROCEVYCZ Basilius, OSBM., Protoarchim. 196.
- PROCURATOR Generalis Russiae 104. - Generalis OSBM. -v. Basiliiani.
- PROFANATIO caellae monast. 147.
- PROFESSIO Fidei Metropolitanæ Kiovien. Vynnykyj 259 - 260. - Orientalibus praescripta 69.
- PROGRESSUS Unionis 26.
- PROHIBITIO transitus ad ritum lat. 222.
- PROMOTIO Basilian. ad Praelaturas 126. - ad dignitates 247.
- PROMOTOR Religionis Basilianae 99.
- PROMULGATIO Unionis in Dioecesi Leopoliensis. 44n. 46n.
- PROTECTOR Cardinalis 85. - gentis Raxolanae 92. - Regni Poloniae 38. 103. 104. 129. 130. 137. - Rituum oriental. 131. - Russiae 39. 42. 46. 69. 77. 78. 94. 101. 143. 147. 150. 152. 156.
- PROTOARCHIMANDRIA Basiliana 58.
- PROTOARCHIMANDRITA Basilian. 236. 237. 238. 266. - v. Basiliiani.
- PROTOARCHIMANDRITA in Orientali Ecclesia 155.
- PROVINCIA Albae Russiae 215. - Lithuaniae 230. - ecclesiastica Kiovien. 172. - v. Basiliiani.
- PROVINCIALES 85.
- PRZEZDZIECKA, domina 181.
- PRUSSIA 20.
- PSALTERIUM 54
- PSEUDO-Archiepiscopus Kiovien. 271.
- PSEUDO-Capitula 126. - Episcopus disunitus 211. - Ep. Luceorien. 69. - Metropolia Kiovien. 39. - Metropolita Kiovien 105.
- PUCZKOWSKI Bonifacius, OSBM., Proconsultor 57. 59. 61.
- PULTAWIEC Joannes 21.
- PUNCTA Unionis 12. 13. 14. 19.
- PUNCTUM Religionis 15. 17. 18.
- PUSZKOWSKI Eustachius, Archim. Grodnen. 120.
- RADOSZYNSKI Innocentius, OSBM. 100. 101. 114.
- RADZIVIL, dux Lithuaniae 199.
- RAHOZA Michaël, Archiep. Russiae unit. 53n.
- RAKOCZY, princeps Hungariae 211. 212. 221. 227. 229. 230. 231. 239. 246. 268.
- RANUZZI Angelus Maria, Nuntius Apostol. 33. 36n. 82n.
- RASCIANI 150.
- RECTOR Collegii Graecorum 134. - Coll. Soc. Jesu Ostrogien. 20. - Coll. Lublin. 200.
- RECUPERATIO Cathedralis Halicen. 270. - Ecclesiarum pro Unione 82.
- REGES Poloniae 79.
- REGIMEN Officii Metropolitan. 250. - Protoarchim. 159. 160. - Provinciale 162.
- REGNUM Hungariae 228. 267. - Poloniae 5. 15. 17. 21n. 22. 30. 43n. 50. 53. 62n. 158. 165. 192. 207. 208. 210. 222. 233. 234. 235. 248.
- REGULAE de Protoarchim. electione 112. - Episcop. 118. - et Statuta Congr. Novohorodovicien. 120. - S. Basilii 162.
- RELIGIO Basiliana 35. 36. 38. 45. 54. 68. 70. 80. 81. 86. 87. 88. 89. 90. 92. 93. 103. 106. 116. 133. 138. 145. 156. 157. 159. 168. 189. 196. 202. 203. 257. - Rutheno-unita 99. - Sancta 192. - Congregata Novogrodecii 124. - Dominicana 26. - Graeca 12. 17. - Latina 12. - Schismatica 21n.
- RELIGIOSI Bythenien. 109. - Chelmen.

64. - Uniti 62. - Zyrovicien. 109. - v. Basiliani.
- RELIQUAE B. Josaphat Kuncewycz 35. Ruthenae 207. - Unionis 210.
- RESPUBLICA christiana 235. - Venetorum 163. - Poloniae 20. 60. 83. 94. 95. 102. 123. 130. 131. 146. 148. 155. 158. 163. 164. 167. 170. 193. 194. 198. 199. 205.
- RES Basilianorum 81. - Russiae 160. - Rutheniae 61.
- RESIDENS Moscoviae 151.
- RESIDENTIA Grodnen. 147. - Torokanen. 45n. - Novogrodnen. 170. - Vilnen. 171.
- REX Joannes III. 39. - Poloniae 5. 6. 10. 28n. 53. 58. 95. 104. 107. 131. 159. 163. 177. 210.
- RITUS graecus 50. 53. 87. 128. - latinus 7. 15. 40. 41. 130. 165. 204. - orientalis 98. 130. 131. 150. - ruthenus 7. 204. 267.
- ROCHUS S. in S. Roman. Eccl. 139.
- ROMA 5. 6. 7. 9. 19. 29. 31. 34. 42. 43. 46. 47. 64. 83. 92. 94. 95. 104. 106. 115. 126. 130. 131. 136. 137. 138. 151. 158. 159. 164. 168. 172n. 177. 185. 206. 236. 237. 238. 247.
- ROSANA 114.
- ROTNICKI Damianus, OSBM. 100. 102. 114.
- ROXOLANA 165. - Ecclesia unita 189. 191. 211. - Hierarchia unita 211. - plebs 129.
- ROZNIATOWSKI Clemens, OSBM. 209.
- RUBRA Russia 204. 221.
- RUITER, agens 148. 183. 185.
- RUSSIA 7. 9. 10. 16. 30. 32. 33. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 45. 49. 51. 52. 56. 57. 59. 60. 66. 69. 70. 71. 72. 89. 93. 98. 102. 105. 111. 112. 114. 115. 116. 117. 124. 126. 129. 137. 138. 142. 145. 150. 162. 163. 165. 172. 190. 195. 196. 204. 210. 212. 213. 242. 252. 257. 270. - non-Unita 52. - Unita 34. 36. 137. 206. 210. 242. 245.
- RUTA, pagus 121. - infra Novogrodec. 95. 106. 112. 115. 170.
- RUTHENI 10. 16. 23. 24. 26. 46. 57. 59. 64. 88. 95. 129. 165. 181. 204. 206. 207. 213. 261.
- RUTKA Theophilus, S. J. 74n.
- RUTSKYJ Josephus, Legislatur OSBM. 195. - Protoarchim., Metropolita Russiae 4n. 8. 53n. 58. 60. 82. 95. 108. 112. 118. 121. 122. 127. 129. 154. 156. 160. 170. 171. 195.
- SACERDOTES latini 40. - schismatici 33. 35. - saeculares 89. - uniti 19. 62. 226. 255.
- SACRIPANTE Josephus, Card., S. C. de Prop. Fide 212. 213. 227n.
- SAKIEWICZ Josephus, OSBM., Sup. Monast. Czerlen. 87. 94.
- SAJCZEWICZ Josephus, OSBM., Sup. Czerl. 100. 101. 114.
- SAMBIR op. 223.
- SAECULARES 85.
- SAMOGITIA 20. 25.
- SANTACROCE Andreas, Nuntius Apostol. 166. 169. 187. 189. 192.
- SAN Giorgio, Residentia Episcop. Leopoli. 48.
- SAPIEHA Benedictus, Thesaurar. Lithuan. 144 - 145.
- SAPIEHA Casimirus, Palatinus Vilnen. 144.
- SARDULO Josephus Augustinus, Capell. 187.
- SECRETARIUS Brevium 150.
- SEDES Sancta 5. 6. 7. 8. 12. 14. 16. 28. 29. 31. 37. 38. 39. 43. 52. 73. 84. 85. 88. 89. 91. 94. 95. 98. 102. 104. 105. 115. 124. 125. 126. 127. 128. 130. 131. 134. 136. 139. 144. 147. 159. 169. 195. 201. 205. 206. 211. 213. 222. 226. 227. 230. 231. 234. 239. 245. 250. 252. 253. 257. 263. 268n. 270. 271. - Archiep. Polocen. 10. 193n. - Constantinopolit. 19. - Iudiciorum totius Russiae 169. - Leopoli. 273n. - Metropolitan. Kiovien. 24. 108. 233. 234. - Mukaczovien. 246n. 268. - Volodimirien. 177.
- SEMINARIUM 54. 71. - Leopoli. 272. - Peremyslien. 222. 238. 239. 261. 263. 267. 268. 272. 273. - Pontificium 7. - Prov. Kiovien. 41n. - Ruthenum 82. 266.

- SENATOR Bresten. 12. 13. - Chelmen. 12. 13.  
 SENATORES Castellanei 12. 18. - Lithuan. 214.  
 SENEPA Georgius, S. J. 135.  
 SERBI, pop. 150. 151.  
 SEVERA, prov. 20.  
 SCHEREMET, Generalissim. exercitus Moscovit. 214.  
 SCHIARA, Theatinus, Procur. General. 236.  
 SCHIAVONI, pop. 151.  
 SCHISMA 15. 26. 33. 43. 52. 70. 98. 105. 106. 126. 155. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 198. 200. 203. 206. 239. 246. 257. 258. 267. 268.  
 SCHISMATICI 13. 14. 17. 26. 28. 32. 35. 39. 40. 43. 48. 49. 52. 53. 54. 56. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 66. 70. 77. 83. 84. 85. 95. 98. 102. 110. 112. 126. 131. 150. 151. 166. 167. 193. 194. 197. 211. 228. 239. 240. 269. - Russiae 105. 159. - Rutheni 115. - Vilnen. 26. - Volynien. 17. - Witebscen. 82.  
 SCHOLAE Chelmen. 64. - Haeretici Calvinist. 34. - Regni 54. - Russiae 162.  
 SIELAVA Antonius, OSBM., Protoarchim., Metropolit. Kiovien. 78. 79. 80. 107. 108. 119. 121. 125. 149. 154. 171.  
 SIELCZYSKI Stephanus, OSBM., Archim. Bresten. 87. 93.  
 SILESIA, prov. 106.  
 SIEMIENOWICZ Matthaeus Josaphat, Notarius 147.  
 SIGISMUNDUS III, Rex Poloniae 79.  
 SINAGOGA Haetic. 25. - Calvinist. 34.  
 SLONIM, district. 143.  
 SLUPSKI Nicolaus, Suffrag. Vilnen. 25n.  
 SLUVARCZYNSKI Adalbertus, Notar. 187. 189.  
 SLUZKA Josephus Boguslaus, Vexilifer. Lithuan. 67.  
 SMOLENSK civ. 20. 50. 83. - v. Archiepiscopus, Cathedra, Diocesis Episcopus.  
 SMOTRYCKYJ Meletius 5.  
 SOBIESKI Joannes, Rex Poloniae 6. 28n. 44n. 84. 98. 135n. 151n. 184. 139n. 197. 264n.  
 SOCIETAS Jesu 13. 44. 165. - v. Jesuitae.  
 SOKOLINSKI, Archiep. Smolenscen. 57. 59. 61. 83. 93.  
 SOLIKOVSKYJ Jacobus, alumn. 196.  
 SOLIUM Metropolitan. 235.  
 SORIZA, pag. 37.  
 SPINOLA Nicolaus, Nuntius Varsavien. 234n. 238. 261. 262n.  
 SPIRATIO activa 72.  
 STAROCON op. 145.  
 STATUS Archiepiscopal. totius Russiae 168. - ecclesiast. Rit. Ruthen. 267.  
 STATUTA Rutsicii 60.  
 STATUTUM Ordinis SBM. 56.  
 STOIKA Josephus Ioannes, Ep. Maramorosien. schismat. 240. 246.  
 STRASZEVYCZI villa 223. 225. 226.  
 SUDZILOWICZE, praedium 35. 171.  
 SUTIA 253n.  
 SUFFRAGANEUS Smolenscen. 40. 41.  
 SUPERIOR Bythenien. 161. - Laurovien. 223. 241. - Leszczynen. 114. - SS. Sergii et Bachi 138. - Vitepscen. 75. - Zyrovicien. 79.  
 SUPERIORATUS Czereien. 130. - Zyrovicien. 130.  
 SUPRASL op. 23. 24. 33. 37. 47. 48. 49. 51. 142. 150. 152. 153. 154. 159. 160. 166.  
 SUSZA Jacobus, OSBM., Protoarchim., Ep. Chelmen. 5. 14. 19. 30n. 57. 58n. 62. 64. 65. 67. 68. 69. 74. 85n. 107n. 116n. 125. 131. 135. 154. 161.  
 SVECI, pop. 208.  
 SVISTELNYCKYJ Hieremias, Ep. Leopoliien. 42n. 43.  
 SWIECICKI Stanislaus, Ep. Chelmen. 65n.  
 SYCOPHANTAE Graeci 20.  
 SYMKOWICZE, pag. 80.  
 SYNODI Diocesanae 130.  
 SYNODUS Beresten. 16n. 203n. - Chalcedonien. 87. - Minscen. 169. - Novogrodecen. 169. - Polocen. 169. - Russiae 35. - Kobrynen. 127. - Provincial. Novogroden. 74. 98. 109.  
 SZCZYGIELSKI Meletius, OSBM. 87. 94.  
 SZEMBEK Joannes, Cancell. Poloniae 265.  
 SZEMBEK Stanislaus, Primas Poloniae 256n.

- SZEMETYLO Michael, Parochus Pohosten.  
 145. 166. 169. - Catherina, uxor. - v.  
 ibidem.  
 SZEPTYCKYJ Athanasius, OSBM., Ar-  
 chim. Uniovien. 222. 247n. 254. 269n. -  
 Ep. Leopoliens. 273n.  
 SZEPTYCKYJ Barlaam, Archim. Unio-  
 vien., Ep. Leopoliens. 67n. 222. 247n.  
 252n. 254n. 269n. 270. 273n.  
 SZESZOLE, praedium 171.  
 SZIRMAY Nicolaus 241.  
 SZLUZYNSKI Stephanus, Archim. Bra-  
 slav. 82. 99. 101. 113.  
 SZOLUCHA Teophanus, OSBM. 100. 101.  
 114.  
 SZOPOWICZ Ignatius 121.  
 SZPICUL, Dominicanus 146. 147.  
 SZTRASZKIEWICZ Martinus, OSBM. 101.  
 114.  
 SZUMLANSKYJ Athanasius, Ep. Luceo-  
 rien. 144. 151. 167.  
 SZUMLANSKYJ Cyrillus, Ep. Luceorien.  
 222. 262n. - Apostata 272.  
 SZUMLANSKI Daniel, Ordinis Praedica-  
 torum 61. 62.  
 SZUMLANSKI Gedeon, OSBM. 48. 87.  
 94. 100. 101. 113.  
 SZUMLANSKYJ Josephus, Ep. Leopoliens.  
 6. 10. 42. 44. 46. 47. 49n. 61n. 67. 68.  
 69. 144. 151. 167n. 193. 194. 258. 269.  
  
 TABULARII Doroszenkoviani 14.  
 TABULARIUM 12.  
 TARTARI 164. 172.  
 TATOMIR, monachus schism. 17.  
 TERLECKYJ Antonius, Ep. Peremislien.  
 13.  
 TERLECKI Benedictus, OSBM., Prov.  
 119. 120. 125. 126. 146. 154.  
 TERLECKYJ Cyrillus, Ep. Luceorien.  
 116.  
 TERLECKYJ Methodius, OSBM. 57n.  
 TERRA Peremislien. 221. 266.  
 THESAURUS Sapientiae Divinae, lib. 77.  
 85n. 97. 105. 116. 129. 130. - Zyrovicen  
 110. 126.  
 THOMAS a Jesu, Carmelita discalceatus  
 77. 85. 97. 105. 111. 116. 129. 130.  
 THYSENHAUSOWNA villa 158.  
  
 TIARA Polocen. 236.  
 TITULUS Eparchiae Halicen. 222.  
 TINUS Josephus 247.  
 TOLOCZKOWNA domina 50.  
 TOMKIEWICZ 146.  
 TOROKANIE, op. 45. 47. 76. 107. 119.  
 129. 131. 135. 136. 142. 146. 170.  
 TORRES Joannes de, Nuntius Apostol.  
 80. 158.  
 TRADUCTIO palaeo-slava Officii Immac.  
 Concept. 47n.  
 TRANSITUS ad ritum latinum 91. 93.  
 165. 230. 273.  
 TREBNIK, lib. liturg. 72. 74.  
 TRIBUNAL Metropolit. 142. 144. - Me-  
 tropolit. Russiae 167. - Nuntiaturae  
 Apostol. 247. 264. - Urbis 38. - Regni  
 95. 161. 162. 182.  
 TRIPHOLOGION, liber 54.  
 TRISNA Clemens, Sup. Monast. schi-  
 smat. Vilnen. 52. 55. - Pseudo-Ep. Albae  
 Russiae 117. 199.  
 TRIZNA, Thesaurarius Lithuan. 149. 158.  
 163.  
 TRIZNIANA villa 158.  
 TROMBETTI Stephanus, Theatinus 228.  
 229. 238. 261. 263. 268. 272.  
 TRUCIDATIO Basilianorum a Petro I.  
 208. 209.  
 TUKALSKYJ Pseudo Metropolita Kiovien.  
 11. 14. 18. 19. 28n. 39. 43n.  
 TUMULUS S. Josaphat 143.  
 TURCAE 18. 35.  
 TVOROWSCHI Silvester, Abbas Ourucen.  
 67.  
 TYPOGRAPHIA slavonica 7. 54n. - Vil-  
 nen. 71n.  
 TYRANNI Poloniae 18.  
  
 UBALDI-Baldeschi Fredericus, Secr. S. C.  
 de Prop. Fide 29n. 30n.  
 UCRAINA 6. 12. 17. 18. 19. 26. 39. 44.  
 177. 178. 203. 204. 214n. 221. 222. 253n.  
 - Carpathica 150n. - Cosacica 52. 253n.  
 UNGHVAR, op. 241.  
 UNICHOWSKA domina 170.  
 UNIO 5. 7. 11. 13. 14. 15. 17. 18. 19. 20.  
 21. 25. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 35. 36.  
 38. 39. 40. 41. 42. 43. 46. 48. 49. 51.

53. 55. 56. 57. 58. 59. 63. 66. 71. 73.  
76. 77. 80. 82. 83. 86. 88. 89. 92. 93.  
95. 98. 99. 105. 106. 110. 111. 112. 113  
117. 123. 126. 148. 151. 156. 157. 160.  
162. 165. 168. 170. 172. 177. 184. 189.  
190. 192. 193. 194. 197. 198. 199. 200.  
201. 202. 203. 204. 205. 207. 209. 214.  
227. 228. 229. 230. 246. 250. 251. 252.  
253. 255. 256. 257. 258. 259. 268. 269.  
270. 272.
- UNITI 5. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.  
26. 27. 28. 31. 52. 53. 54. 85. 150. 167.  
168. 184. 185. 190. 204. 208. 209. 230.
- URBANUS VIII. PP. 35n. 57. 58. 60.  
88. 119. 165. 203. 204. 255.
- URBS Sancta 238.
- UROZ, villa 240. 247. 252. 257.
- USTRYCKYJ Hieronymus, Ep. 223.
- UXORATI, non admissio ad Cathedras  
Episcop. 85.
- VALACHI 95.
- VARADUM Valachiae 240.
- VARSAVIA civ. 11. 12. 18. 22. 28. 29.  
31. 32. 33. 35. 36. 37. 42. 44. 45. 64.  
68. 69. 70. 73. 75. 76. 86. 98. 107. 132.  
141. 149. 155. 182. 185. 187. 189. 190.  
191. 192. 193. 194. 199. 205. 261. - v.  
Cancellaria, Comitiae.
- VARTANUS Hunanian, Archiep. Leo-  
polien. armen. 248. 250.
- VATICANUM 33. 137.
- VICARIUS Abbatiae Leszczynen. 113.
- VICEANCELLARIUS Regni 27.
- VIEYSKI Thomas, S. J., Ep. Kiovien.  
lat. 94n. 132. 133. 149. 152. 156.
- VILLA Cap. Vilnen. 37. - Dermanen.  
13. - Noriza 162. - Papiri 171. - Pec-  
zarany 172. - Torokanie 158.
- VILNA op. 6. 25. 26. 28. 31. 36. 37. 40.  
41. 45. 46. 48. 50. 98n. 131. 142. 162.  
165. 170. 171. 177. 179. 191. 192. 199.  
201. 203. 204. 222. 272. - v. Archiman-  
dria, Basilica, Cathedra, Collegium, Co-  
missio, Consistorium, Ecclesia.
- VISITATIONES Monasteriorum, 84. -  
Patris General. 77.
- VITEPSK seu Vitebsk, op. 10. 72. 73.  
75. 113. 148. 208. - v. Dioecesis, Ec-  
lesia, Episcopus.
- VLADISLAUS IV., Rex Poloniae 27.  
79. 80.
- VLADIMIR op. 181. 183. 199. 202. 204.  
205. 206. 207. - v. Cathedra, Confla-  
gratio, Dioecesis, Eparchia, Episcopus.
- VOCATIO ad Novitiatum 83.
- VOLHYNIA prov. 5. 11. 20. 28. 32. 43.  
97. 109. 154. 159. 162. 203. 204. 210.  
215.
- VOLOVICIA dom. 162.
- VOTA religiosa 129.
- VOTTA, S. J. 184. 185n
- VOTUM Patrum Capit. 121. - 122.
- VSTRZYCKI Basilius, nobilis 264.
- VYNNYCKYJ Antonius, Pseudo Metro-  
polita Kiovien. 43. 44. 52n. 53.
- VYNNYCKYJ Antonius, sac. 230n. -  
Familia 223. 230n.
- VYNNYCKYJ Innocentius, Ep. Peremi-  
slien. 6. 53n. 67. 68. 69. 144. 151n. 156.  
162. 167. 184n. 221. 225. 226. 253.
- VYNNYCKYJ Martinianus 221.
- WASILEWICZ Theodosius, Ep. non-uni-  
tus Albae Russiae 48n. 52.
- WAKA, praedium 171.
- WATHOVICZ Ludovicus, Apostol. Can.  
Proc. 249.
- WELIKONTY Isaias, OSBM. 100. 102.  
114.
- WELIKONTY Theophanes 121.
- WERKUDKA, lacus 171.
- WIDERKAUF 162.
- WIELICZKO Theodosius, nobilis 49. 51.
- WIELUNICE, villa 251.
- WIENCZEK Eustachius, OSBM. 87. 94.  
100. 102.
- WINSKI Jonas, OSBM. 87. 94.
- WISLOCKI Elia, nobilis 255.
- WISNIOWIECKI Korybut Michael, Rex  
Poloniae 10n.
- WISZNIEVIETZKI, princ. 214. 215.
- WITOPOLSKI Constantinus, Sup. Zyro-  
vicien. 119. 120.
- WITWICKI Stanislaus de Witwica, Ep.  
Kiovien. 67.
- WYHOWSKI Alexander, Ep. lat. Lu-  
ceorien. 248. 250.

- WLOSKIEVICZ Franciscus, Secr. 183.  
185. 205.
- WOLFF Theodorus von Ludinghaus, Ep.  
Venden. 233n.
- WOLICA, pag. 266.
- WOLK, dom. 170.
- WOLOSOWICZ Stephanus 121.
- WOLOSZINOVSKI Josephus, Ep. Muka-  
czovien. 241.
- WORONECZ, praedium 171.
- WORONOWICZ Joannes, Cancell. Vilnen.  
147.
- ZABA Hieronymus, Vicecapit, Polocen.  
171.
- ZABIRIUS Mareschalus Lithuaniae 172.
- ZABLUDOVIENSIS Ecclesia 26. 27.
- ZABOKRZYCKI Dionysius, Ep. Luceorien.  
193. 194. 205n. 206. 214. 215. 222. 262.  
271.
- ZALENSKYJ Leo Franciscus, 177.
- ZALENSKI Franciscus Sigismundus, Ca-  
pitan. Novicen. 68.
- ZAMOSTIANA civ. 98n.
- ZAPOROSIANUS miles 18.
- ZAYKOWSKI Constantinus, Vic. Polocen.  
209.
- ZAWISZA Joannes, dom. 21.
- ZLOTY-Kvasninsky Andreas, Archiep.  
Smolenscen. unitus 50n.
- ZOCHOVSKYJ Alexander 5. 9.
- ZOLKIEWSKI Antonius, OSBM., Ep. Pin-  
scen 135. 138. 205. 221.
- ZUKOWSKI Benedictus, Ep. Suffragan.  
Samogitien. lat. 85n.
- ZYDICINENSIS Abbatia 109.
- ZYROVIC, monast. 56. 57. 59. 61. 83.  
97. 99. 119. 124. 133. 154. 177.
- ZYROVICIENSIS Congregatio 58.



## II.

### ELENCHI PONTIFICUM, REGUM, NUNTIORUM, METROPOLITARUM EPISCOPORUM, ETC. (1670-1713)

#### 1. Pontifices Romani

Clemens X	1670-1676
Innocentius XI	1676-1689
Alexander VIII	1689-1691
Innocentius XII	1691-1700
Clemens XI	1700-1721

#### 2. Patriarchae Constantinopolitani

Dionysius IV Muslim	1671-1673
Gerasimus I	1673-1674
Parthenius IV (4 v.)	1675-1676
Dionysius IV (2 v.)	1676-1679
Athanasius IV	1679
Jacobus I	1679-1683
Dionysius IV (3 v.)	1683-1684
Parthenius IV (5 v.)	1684-1685
Jacobus I (2 v.)	1685-1686
Dionysius IV (4 v.)	1686-1687
Jacobus I (3 v.)	1687-1688
Callinicus II	1688
Neofitus IV	1688-1689
Callinicus II (2 v.)	1689-1693
Dionysius IV (5 v.)	1693-1694
Callinicus II (3 v.)	1694-1702
Gabriel III	1702-1707
Neofitus	1707
Cyprianus I (1 v.)	1708-1709
Athanasius V	1709-1711
Cyrillus IV	1711-1713
Cyprianus I (2 v.)	1713-1714

#### 3. Nuntii Apostolici Varsavienses

Franciscus Nerli	1670-1671
Angelus Maria Ranuzzi	1671-1673
Franciscus Bonvisio	1673-1675
Franciscus Martello	1675-1680

Opius Pallavicini	1680-1688
Jacobus Cantelmi	1688-1689
Franciscus Bonesana	1689-1690
Andreas Santacroce	1690-1696
Joannes Bapt. Davia	1696-1700
Franciscus Pignatelli	1700-1703
Horatius Philip. Spada	1703-1705
Julius Piazza	1706-1707
Nicolaus Spinola	1707-1712
Benedictus Odescalchi	1712-
Hieronymus Grimaldi	1712-1720

#### 4. Praefecti S. C. de Prop. Fide

Antonius Barberini, iun.	-1671
Palutius Altieri	1671-1691
Carolus Barberini	1698-1704
Josephus Sacripanti	1704-1727

#### 5. Secretarii S. C. de Prop. Fide

Federicus Ubaldi Baldeschi	1668-1673
Franciscus Ravizza	1673-1675
Urbanus Cerri	1675-1679
Eduardus Cybo	1680-1695
Carolus Augustinus Fabroni	1695-1706
Ulisses Joseph Gozzadini, Prosecr.	
Antonius Banchieri	1706-1707
Carolus Collicola, Prosecretarius	
Sylvius de Cávalieri	707-1717

#### 6. Metropolitae Kiovienses catholici

Gabriel Kolenda	1665-1674
Cyprianus Zochovskyj	1674-1693
Leo Zalenskyj-Slubiez	1694-1708
Georgius Vynnyckyj	1708-1713



## 7. Metropolitae Kiovienses non uniti

Josephus Tukalskyj	1664-1676
Antonius Vynnyekyj	1676-1679
Gedeon Czetvertynskyj	1685-1690
Barlam Jasynskyj	1690-1707
Joasaf Krokowskyj	1707-1718

## 8. Archiepiscopi Polocenses

Gabriel Kolenda	1655-1674
Cyprianus Zochovskyj	1674-1693
Marcianus Bilozor	1691-1707
Sylvester Pieskevycz	1709-1719

## 9. Archiepiscopi Smolenscenses

Michael Paszkowskyj	1666-1670
Metrophanes Druckyj-Sokolinskyj	1680
Georgius Malejevskyj	1690
Josaphat Hutorovycz	1697
Gedeon Szumlanskyj	1703
Michael Tarnavskyj	1708
Laurentius Druckyj-Sokolinskyj	1709-1727

## 10. Prothotron. Volodimirienses

## et Berestenses

Benedictus Glinskyj	1667-1678
Leo Slubicz-Zalenskyj	1679-1708
Leo Kiszka	1711-1729

## 11. Episcopi Luceorienses

## et Ostrogienses

Gabriel Kolenda	-1674
Cyprianus Zochovskyj	1693
Leo Slubicz-Zalenskyj	-1700
Dionysius Zabokryekyj	1702- 714
Cyrillus Szumlanskyj (apost.)	1711

## 12 Episcopi Pincenses

## et Turovienses

Marcianus Bilozor	1666-1697
Antoninus Zolkevskyj	1697-1702
Porphyrius Kulczyekyj	1703-1716

## 13. Episcopi Chelmenses

## et Belzenses

Jacobus Susza	1652-1686
Alexander Lodziata	1686-1691

Joannes Malachowskyj	1691-1692
Gedeon Oranskyj Wojna	1693-1709
Josephus Levyekyj	1711-1730

## 14. Episcopi Peremyslienses

## et Samborienses

Joannes Malachowskyj	1669-1691
Innocentius Vynnyekyj	1680-1700
Georgius Vynnyekyj	1700-1713

## 15. Episcopi Peremyslienses non uniti

Antonius Vynnyekyj	1663-1679
Innocentius Vynnyekyj	1680-1691

## 16. Episcopi Leopolienses non uniti

Hieremias Svystelnyekyj	1667-1676
Josephus Szumlanskyj	1676-1705

## 17. Episcopi Leopolienses uniti

Josephus Szumlanskyj	1700-1708
Barlaam Szeptyekyj	1710-1715

## 18 Episcopi Munkacienses

Josephus Voloszynovskyj	1667
Porphyrius Kulczyekyj	1683
Josephus de Camillis	1689-1706
Georgius Vynnyekyj, Administr.	
Josephus Hodermarskyj, Candidatus	
Polycarpus Fylypovycz, Nominatus	1710

## 19 Protoarchimandritae Ordinis

## Basiliani

Gabriel Kolenda	1666-1674
Pachomius Ohylevycz	1675-1679
Stephanus Martyszkevycz	1679-1686
Josephus Pietkevycz	1686-1690
Simeon Ohurcevycz	1690-1698
Joachim Kuszelycz	1698-1703
Leo Kiszka	1703-1713

## 20 Procuratores Generales in Urbe

Josaphat Michnevycz	1669-1674
Josephus de Camillis	1674-1689
Polycarpus Fylypovycz	1690-1701
Sylvester Pieskevycz	1701-1709

Hilarion Kruszevycz 1709-1712  
Benedictus Trulevycz 1712-1726

Georgius Denhoff 1688-1700  
Joannes Bokum 1700-1718  
Joannes Wyzycki, nom. a Rege 1702

## 2i. Capitula Generalia Basilianorum

Novogrodecense I 1671  
Zyrovicense V 1675  
Zyrovicense VI 1679  
Minscense II 1683  
Novogrodecense II 1684  
Novogrodecense III (II) 1686  
Minscense III (II) 1690  
Zyrovicense VII 1694  
Bytenese II 1698  
Novogrodecense IV (III) 1703  
Bilaense I 1709  
Vilnense VI (IV) 1713

## 22. Archiepiscopi Gnesnenses -

Primates Poloniae

Nicolaus Prazmowski 1667-1673  
Casimirus Czartoryski 1673-1674  
Andreas Olszowski 1674-1677  
Joannes Wyzdza 1677-1687  
Stephanus Wierzbowski 1687  
Michael Radziejowski 1687-1705  
Stanislaus S embek 1706-1721

## 23. Archiepiscopi Leopolienses Latini

Albertus Korycinski 1670-1675  
Constantinus Lipski 1675-1698  
Constantinus Zielinski 1699-1709  
Joannes Pokrzywnicki, nom. 1709  
Nicolaus Poplawski 1709-1711  
Joannes Skarbek 1711-1733

## 24. Episcopi Cracovienses

Andreas Trzebicki 1658-1679  
Joannes Malachowski 1680-1699  
Stanislaus Dabski 1699-1700  
Adalbertus Denhoff 1700-1702  
Joannes Bokum, nom. a Rege Aug. I.  
Theodorus Potocki, nom. a Rege Leszczynski  
Casimirus Lubiencki 1711-1720

## 25. Episcopi Peremyslienses Latini

Stanislaus Sarnowski 1658-1676  
Joannes Zbaski 1676-1687

## 26. Episcopi Vlnenses

Nicolaus Pac 1672-1684  
Alexander Kotowicz 1684-1686  
Constantinus Brzostowski 1687-1722

## 27. Episcopi Chelmenses Latini

Christophorus Zegocki 1669-1673  
Stanislaus Dabski 1673-1676  
Stanislaus Swiecicki 1677-1696  
Nicolaus Wyzycki 1697-1704  
Casimirus Lubiencki 1705-1711  
Theodorus Wolff 1712  
Christophorus Szembek 1712-1718

## 28. Episcopi Luceorienses Latini

Thomas Lezenski 1667-1675  
Stanislaus Dabski 1675-1680  
Stanislaus Witwicki 1680-1688  
Boguslaus Leszczynski 1689-1691  
Franciscus Prazmowski 1692-1701  
Alexander Wyhowski 1702-1714

## 29. Imperatores S. Romani Imperii

Leopoldus I 1657-1705  
Carolus VI 1711-1740

## 30. Reges Poloniae et Magni Duces

Lithuaniae

Michael Korybut Wisniowiecki 1669-1673  
Joannes Sobieski 1673-1696  
Federicus Augustus II, Saxo 1697-1704  
Stanislaus Leszczynski 1704-1709  
Federicus Augustus II (2 v.) 1709-1733

## 31. Czar Moscoviae

Alexius Romanov 1645-1676  
Theodorus Romanov 1676-1682  
Joannes V, Romanov 1682-1696  
Petrus I, Romanov 1682-1725

**32. Duces (Hetman) Cosacorum**

Petrus Doroszenko	1666-1676
Damianus Mnohohrisznyj	1668-1672
Joannes Samojlovyez	1672-1687
Joannes Mazepa	1687-1709
Philippus Orlyk	1710-1722
Joannes Skoropadskyj	1708-1722

**33. Cancellarii Regni Poloniae**

Joannes Leszczyński	1666-1677
Stephanus Wydzga	1677-1679

Joannes Wielopolski	1679-1688
Georgius Denhoff	1688-1702
Carolus Tarlo	1702
Andreas Zaluski	1702-1711
Joannes Jablonowski	1706-1709
Joannes Szembek	1711-1731

**34. Magni Cancellarii Lithuaniae**

Christophorus Pac	1658-1684
Marcianus Oginski	1684-1690
Dominicus Radziwill	1690-1698
Carolus Radziwill	1698-1719

## INDEX GENERALIS

<i>Dedicatio</i> . . . . .	V
<i>Praefatio</i> . . . . .	VII
<i>Introductio</i> . . . . .	IX

### EPISTOLAE CYPRIANI ZOCHOVSKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS

Cypriani Zochovskyj imago . . . . .	3
Cypriani Zochovskyj biographia . . . . .	5
Documenta biographica romana . . . . .	9
Epistolae Cypriani Zochovskyj . . . . .	11

### EPISTOLAE LEONIS SLUBICZ ZALENSKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS

Leonis Zalenskyj signum manus scriptum . . . . .	175
Leonis Zalenskyj biographia . . . . .	177
Documenta biographica romana . . . . .	179
Epistolae Leonis Slubicz Zalenskyj . . . . .	181

### EPISTOLAE GEORGII VYNNYCKYJ, METROPOLITAE KIOVIENSIS

Georgii Vynnyckyj imago . . . . .	219
Georgii Vynnyckyj biographia . . . . .	221
Epistolae Georgii Vynnyckyj . . . . .	225

### INDICES

Index nominum et rerum . . . . .	277
Elenchi Pontificum, Regum, Nuntiorum, Metropolitanorum, etc. . . . .	297



# “ ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. ”

---

Ex Sectione tertia « DOCUMENTA ...ex ARCHIVIS ROMANIS »

## **Monumenta Bio-Hagiographica**

*S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis*

- vol. I: 1623-1628, Romae 1952;
- vol. II: 1628-1637, Romae 1955;
- vol. III: 1637-1867, Romae (paratur).

## **Documenta Pontificum Romanorum**

*Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia,*

- vol. I: 1075-1700 (pp. 708), Romae 1953;
- vol. II: 1700-1953 (pp. 680), Romae 1954.

## **Acta S. Congregationum**

*Acta S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia,*

- vol. I: 1622-1667, Romae 1953;
- vol. II: 1667-1710, Romae 1954;
- vol. III: 1710-1740, Romae 1954;
- vol. IV: 1740-1769, Romae 1955;
- vol. V: 1769-1862, Romae 1955;

*Litterae S. C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes,*

- vol. I: 1622-1670, Romae 1954;
- vol. II: 1670-1710, Romae 1955;
- vol. III: 1710-1730, Romae 1956;
- vol. IV: 1730-1758, Romae 1957;
- vol. V: 1758-1777, Romae 1957;
- vol. VI: 1777-1790, Romae 1957;
- vol. VII: 1790-1862, Romae 1957;

*Congregationes Particulares Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes,*

- vol. I: 1622-1728, Romae 1956;
- vol. II: 1729-1862, Romae 1957;

## **Epistolae Metropolitarum et Episcoporum**

*Epistolae Josephi Velamin Rutzkyj (1613-1637), Romae 1956.*

*Epistolae R. Korsak, A. Sielava, G. Kolenda, (1637-1674), Romae 1956.*

*Epistolae Cypriani Zochovskyj, Leonis Zalenskyj, Georgii Vynnyckyj (1674-1713), Romae 1958*

*Epistolae Leonis Kiszka, Athanasii Szeptyckyj (1714-1746), Romae (sub prelo).*

## **Litterae Nuntiorum Apostolicorum**

*Litterae Nuntiorum Apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550-1850),*

- vol I.: 1550-1600, Romae 1958;

## **Diplomata Imperatorum, Regum, Principum** (parantur)